
IONALE
8
H
3
VITT. EMANUELE
MA

MAGDALENA MASSILIENSIS ADVENA,

SEV

DE ADVENTV MAGDALENÆ in Gallias, & Maſſiliam appulſu.

Diſquiſitio Theologica-hiſtorica.

AVTORE

R. P. IOAN. BAPT. GVESNAY, Aquenſi Theologo, Societatis IESV.



LVGDVNI,

Sumptibus *HIERONYMI DE LA GARDE*, viâ Mercatoriâ, ſub Signo Spei.

M. DC. XLIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.





ILLVSTRISS^MO, AC REVEREND^MO

D. D. LVDOVICO
DE BRETEL,

AQVENSI ARCHIPRÆSVLI
Meritiſſimo, Metropolitanæ Eccleſiæ,
Venerabili Capitulo, & Vniuerſo
Aquenſis Diœceſis Clero.

IOAN. BAPTISTA GVESNAY, Societatis IESV,
Sempiternam fœlicitatem.



AGDALENA in Galloprouinciam venerat naui culâ naſcentis, & exulantis Eccleſię: Archipręſul Illuſtriſſime, Sacri Proceres, Inſignis Clere: inaudito conſilio venerat, ſine velo & remis, vt in excelſi regione aëris, qua cœlum terræ committitur, ſtationem ſuã collocaret. Poſſederat inuiæ rupis verticem reliquo mundo abruptum, nec ſolo pedis poſitu, quod humano iure neceſſũ eſt, ſed totius corporis religioſo accubitu, æternos ſaxo imprimens nouæ fortitudinis characteres. Æquam poſſeſſionem Imperatorum decreta, Galliæ Regum, Comitum Prouinciæ, & Siculorum Principum reſcripta confirmauerant, atque inſuper totius Europæ pietas mirandum inuiſentis An-

¶ 2 trum;

trum, quod magna Hoſpes impleuit. Verùm vt inter homines aliqui ſemper exiſtunt, quibus id curæ eſt accipere ac diuendere noua, ſuperioribus annis non nemo reclamauit, mouitque puluerem, vt aduerſo veluti turbine Magdalenam aliorſum, è Galloprouincia in ignotas cautes repelleret. Aduersùs quem non eximius oppidò ingenij conatus exerendus eſſet, quippe ſeipſis commenta euaneſcunt, & breui ſuſurro diffugiunt; ſed enim quia non tam hæc defenſio loci atque Prouinciæ, quàm Magdalenæ, cuius perennibus monumentis ac dudum ſpectatæ ſanctitati derogatur, ideò probationē iſtam aggredior, & cauſam illius ago, quam Chriſtus ipſe defendit. Eminebit itaque de tot ſæculorum voluminibus, quæ mihi replicanda ſunt; eminebit, & fœlice appulſu Lazarū fratrem oſtendet Hominem ſibi ſuperſtitem, è funebri ſudario ad Maſſilienſes inſulas vocatum, ex vmbra tumuli ad Eccleſiæ lucē, è pheretro ad Thronum, Lazarum illuſtrem cinerem & rediuiuum. Offeret vtique Maximinum Aquenſibus, Antiſtitem illum qui gradibus ærumnarum ad ſacrum imperium conſcendit, & Epiſcopi lituum exilij cruce quæſiuit, tetigítque Salyorum Aquas, vt meliori Baptiſmatis aqua irrigaret, ne ſicut apud nos ſulphurati fontes ſubterlabuntur, & calidiores balneæ ſcatent, ita cupiditatum flammis exureremur.

Venienti Magdalenæ occurres, Archipræſul Meritiſſime, quippe incredibili ſcilicet virtutum ſimilitudine primis Antiſtitibus affinis. Quid enim pietatem illam commemorem, qua poteſtatem temperas, vt quibus præes, magis prodeſſe poſſis? nullum excidere tibi diem ſine beneficio ſinis, vt nullus ſine radio dies Soli præterfluit; & prolixâ munificētiâ lachrymas illorū abſtergis, quos ipſe

nunquam

nunquam vidisti, longiúsve tuæ manus medendo porriguntur, quàm oculi videndo pertineant. Quid celebrem eximiam mansuetudinē Maiestate condîtamènam in Sapientiæ sede ac Salomonis solio Leonem exhibes qui vinci nequit; & Agnum qui nocere nescit. Tuorum probitatem ita laudas, vt laudatio imperij locum obtineat, ita improbos arguis vt emendatio ipsa obsequium videatur. Quid in conseruando Petri patrimonio, & Christi sanguine vigilantiam extollam? Qua nimirum id efficis, vt ne pretiosi Cruoris stilla, & sacrorum redituum nummus tua inscitiâ dilabatur? Interea dum Vir beneficentissimus, quæ tua sunt, hæc veluti aliena æstimas, eadémque multorum esse vis, cùm tuipse sis omnium, nec tibi, sed charis ouibus eximius Pastor magnam animam impendis. Sic Bretelij modò, nil à Maiorum claritate degeneres, Legi & Regi constanter dimicant, Christo & Principi Christianissimo miro animorum consensu deseruiunt. Namque dum viâ lacteâ, cœlum ipse virtutibus petis, consanguinei tui Castrensem gloriam quærunt; dum Altari, & Deo affixus es, illi vel in fœderatis vrbibus resident, ac Regio nomine Regni negotia obeunt, vel apud Tectosages rebus forensibus extra Ordinem Præpositi sunt, vel Rothomagensis Supremæ Curiæ principes sedent, vt Senatoria toga, militari Sago, & sacra Trabea vsquequaque magnitudinem Gallicam explicetis. Huc accedit non mediocriter confirmasse te Diœcesim ciuilium bellorum iniquitate, atque imminentium hæreticorum astu toto sæculo tentatam. Enimuerò miramur Religiosissimum Præsulem qui vicos, & oppida quotannis suis ipse passibus illustret, ac legibus coram instituat, atque insuper auxiliares copias submit-

tat eiusmodi virorum, quos ore beato illices populus aure sequitur, plausibus excipit non tam succussarum manuum, quàm singultantium pectorum, sine assentatione laudat lachrimis pietatis, & nouis ad Deum conuersionibus salutat. Sic Apostoli à Christo missi ad excursiones vtiles mundo, latè vitiorum turmis piam vastitatem inferebant. Cæterùm id maximè decebat; tantus vt esset illorum Antistitum successor, quibus Aquensis Mitra gradus fuit ad Thiaram, è Salyorum videlicet Aquis, Petri Piscatoris successores hæredes, & celeberrimi Pontifices extiterunt.

Nunc me inclytus sancti Seruatoris Clerus, vbi tot lectissima capita, quot homines adlecti, nunc suorum Præsulum corona, & quod raró accidit, pretiosa multitudo stupore circumfundit. Nón huc tamen affero multos ex Aquensium Canonicorum cœtu ad verticem illum euectos, quo præter Diuinitatem ipsam, & summum Pontificatum nihil augustius, nempè Cardinales Eminentissimos, quorum purpura colore virtutis effulsit, & Christianæ dignitatis lucem per Orbem vniuersum latissimè propagauit. An Episcopos prædicem istius Ordinis, & Senatores, quos ex illustri Clero ad primos forenses Magistratus morum integritas intulit, vt Imperatorium Codicem Euangelio, & Iustiniani Leges, Christi religione sancirent? Ita Prouidentiæ consilio effectum, vt omnes delibatæ Purpuræ fontes ad exornandam Aquensem Ecclesiam communibus riuis affluerent. At si contemplari lubet sacros homines in Choro, quî tandem eos appellem? negotiosas apes in alueari, quæ diuinarum laudum mel ore suo depromunt; sydera in Cœlo rerum altarum commentatione fixa, æternos vigiles in Dei spe-

cula,

cula, oculos in Cleri capite inſomnes? Angelos potiùs dicerem ad vtrumque Arcæ latus Chriſto præſentes, niſi Elogiorum auxeſim, & nominum pompam veritatis amore defugerent. In hoc certè Principe templo, ſi vſquã in Gallia, magnis impenſis Chori muſicorum perpetui ſunt, vt dum varietati fidium humanæ voces concinunt, audientium pietas præclaris vocibus conſentiat, & ſuauiſſimè moduletur. Hîc acutiorum vocum ſublimitas, cœlo animam infert, grauium multitudo ſacrum horrorem conciliat, concors mediarum diſcordia motus vehementiores temperat, & mirabilis harmonia homines cum ſuperis coniungit. Superſedeo pleriſque aliis memorandis, & vnum illud adiicio, viuere hodiéque Canonicos Proceres, qui dignitatem impleant magnis virtutibus, ſuggeſta eruditis concionibus, vrbem miris exemplis, & Prouinciam ipsúmque Regnum ſui nominis celebritate. Viuit hac idea vniuerſus Clerus, & oppidula Sacerdotes mirantur maioribus infulis decorandos.

Ad tantum igitur Antiſtitem, ad pios Proceres, & perinſignem Clerum, Magdalena velut ad tutiſſimam ſtationem è tempeſtatibus venit. Archipræſul, qui reſiſtentibus improbis ſemper fuiſti adamas, nunc accedenti Diuæ magnes eris, & Chriſti conſanguineos exules huc velut è naufragio appulſos sãcti Seruatoris munificẽtiſſima Domus iure merito excipiet. Tũ vnà ibimus ad ſacri Montis faſtigium, & Antrum proni ſalutabimus intimam adhuc pietatem ſpirans, hoſpitalem illam rupem, tramitem à mundi natalibus inuium. Portum vbi anchoram Magdalena Cœlum verſus proiecit; Viſendum ſaxum cuius latices lachrymæ, Leænæ rugientis lamentabili clamore Deúmque mouentis ſpeluncam, ſupremum

telluris

telluris punctum, Altare in quo nobilis Victima triginta perpetuis annis inarsit, ac denique secundum Caluariæ montem summissè venerabimur. Hîc Magdalena moriens vixit, & inter cœlestes Angelos, non imparē fœminam ostendit, inde vt viuens ac testis sui funeris occumberet ad sanctū Maximinum tunc Aquis degentem magna ecstasi rapta, accepit Præsulis manibus sacrum ferculum, & Deo vitæque suæ immortua est. Hunc ego fœlicē spiritum in vestro templo, vltimum illud suspirium in antiquissima, S. Seruatoris ædicula legam, Illustriss. Archipræsul, Sacri Proceres, Inclyte Aquensis Clere, & maioris alterius exituri operis de Cassiano adhuc inter homines ænigmate, nobilique, sed ignoto fausta exordia præmittam. Vincite fabulantium hominum artem, religionis auitæ monumentis, & Viuite.

Diuæ

DIVÆ MAGDALENÆ
PROVINCIÆ RESTITVTÆ.

ELOGIVM.

QVàm pretiosus lacrymarum liquor,
Ex hac disce quisquis nescis.
Tot prauæ libidinis faces ardebant in Magdala,
Vt orbem incenderent,
Nisi in clementiæ pelagus incidissent.
Viuacibus Saluatoris obruta fluctibus,
Fatalia extinxit incendia;
Et amarulentæ Salsedinis Osculis Bibula,
Doloris lachrymas stillauit,
Quas amoris torcular exprimeret:
Peccatricem,vt credidit,mœrore personatam Pharisæus,
Insidiosum contempsit voluptatis illicium.
Verùm quàm candidus esset,
Non sine rubore didicit aliquando,
Patrocinante Deo,hospitis ad censuram.
Perierat plurimùm de pretio,Rori gemmeo,
Nisi in nobile conchylium incidisset.
Excipitur Christi gremio.
Et ne terendum diutiùs Pharisaico iaceret in puluere,
Nobile Margaritum,
Diuino commercio, Massiliensibus creditur,
Id est peritissimis gemmariis,
Tradendum posteris, fœnoris in vsuram.
Hi quo seruarent accuratiùs, aureo vellere pretiosiùs,
Inter aëra pendulâ reponunt in pyxide.
Et ne Iason adrepat nouus,
Insopito tradunt Draconi custodiendum.
Si mauis,Aula est, spelunca sanctissima,
In qua conuiuantibus Angelis,lacrymas propinauit.
Aut spectandum orbi Theatrum:
Vbi anteactæ vitæ catastrophem exhiberet,
In exemplum.
Fallor,Cathedra est,ex qua vt è suggestu Apostolis suppar,
Christi fidem prima SALVIS promulgauit,
Inuidit Criticus nescio quis tantum Prouinciæ decus,

Iudas & Pharisæi Antidico Magdalenitarum coryphæi.

Alludit, ad speluncam, in pyxidem efformatam.

Hic ille est, quem deinde S.Martha occidit, vulgò *La Tarasque.*

ii Dúmque

Dúmque illustris lapilli radios
Commentitiæ antiquitatis tenebris nititur extinguere,
Encaustum suppeditat,
Vnde plurimus illi fulgor accedat.
Aptasti bellè has tenebras *Margarito*,
Commenti vindicator egregie,
Vt patriæ coronam illustrares,
Hoc saltem fortunatissimus
Vt quam Deus ipse, à Simonis calumnia vindicauit
Illi tu detractam à Criticis Apostolicæ pietatis laudem,
Cumulatissimè restitueres.

Alludit ad Gemmatam Prouinciæ coronam.

P. CORNELIVS ROSSIGNOL, Aquensis, Societatis IESV.

CONTRA IMPORTVNOS CRITICOS, qui B. Magdalenam ad Prouinciam venisse negant

EPIGRAMMA.

QVàm lepido testes antiquos iure requirunt,
Qui vestram, ô Salyi, Magdalin esse negant.
An sunt capti oculis? an vox fugit altior aures?
En saxa ostendunt, en monumenta canunt.
Vana fides hominum. Esto. Saltem credite saxis.
Non leuis est tanto pondere nixa fides.

P. SIMON BEC, Sistaricensis, Societatis IESV.

NEGANTI DIVAM MAGDALENAM, in Prouinciam venisse Iudicium.

SOmnia, si credas, cœlis Oracula missa,
Falsáque Pontifices Numinis ore loqui?
Reges esse leues, plus æquo credere Doctos,
Fallere, quæ constant, tot monumenta, probes.
Tot sanctos errasse viros, atque integra Regna,
Nullius humanam ponderis esse fidem:
Te solum, quisquis sis, plus sapere omnibus. Esto.
Aduentasse nega MAGDALIN ad SALYOS.

P. FRANCISCVS D'AGRAIN, Rodumnensis, Soc. IESV.

De aduentu D. Magdalenæ ad Portum Massiliensem. ODE.

QVæ cymba cursu præpete diuidit
Tumultuantis marmora Nerei?
Secura despectat per altum
Æquoreas fluitare moles.
Nymphæ per orbem carbasa deferunt,
Libántque primis oscula fluctibus,
Auent recedentem carinam
Rorigero tenuisse collo.
Audītis? an me ludit amabili
Stridore velum? Magdala concinit,
Dum ventus impellit citatim
Transtra leui tremebunda flatu.
Describe pennis Eure volucribus
Quàm fausta nobis nomina Magdalæ
Quæ dona, quas merces Eois
Cymba refert pretiosa conchis.
Grauem sacratis relliquiis opum
Sionis istuc deuehimus ratem
Cæcísque Phocæos cauernis
Poscimus hospitium Colonos.
Inhospitalis saxea verticis
Sedes amicos nunc decet Aduenas,
Defessa non præstat labantes
Membra focis reuocare vires.
Hærere pulchris non iuuat vrbibus,
Nec arua malis quærimus aurea,
Nec flexuosa tuta portu
Littus amat placidum carina.
Munita syluis per iuga montium
Abire nostris hospitibus placet,
Atque hoc cauernarum recessu
Æthereas superare sedes.
Istac patebunt sydera conuenis,
Sacrata tellus cælicolûm pede
Gaudebit æternum columnâ
Magdaleum retinere nomen.
O spes labantis Magdala sæculi,
O laus secundæ maxima patriæ
Tuere dumosâ perenne
Rupe domos Salyúmque portus.

MATTHÆVS RVFFY, Aquensis, Soc. IESV

Errata sic emendanda.

PAgina 2.numero 3.Aamularius,Fortunatns, lege Hamulatius Fortunatus. Ibidem cum ipso Magdalena, l.& cum ipso Magdalenam. Pag.4. Magdalenæ dicta,l.Magdalene.Pag.5.n.2.Audatiá, l.Audaciá.Ibid.eandem, l.eamdem.Pag.11.n.17.Magdaæ,l.Magdala.Pag.12.n.18.auersa, l.auersari. Pag.13.n.2.multarúmque,l.multorúmque.Ibidem n.3. conmigrarit, l commigrarit.Pag.17.n.7.submersam,l.subuersam.Ibid.æcteri, l.cæteri. Pag.21. n.9.quandam,l.quamdam.Ibid.in margine Petania, l.Petauius. Ibid.n.10. tendere,l.tenderet.Ibid.vti,l.vsi.Ibid.vniuersos,rebus,l.vniuersos tanquam dux exercitus,& in rebus. Pag.24.n.13. planè vt perspicuè, l.& perspicuè. Pag.26.n.4.fictitia,l.fictilia.Ibid.cuius natalis,l.cùm natalis.Pag.27.vel ne à maioribus,l.velut à maioribus. Pag.33.cythiam,l.Scythiam.Pag.40.omnia pennes,l.omina.Pag.43.Maximum,l.Maximinum.Pag.44.fronde,l.frōdet.Pag.45.iussa,l.iussæ. Ibid.expectauit,l.expectanti.Pag.46.religionis,l.religioni. Pag.48.Comites,l.Comitis. Pag.49. in margine, protrosti, l.protrepti.Pag.70.accurati, l.accuratè. Pag.72.rancotem,l.rancore. Ibid.nobis, l.vobis.Pag.75.capitis sui,l.capitis mei.Pag.91.domnum,l.domum.Pag.94. Bilingæ,l.Dilingæ. Pag.99. lætabile, l.lethabile. Ibid. siuit uper,l. iuit super.Ibid n.70.eligit,l.tetigit.Pag.100.sumno, l.summo. Pag.113.Diœcæsi, l.Diœcesi.Pag.115.Propositi,l.Præpositi.Pag.117.illa quæritur,l.ille quæritur.Pag.120.Illustrissimus,l.Illustrissima. Pag.122. Ludouici II. l.Ludouici XI.Pag.131.cœlestem,l.cœleste.Pag.134.constit.l.constitit.Pag.135.maximi,l.maximis.Pag.138.descinerunt, l.desciuerunt. Ibid.pudititiæ, l.pudicitiæ.Pag.149.n.3.exportato,l.expectato.Pag.153.Paucas,l.paucos. Pag.172. Ecclesiæ,l.Ecclesia.Pag.174.illum,l.vllum.Pag.175.vrbem,l.orbem.P.182. opido, l.oppido.Pag.185.præstaret,l.præstarent. Pag.187. Basilici, l.Basilicæ.Pag.192.versus,l.versu.Pag.194.exciui,l.exciuit.Pag.199.actibus, l.artibus.Pag.constutis,l.constitutis. Pag.221.ἐγχθν, l.ἐχθὸν. Ibid. versatur,l.versatus.Pag.228.cum rebus gestis exoculari,l.exosculari. Pag.229. possit, l.possint.Pag.232.ipsius Ecclesiæ,l.ipsam Ecclesiam. Pag.234.in spinosi,l.si spinosi.Pag.329.haymneo, l.Haymone. In numero paginæ 171. l.141. & ita emendandum in reliquis.Ibid.pectoris,l.pectori.Pag.244.thebricosis, l.tenebricosis. Pag.245. Aquensis vrbs, l.Aquensi vrbe. Pag.247. pendere, l.perdere.

MAGDALE

INDEX OPERIS.

§4.

ẽ 2 BREVIA

BREVIARIVM
PRÆCIPVA DISQVISITIONIS CAPITA COMPLECTENS.

Magdalenæ domus Sanmaximinensis, & certitudo reliquiarum eius stabilitur.

PRIMÒ. *Literis Apostolicis.*

Ex tabulario Cœnobij Massiliensis S. Victoris, cuius olim pars & membrum fuit per septingentos circiter annos Domus illa Sanmaximinensis.

1 GREGORII VII. an. 1018.
2 BENEDICTI IX. an. 1040. in Bulla consecrationis Ecclesiæ per sanctum Ysarnum Abbatem instauratæ S. Victoris Massiliensis, cui 23. Episcopi in Bulla nominati interfuerunt præsente omni Clero, necnon Abbatum, & Monachorum caterua, simul & Prouinciæ Principibus Gofredo & Bertranno, & Massiliæ Vicecomitibus VVillelmo, & Fulcone plurimisque aliis diuersorum graduum, & vtriusque sexus fidelibus Christianis ferè decem millibus.
3 VRBANI II. an. 1095.
4 PASCALIS II. an. 1114.
5 INNOCENTII II. anno 1136.
6 HONORII III. an. 1218.
7 NICOLAI III. an. 1278. Romæ 11. Idus Februar. Pontificatus an. 1. Extat & alia eiusdem Pontificis Bulla approbationis Religiosi Ordinis Pœnitentium S. Magdalenæ Massiliæ instituti, anno 1277. Vide infrà cap. 20.

Ex tabulario Conuentus Regij Sanmaxim. FF. Prædicatorum, qui iam illam eamdem Domum in suas familias, legitimè cooptatam habent, ab anno 1295.

7 BONIFACII VIII. an. 1294. & 1295.
8 BENEDICTI XI. an. 1304.
9 IOANNIS XXII. an. 1317.
10 GREGORII XI. an. 1376. Huius erga ædem Magdalenæ Sanmaximinensem egregia fuere studia.
11 MARTINI V. an. 1418.
12 EVGENII IV. an. 1441. & 1435.

13 Nico

13 Nicolai V. an. 1450.
14 Sixti IV. an. 1477. & 1482.
15 Innocentii VIII. an. 1489.
16 Ivlii II. an. 1504. Is sacram ædem adiit cùm Cardinalis Legati munere fungeretur Auenione.
17 Leonis X. an. 1515. & 1521.
18 Adriani VI. an. 1523.
19 Clementis VII. an. 1523. Is cùm Massiliam adnauigasset Magdalenæ reliquias veneraturus, sacram Ædem Sanmaximinensem inuisit, & in eius ara maiori sacris operatus est. *Ex eius Bulla.*
20 Pavli III. an. 1548.
21 Ivlii III. an. 1550.
22 Marcelli II. an. 1555.
23 Pavli IV. an. 1556.
24 Pii IV. an. 1560.
25 Pii V. an. 1565. Et in Bulla approbationis Breuiarij Romani, anno 1568.
26 Gregorii XIII. an. 1575.
27 Clementis VIII. in Bulla approbationis Breuiarij Romani, an. 1602.
28 Vrbani VIII. in Bulla similis approbationis, anno 1631.

His adde si lubet Pseudopontificum diplomata.

Clementis VII. an. 1379. & 1380.
Benedicti XIII. an. 1406. vterque Auenione commoratus, peregrinando, dicitur ex itinere digressus religionis causa ad Aram Sanmaximinensem Magdalenæ.

VRBANI S. D. N. Papæ VIII. Elogium de S. Maria Magdalena Massiliensi Aduena. Ex Libris Odarum, siue Carminum

Ode de S. Maria Magdalena.

STROPHE III.

AMor periculi nescius horridi,
Vt morte præstat fortior,
Frustrà, trementis æquoris,
Iudæa frendens, obiicit procellas
Te neci damnans: moderantis aspera
Nautæ Phaselus, non ope remigis,
Velíue, currit humidas pelagi vias.
Se placidis sternunt fluctus, se lucidus æther
Nube carens, ventísque serenat.
Iam Paphon, atque Rhodon,
Certas linquit, iam Zacinthi littora,
Et Cephalenum legit, Actiásque
Prospicit oras.

ANTISTROPH. III.

O! quæ trecentis hæc freta nauibus

Regina sulcans, Cæsarem
Armis lacessens, vltimam
Regnis parabas Italis ruinam;
Patrio pulsam late Magdalenam,
Si fluctuantis ludibrium maris
Escam futuram piscibus, nunc cerneres,
Cælicolas inter diuini nectaris haustu
Sublatam, super æthera vesci,
Deliciisque frui
Cœlestis aulæ; Quid tibi mentis foret?
Quid decor formæ, Phariúsque fastus,
Septraque prosunt?

EPODE III.

En, luce functa, habes pudendam regij
Solum nominis, atro
Regni è funere gloriam.
Nec læta vixisti superstes,
Vix vna puppis reddidit
Te patrio profugam Canopo.
Conderis & viuens latebris abstrusa sepulchri,
Coacta mox lethum, colubri morsibus,
Vltrò subire, Cæsaris
Subducenda triumpho.

STROPHE IV.

At Magdalene per Siculum fretum,
Rabiem Charybdis prætetit
Secura, finésque Italos
Egressa, tendit Gallicas ad vrbes.
Huc Dei nutu, Superúmque ductu
Appulsa, portum Massiliæ tenet
Noménque Christi Gentibus dissеminat.
Hinc abrupta colit pendens in montibus Antrum
Quod frontem prope sydera tollit:
Hîc gemit, & lachrimat:
Hîc Angelorum cœtibus canentium
Astat, hîc vna meditata Christum
Se quoque nescit.

ANTISTROPHE IV.

O me patrato crimine sordidum,
O me iacentem respice,
Dux alma pœnitentium,
Te Christus audit;
Nam tuis sepulchro
Excitat fratrem precibus: Furentis

Te

Te de Draconis faucibus eximit,
Et limpidas è rupe lymphas elicit.
Salue cara Deo rupes, fons inclyte salue,
Iam Pindi mihi culmina sordent,
Tu, sacra lympha, precor
E corde prome lachrymas pro carmine.
Execror myrthum, mihi det coronam
Ramus oliuæ.

EPODE IV.

O ter beatum, qui dolore percitus
Vitæ turpiter actæ
Labes fletibus eluit.
Virtutis in regno, vel ipsis
Vero referta gaudio
E lachrimis oritur voluptas.
Nil tamen in tuto mortalibus vltima donas,
Recludat ora quique torpens, gloria
Perennat vna Cœlitum
Extra vulneris ictum.

SECVNDÒ. *Regum ac Dynastarum studiis, & Religione.*

CLODOVÆI Francorum Regis, supplicis ad reliquias, & aram Sanctæ Marthæ Tarasconensem, an. 498.

THEODORICI Comitis Narbonensis, & Prouinciæ, Fundatoris Ecclesiæ Pignanensis, Magdalenæ sacris pignoribus nobilitatæ, Canonicorum Regulatium S. Augustini, an. 503.

VILLERMI GERAVDI an. 937. Regno Arelatensi, sub Bosone Præfecti. Ex Alphonso Delbene. De Regno Burgundiæ, lib. 3.

CAROLI II. an. 1284.
ROBERTI an. 1317.
LVDOVICI I. & IOANNÆ, an. 1351.
LVDOVICI II. an. 1399
RENATI an. 1480.
CAROLI III. an. 1481.
} Regum Ierusalem, & Siciliæ.

LVDOVICI XI. an. 1482.
LVDOVICI XII. an. 1500.
FRANCISCI I. an. 1516.
LVDOVICI XIII. an. 1621.
} Regum Christianissimorũ

ANNÆ, Britanniæ Franciæ, Ducissæ anno circiter 1480.

ISABELLÆ ESTENSIS Ducissæ Mantuæ, an. 1517.

S. LVDOVICI Tolosani Episcopi, filij Caroli II. an. 1290.

RENATI Principis Sabaudiæ, an. 1519.

GERARDI 3. Comitis Rossillonæi.

RENATI LVXEMBVRGII, Ducis Mercurij.

LVDOVICI Valesij, Principis potentissimi, & Comitis Alensis, & aliorum, de quibus fuse copioséque Tabularium Sanmaximinense.

TERTIÒ.

TERTIÒ. *Traditionibus, & testimoniis Scriptorum.*

SÆCVLO I.

Anno Christi 44. In Gallias è Palæstina traiiciens cum sociis Magdalena, in oras Prouinciæ maritimas appulit, ad ostia secundi & interioris aluei Rhodanini, vbi sacellum, votiuum vt arbitror, Beatissimæ Virgini, pro vita & salute corporis integra incolumíque seruata, noui Coloni excitarunt, quod ex illorum appulsu, *Domina nostra de Ratis, siue de Mari*, deinceps posteri appellarunt: *Ex Epistola S.Cæsarij Arelatensis Episcopi ad Cæsariam sororem & Clerum Arelatensem; scriptionis edita anno* 502.

Sedem illic ac sepulturas sibi delegerunt Maria Iacobi & Salome. Magdalena cum Lazaro, Martha, Maximino, Cedonio, Massiliam adnauigauit, vbi solitudinum secessus tres, maximè frequentes habuit: Suburbanum, Aquilegiensem, & montis, qui Balma dicitur. Extant in his ad perpetuam rei memoriam, tres Monachorum celeberrimi Conuentus, Cassianitarum, nunc Sancti Victoris in Suburbano Massiliensi: Carmelitarum in Aquilegiensi, Dominicanorum in monte Balmæ. Obiit Aquis Sextiis, anno ætatis 80. Christi 84. Sepulta iacet, & venerationi habetur in pago Villæ latæ, quem posteri, à sancto Maximino ibidem cum Magdalena sepulto, Sanmaximinum dixere: *Ex Annalibus & Tabulis Ecclesiasticis Phocensibus.*

Ædis ergo S.Victoris Massiliensis initia, ex appulsu S.Lazari, & veneratione eius reliquiarum, ac Sanctorum Innocentium, quorum reliquias Hierosolymis asportasse Magdalenam Massiliensem aduenam, plurimorum sacrorum voluminum testimonia produnt. *Ex Bulla Benedicti IX. an.* 1040. *totidem penè verbis.*

Eodem tempore fundata est à S.Martha, Ecclesia Auenionensis. *Ex Bulla Sixti IV. per quam mutata regulari forma, Canonicos Dominæ nostræ à Domnis, Auenionensis, in seculares traducit.*

SÆCVLO II.

Sacellum & Ara S.Magdalenæ, quod etiam nunc extat in Hypogæo Ecclesiæ sancti Victoris, fundatum iam erat tempore Antonini Pij, anno 140. Martyres enim quibus ibidem Aræ excitatæ fuerunt, Victor, Hermes, Adrianus: & qui Superiorem Ecclesiam construxit S.Cassianus, longè inferiores ætate, Antonino Pio fuerunt. *Ex eadem Bulla Benedicti IX. & vetere Sanctorali eiusdem Cœnobij S.Victoris Massiliensis, Iulij* 22.

Hegesippus vicinus Apostolicorum temporum, in quinque libris suæ historiæ Ecclesiasticæ de Aduentu Magdalenæ in Gallias, pro testimonio scripsit anno 167.

SÆCVLO

SÆCVLO III.

Anno Christi 254. contigisse inuentionem quandam reliquiarum Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Maximini, & Marcellæ Virginis, in Vrbe Aquensi Galliæ, testatur Iulianus Petri, in suo Chronico, scriptionis editæ anno circiter 1100. aut 1118. de quo infrà capite 17.

SÆCVLO IV.

Scripsit item de eodem aduentu Flauius Lucius Dexter, in Chronico. *Ex Francisco Biuario qui legitimum, & non suppositititium Dextri fœtum illum esse plurimis argumentis, & autorum testificationibus demonstrat ad annum Christi 48. eiusdem Chronici.*

Hoc eodem sæculo de Christi Lachrima, quam Magdalena, Hierosolymis Massiliam asportarat, per Constantinum Imperatorem, Constantinopolim delata: tum iterum in Galliam tempore Henrici I. Regis Christianissimi, anno 1028. reportata, & etiam nunc in Cœnobio Sanctissimæ Trinitatis Vindonicensi venerationi habita, fidem faciunt: *Tabularia eiusdem Cœnobij Vindonicensis, & Conuentus Massiliensis Patrum Franciscanorum de Obseruantia. Belleforestius in Chronographia, Emanuel Pachier in vita S. Lazari.*

SÆCVLO V.

Votum Clodouæi Regis Francorum, ad aram S. Marthæ Tarasconensem, eiúsque reliquias nuncupatum, anno circiter 498. *Ex Baronio, Molano Gaguineo, & aliis quos citatos habes capite* 17.

Anno 430. S. Cassianus, Massiliæ, Sacelli locum, & ædem illam tempore Antonini Pij constructam, & iam olim frequentatione Magdalenæ, & reliquiis Lazari nobilem ac religiosam delegit, vt Cœnobium conderet, quod postea eodem rogante, vt fertur à maioribus natu, à Beatissimo Leone Romanæ Sedis Antistite, Legatione publica è Galliis accersito consecratum, & eius Apostolica benedictione atque autoritate sublimatum est. *Ex Bulla citata Benedicti IX. ad verbum.*

SÆCVLO VI.

Instrumentum authenticum fundationis Ecclesiæ Pignanensis, sacris Magdalenæ reliquiis nobilitatæ, Canonicorum Regularium S. Augustini per Theodoricum Comitem Narbonensem, & Prouinciæ, filium Clodouæi Regis Francorum. Scriptionis anno 517. In eius Ecclesiæ dedicatione sacris operati sunt:

S. Cæsarius Archiepiscopus Arelaten.

S. Honoratus Episcopus Massilien.

Cyprianus Episcopus Telonensis.

Didymus,

Didymus Episcop. Regien & Archiepiscop. Aquen. cuius nomen excidit. *Ex eiusdem Ecclesiæ Pignanensis Tabulario.*

Instrumentum fundationis Parthenij cœnobij Arelatensis, cui S. Cæsarius Arelatensis Episcopus Fundator, Sororem suam Cæsariam præfecit Antistitam, eique Prioratum attribuit nostræ Dominæ de Ratis, à Rate, seu naui qua è Palæstina Magdalene, cum cæteris in illas Prouincias oras traiecit. Scriptionis anno 508. *Ex Pontificio Arelatensi, & Tabulario eiusdem Cœnobij Parthenij.*

His ferè temporibus cùm Monachi Cassianitæ Massilienses, in Balmæ spelunca, Eremũ condidissent: Moniales eiusdem Ordinis in ima eius montis radice domicilium, quod S. Zachariæ dicitur, fixere; tum aliæ deinceps haud procul Magdalenæ domo Sanmaximinensi, in Artacellam, Parthenium Cœnobium nunc etiam nobile, ac notum commigrarunt. *Ex tabulis Monasterij S. Victoris Massiliensis scriptionis edita ann.* 1016. & 1062.

SÆCVLO VII.

Sarracenos in Galliam irrumpentes, & sacra profanáque omnia diripientes Monachi S. Victoris Massiliensis, qui iam fundati cœnobij Sanmaximinensis, & Prioratus sanctæ Balmæ potiebantur, Magdalenæ reliquias cœlarunt, & locis abstrusissimis recondiderunt, & custodierunt. *Ex Tabulis authenticis. Scriptionis anno* 700. *die* 16. *Decembris. Quæ Tabula in Concilio Episcoporum, & Abbatum, semel iterum ac sæpius explorata, ac recognita asseruantur in Tabulario Conuentus Regij Sanmaximinensis.*

SÆCVLO VIII.

Anno Christi 745. desolata Aquensi Vrbe à Sarracenis, Corpus B. Magdalenæ, Gerardus quidam Burgundiæ Comes, ad Cœnobium Viceliacum à se constructum transtulisse dicitur; quæ translatio quamuis fide vacillet omnino, & commentitia sit, tamen ex eo tempore, Magdalenæ aduentum in Gallias & eius sepulturam Sanmaximinensem constanti fama atque omnium sermone celebratam fuisse, scribunt *Sigebertus, Molanus, Guisius, Antoninus, Paradinus, Fasti Ecclesiæ Æduensis & Senonensis*, & alij passim Christiani orbis illustrium Ecclesiarum.

SÆCVLO IX.

Hamularius siue Amularius Fortunatus S. R. E. Cardinalis & Episcopus Treuerensis Alcuini discipulus, scripsit affirmatè de Aduentu Magdalenæ in Gallias. *De quo Autore Baronius ann.* 813. 830. *& nos cap.* 17.

SÆCVLO X.

VVillermus Geraudus filius Hugonis Marchionis Italiæ, Præfectus totius

tius Regni Arelatis sub Rege Bosone, dimisso exercitu Arelatem proficiscitur. Hinc cùm Rex abesset, is enim erat Massiliæ, in itinere antrum in quo D. Magdalena pœnitentiam egit siue sanctam Balmam visere statuit, ibique summas Deo gratias agere ob res prosperè gestas. *Anno 935. vel 937. In Historia de Regno Burgundia Transiurane, & Arelatis autore Alphonso Delbene Episcopo Albiensi, lib. 3.*

SÆCVLO XI.

Extant Pontificiæ Literæ Gregorij VII. Benedicti IX. de quibus supra, quæ de fundato Cœnobio Sanmaximinensi loquuntur.

In Instrumento authentico Dedicationis Ecclesiæ Aquensis Sancti Saluatoris, clarè dicitur Petrum Archiepiscopum Aquensem, congregatis quibusdam comprouincialibus Episcopis apud Aquas Sextias, consecrasse Altare in honorem S. Maximini & S. Magdalenæ, quòd ambo primi Aquensis Ecclesiæ fundatores extitissent. *Dies adscripta. 7. Idus Augusti sed an. 3 duntaxat supradictum* 1100.

Sacrificium cum cerimonia fecerunt.
Petrus cognomento Gauffredi Monachus S. Victoris Massiliensis, ex Perillustri Vice-comitum Massiliensium familia, Archiepiscopus Aquensis.
Gibelinus, Archiepisc. Arelatensis.
Petrus, Episcopus Cauallicensis.
Berengarius, Episcopus Foroiuliensis.
Augerius, EpiscopusRegiensis.

Fulco Præpositus.
Hugo Archidiaconus.
Bremondus Sacrista.
Goffredus & Petrus. Archipresbyteri.
Hosbertus, Petrus, Hugo.
VVillelmus, & alij Canonici, } Aquẽses.

Floruit hoc eodem tempore Marianus Scotus, cuius Chronici, VValtenus non sectator modò, sed penè interpres, Magdalenam Massiliensem Aduenam in suo Fasciculo temporum tuetur ac defendit.

Sigebertus, nobis suffragatur, quem in hanc temporum seriem refert *Iacobus Gautherius in sua Chronologia.*

SÆCVLO XII.

Michaël Glycas, Magdalenam Massiliæ vixisse scribit tomo 3. Annalium. De eo vide quid sentiam cap. 17. Huic ætate suppares Cedrenus & Zonaras qui nobis aduersantur, vt aiunt Critici. Sanctæ Marthæ reliquiæ, quas olim propter furorem Sarracenorum, æquè atque Magdalenæ & aliorum Sanctorum, vt supra vidimus, passim in Prouincia cælari oportuerat, & in crypta inferioris templi Tarasconensis, habebantur sepositæ & reconditæ, diuinitus inuentæ sunt anno 1118. In superiori verò templo inscripta in muro habetur eius consecratio per Imbertum Archiepiscopum Arelatensem, & Rostagnum Auenionensem, anno 1187,

in alta locatæ eiusdem S. Marthæ Reliquiæ, & decentiùs reconditæ sunt

Sæcvlo XIII.

Anno 1272. Massiliæ instituitur Religiosus Ordo Pœnitentium S. M. Magdalenæ à Bertrando ciue Massiliensi, & viro sanctissimo, quem deinceps latiùs propagatum Nicolaus III. confirmauit.

Anno 1281. Magdalenæ Lipsanothecæ, quæ per octoginta super quingentos annos, in obscuro loco & ignoratione hominum latuerant, indiciis cœlestibus à Carolo II. Rege Siciliæ inuentæ, cui plurimi Episcopi & Abbates, in Synodo Prouinciali coacta, certitudinis reliquiarum exploratores ac testes luculenti accesserunt.

Guillelmus Longus, ex Cancellario Caroli II. Regis, creatus à Cœlestino V. Cardinalis.

Grimerius Archiepisc. Aquensis	Iuo Cluniacensis.	Abbates.
Mauritius Archiepisc. Narbonensis	Astorgius S. Ægidij.	
Bernardus Archiep. Arelatensis	Pontius Aquæ-bellæ.	
Item Archiep. Ebredunensis, cuius nomen excidit.	Bertrandus Syluecanensis.	
Raymondus Episcopus Aptensis	Guillelmus Francarũ-Valliũ.	
Petrus Episcopus Sistaricensis	Arnaudus Vallis magnæ.	
Bertrandus Episcopus Foroiuliens.	Alphonsus, Toroneti.	
Guillelmus Episcopus Venciensis	Guillelmus Sinanquæ.	
Raymondus Episcop. Carpentoract.	Bernardus Syluæ Regalis.	
	Ioannes Regalis Vallis.	

Quorum testimonia & approbationes Bonifacius VIII. Benedictus XI. & alij deinceps, quos numerauimus, Romani Pontifices, rescriptis suis & autoritate Apostolica firmarunt. *Ex Tabulis Sanmaximinensibus.*

Student sententiæ nostræ scriptores huius sæculi, Vincentius Bellouacensis, Martinus Polonus & alij magno numero qui ætati nostræ vicinioribus temporibus pro nobis etiam scripsere. *Habes citatos inter Historicos & interpretes sacros, cap. 17.*

Sæcvlo XIV.

In attestatione authentica (scriptionis editæ anno 1448. & ab ipsa Inuentione reliquiarum 160.) Synodi coactæ, superiori sæculo 13. Sanmaximini, recognita sunt indicia & argumenta inuentarum ibidem reliquiarum Magdalenæ. Huic subscripsere.

Petrus, Comes de Fuxo, Cardinalis Legatus Auenionensis.

Rogerius Episcopus Tarbensis.

Accursius de Passis Vice-gerens Curiæ Apostolicæ Auenionensis.

Ioannes Inisam Vicarius & Officialis Archiepiscopi Auenionensis.

Hoc eodem tempore in Oppido Trimariano territorij Arelatensis, inuentæ sunt reliquiæ Sanctarum Mariarum Iacobi & Salomæ. Facultas perquirendi

quirendi huiusmodi reliquias, per literas impetrata à Nicolao V. Tum eius autoritate, coacta Synodo, per Cardinalem & Legatum Auenionensem. Petrum de Fuxo, inuentioni adfuerunt, eique tanquam certæ & authenticæ subscripserunt, testes viui ac præsentes, anno 1448. aut 1449.

Petrus de Fuxo Card. & Legat. Auen.
Robertus Archiep. Aquensis.
Nicolaus Brancassius, Episc. Massil.
Antonius, Episcop. Arausiens.
Petrus Episcopus Aptensis.
Ioannes Episcopus Trecensis.
Gampsius Episcopus Vapincensis.
Tristanus Episcopus Conseranensis.
Guillelmus Episcop. Carpentoract.
Petrus Episcopus Diniensis.
Palamedes, Episcopus Cauallicensis.
Guillelmus Episcopus Grassensis.
Petrus Episcopus Glandatensis.
Poncetus Episcopus Vasionensis.
Petrus de Lacu S. Victoris. Massiliens. } Abbates.
Arnaldus de S. Felix S. Ægidij. } Abbates.
Ioannes Eustachius.
Guillelmus de Harancourt. } Protonotarij.
Ioannes Hueti. } Protonotarij.
Maronius de Riciis. } Protonotarij.

Et alij magno numero Theologiæ Doctores. Aderant cum Rege Renato & eius vxore Isabella Regina, tum viri tum fæminæ principes, & aliorum quatuor hominum millia.

QVARTÒ. *M. M. SS. Codicibus.*

Vaticano, quem sequitur Baronius, anno 35. & 44. & in Martyrologio 22. Iulij. Aquensi gemino, Arelatensi, Auenionensi, Narbonensi, Sanmaximinensi, Tarasconensi, Trimariano, Sanctæ Balmæ, Tolosano & alio Anonymo apud Bzouium. Item Magno Chronico Belgico. Vide cap. 17. & 18.

Adiuti autem sumus hac in re MM.SS. & aduersariis quibusdam Perillustris D. Domini de Chastuel in Aquensi primaria rationum Curia Regij Procuratoris, viri in recognoscendis antiquis monumentis non solùm acerrimi, verùm etiam exercitatissimi iudicij. Et Ornatissimi D. Henrici Suarez iunioris Auenionensis, Iuris designati Doctoris & Patroni, quem & in aliis causis benè peritum, & in hac nostra multum & sæpè versatum experti sumus. Vt eorum non laudare operam, & erga me officia plena suauissimi studij ad defensionem nostræ Massiliensis Aduenæ Magdalenæ ingrati esset animi.

QVINTÒ. *Martyrologijs.*

Romano, 22. Iulij. Gallicano ibidem, apud Andræam de Saussay virum egregiè doctum & virtute præstantem; Item ex Martyrologio Franciscanorū eiúsque Commentariis Autore P. Arturo Recollecto Rothomagensi: Odonis Episcopi Treuerensis, Primulis Cabilonensis, Philippi

Ferrarij, Molani & aliis, de quibus nos capite 17.

SEXTÒ. *Antiquis Breuiariis, omnium penè Illustrium Ecclesiarum.*

Italiæ. Ex Bulla Pij V. vbi de his qui Breuiarium Romanum concinnarunt affirmat. *Ab antiquis Breuiariis Nobilium Vrbis Ecclesiarum & Bibliotheca Vaticana non discessisse, grauésque præterea aliquot eo in genere Scriptores sequutos esse, remotis his quæ aliena & incerta essent.*

Galliæ. *Apud Robertum, in Gallia Christiana, de Sancto Lazaro Massiliensi Episcopo.* Hispaniæ, *Apud Binarium, Commentariis in Dextri Chronicon, ad annum Christi* 48. Angliæ, *Apud Baronium, Ioannem Hispanum, Candenum. Vide infrà caput* 16. & 17.

SEPTIMÒ. *Cœlo missis Oraculis.*

1. Carolo II. Regi Ierusalem & Siciliæ.
2. Ioanni Viterbiensi, Magistro Ordinis Prædicatorum Generali, & Comitiis Cardinalium quæ inter Nicolaum III. & Martinum II. anno 1280. habita sunt, electo Romano Pontifici.
3. Fratri Eliæ, Gallo eiusdem Ordinis. Viris dignitate, prudentia, & sanctimonia præstantibus.

OCTAVÒ. *Miraculis, & maximis virorum mulierúmque concursibus, qui quotannis, cateruatim populatímque, Magdalenæ Domum Sanmaximinensem Religionis causa interuisunt.*

Ex quibus liquet, in id genus historicis disceptationibus, ex ipsis Ecclesiarum fontibus, à quibus traducem fidei, & semina traditionis cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt & quotidie mutuantur; non ex imperitæ turbæ rumusculis tanquam riuulis longè latéque diffusis ac dissipatis, hauriendà esse rationum momenta & argumenta causarum. Atque hoc adeò Phocensibus nostris Historicis concedendum est magis, vt de Magdalenæ suæ reliquiis, quod adhuc est suspiciosum, reipsa perspicuum faciant, quàm cæteris aliena lingua loquutis, ac personarum, locorum, rerúmque de quibus inquiritur, gestarum, ignaris.

Tertullianus lib. de præscript. aduersùs hæret. *Primò per Iudæam contestata fide in Iesum Christum & Ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eamdem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgauerunt, & proinde Ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ, cætera exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant.*

facti. Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originẽ suam censeatur necesse est. *Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, vnam esse illam ab Apostolis primam, ex qua omnes. Sic omnes primæ & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem. Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis: quæ iura non alia ratio regit, quàm eiusdem Sacramenti vna traditio. Hanc igitur dirigimus præscriptionem.*

Cyprianus de vnitate Ecclesiæ. *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque vna est quæ in multitudinem latius, incremento fœcunditatis extenditur: quomodo solis multi radij, sed Lumen vnum: & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum: & cùm de fonte vno riui plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exundantis copia largitate, vnitas tamen seruatur in origine: Auelle radium solis à corpore, diuisionem Lucis vnitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præcisus arescet. Sic Ecclesia Domini Luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, vnum tamen Lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur: Ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latiùs expandit: vnum tamen caput est & origo vna, & vna mater, fœcunditatis successibus copiosa.*

DOCT

DOCTORVM THEOLOGIÆ FACVLTATIS PARIS. APPROBATIO.

Historia de Aduentu D. Magdalenæ in Gallias, & Massiliam appulsu, à plusquam mille & sexcentis annis transacta ita tuta, & communi omnium populorum consensu propalata, & tot miraculis confirmata, vt probatione non egeat, susurronibus tamen, & malè de hoc aduentu sentientibus frænum, vt imponatur, Disquisitio hæc R. P. Ioannis Baptistæ Guesnay, Societatis IESV, à Summorum Pontificum Bullis eruta, & tam validis rationibus roborata, palàm prodire potest, cùm nihil nisi creditu dignum asserat; ita nobis almæ Theologiæ Facultatis Parisiensis Doctoribus visum fuit. Lugduni, die 17. Maij, anni Domini 1643.

FR. STEPHANVS MOLIN, Carmelita. Fr. PAVLVS LOMBARD, Carmelita.

CENSORVM IVDICIA.

Tractatum de B. Magdalenæ in Galliam Narbonensem appulsu, à R. P. Ioanne Baptista Guesnay, Societatis IESV Theologo, scriptum, in quo nobilissima controuersia multiplici eruditione, & authenticis tabulis, & veteribus Prouinciæ monumentis definitur, & vetus traditio sanctè confirmatur, atque antiqua Gallorum pietas plurimùm commendatur, dignum luce, & eruditorum oculis censemus adscripti, ex eadem IESV Societate Theologi. Lugduni Kalend. Maij, anni 1643.

IOSEPH. GIBALIN. CAROLVS DV LIEV. FRANCISCVS DAIX.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi.

ANTONIVS MILLIEVS, Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianiss. Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant: permittit Hieronymo De la Garde, vt Librum cui inscriptio est Magdalena Massiliensis aduena, siue, De Aduentu, &c. Auctore P. Ioanne Baptista Guesnay, eiusdem Societatis, à tribus Theologis visum, & approbatum ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit, & nemo alius citra eiusdem facultatem, sub pœnis in eodem Priuilegio contentis. Datum Auenione 20. Ian. 1643.

ANTONIVS MILLIEVS.

MAGDA



MAGDALENA MASSILIENSIS ADVENA:

SIVE

DE ADVENTV MAGDALENÆ in Gallias, & Maſſiliam appulſu.

DISQVISITIO Theologica-Hiſtorica.

Occaſio ſermonis, & in rem præparatio.

1\. Ic mihi conſiliū,morbos animi Criticorum, ignorantiam, & Spiritū ſingularitatis,quantùm ad præſentem controuerſiā ſpectat,cum ſtudio perſequi,&quæ ſanari poterunt,quacunq; rationeſanare. Vtinā,vt res obſcura eſt,& difficiles explicatus habet,ita operę pretiū fecerim. Et anxietates quidē ac pericula huius muneris, non videmus tantùm, ſed ea fugit etiam, & reformidat oratio. Cùm enim, in morbis corporis, is maximè morbum cognoſcat, & ſentiat, qui patitur, iſque maximè omnium ſanari cupiat, medicum accerſat, & deſiderio ſanitatis, nullum quamuis amarum, atque ingratum reiiciat medicamentum: in animo contra omnino euenit, vt infirmus, præ omnibus, morbum ignoret, & imbecilliùs horreat dolorem ac medicum, difficiléque curationem admittat. Quare, in eo præcipuè curationis huius elaborare debet induſtria, vt medico ipſo ſuadente, morbum certiùs agnoſcat æger, & medicamentum ſecuriùs aſſumat; & ſuadendum imprimis, quod Baſilius in regulis breuioribus docet, peritos medicos.

Baſil. in regul breuior. reſp. 28.

medicos habere interdum signa quædam latentium morborum, qui alios, & ipsum infirmum latent, quare illis potiùs credendum, cùm præsertim superbia, & amor proprius in infirmitatibus nostris agnoscendis, grauissimè impediant. Deinde ad examina diligentiora pervrgendus, tum signa quæ iam illi indicanda, quæ negare non possit, quanquam talis morbi signa esse non nouerit, vel non aduertat. 2. Id verò ipse, vt efficaciter ad susceptorũ nostrorum bonum præstare possim, quæcumque ad Magdalenæ Massiliensis Aduenæ historiam pertinere videbantur, siue in Prouincia, siue in tota Gallia, alibíue extarent certissima monumenta, magno labore conquisita, decerpsi, eóque ordine digessi, vt quæ sunt fidei, sine metu, adhibendæ præsidia, singulis articulis, membrisque adiecerim: Contra verò, quæ aliena essent firmæ & constantis assensionis, à communi placito nostro sententiáque remouerim: Tanta equidem, nisi me fallo, perspicuitate & euidentia, vt de iis modò ambigere ac dubitare sit nefas.

3. Quippe rem esse, iam inde ab Apostolis, summa cum fide, à maioribus velut per manus & ætates ad nos deriuatam, argumentis & indiciis certissimis commonstrauimus, nec ea perantiquis duntaxat Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Breuiariis & M M. SS. codicibus, sed historicorum quoque veterum ac scripturæ interpretum autoritatibus nixa est. De iis enim, plurimi, & quidem insignes viri, & doctrina, & virtute, & rerum humanarum experientia ac præcipuè etiam historiarum peritia S. Hegesippus, S. Cæsarius, Lucius Dexter, Aamularius, Fortunatus, Sigebertus, Martinus Polonus, qui Græculos duos Zonaram, & Cedrenum nobis aduersarios, vt Critici hallucinantur, tempore præcesserunt, & Michael Glycas eisdem ætate suppar, non modò præluxere nobis in sententia, de Aduentu Magdalenæ in Gallias: sed ita laudarunt, vt de tam testata, exploratáque historia, addubitare neminem posse existimarint, nisi forte Criticum, qui ex hominum genere eximere velit humanam fidem. Sed, præ omnibus est, autoritas Sedis Apostolicæ, quæ diligenti examine, doctissimorum æquè atque sanctissimorũ virorum, iterum & sæpius præmisso, traditionem hanc nostram, & certitudinem Magdalenæ Reliquiarum San-maximinensium frequentissimis literis, quas dabimus infrà, Vniuersæ Ecclesiæ, non confirmauit modò, verùm etiam persuasit. Postremò accedit ipsa Experientia spiritualium auxiliorum, & ingentis ac prope incredibilis vtilitatis, quæ ex harum reliquiarum veneratione colligi solet, vt præter vetera, quæ non magis quam noua, pene quotidie illucent miracula, diuinus omnium pectoribus, nescio quis incutiatur horror, ad sanctæ Balmæ ingressum, ex quo abeuntibus nouum semper inicitur eius reuisendæ desiderium, & illa frequens perditarum profligatarúmque mentium in diuersa mutatio. Adeò nemo est, quamuis sceleratus & improbus, qui si Ædem Magdalenæ, aut solitudinem adeat, non statim Deum cum ipso Magdalena, eiúsque præsentissimam in periculis cuiuscunque generis opem, adesse sentiat.

4. Adiungo ignorantiæ, spiritum singularitatis, alteram in elatis, & inflatis animis causam, opiniones nouas cudendi, aut defossas educendi in apertum, ac renouandi. Sunt enim ingenia quasi extra ordinem, quæque scientiarum

ſcientiarum dixeris velut Iſmaëles, quorum manus contra omnes, & omnium contra ipſos; & è regione vniuerſorum fratrum ſuorum figentes tabernacula. Faſtidiunt, quæcunque aliis placuiſſe animaduertunt, & anticipata quadam opinione, de inſulſitate communium ſententiarum ac leui earum expugnatione facilè pronuntiant: quoad verò placita propria, & ſingularia, ita ſibi abblandiuntur, & eorum venuſtati lenocinantur vt ipſis quidem iudicibus nihil contra obiici veroſimiliter poſſit. Atque hunc ſemper fuiſſe, præſertim Appionum, ſeu nouellorum Magiſtrorum genium obſeruat Maior, & (quæ non illepida eius eſt in hanc rem comparatio) iis pares facit, qui perfrigida hyemis tempeſtate, vix ad ignem accedunt quin ſtatim accipiant tenaces, & aliquid moueant, nec patiuntur, ab aliis compoſitam lignorum ſtruem manere. Similiter Hilarius, grauiſſimè expoſtulat, de importunis & ineptis, id genus, literaturæ venditatoribus quos ait *placita magis quàm docenda conquirere, & corrumpere ſanctitatem fidei, dum ſecundùm deſideria ſtudiorum potiùs, quàm ſecundùm Euangelicam fidem coacernant doctrinam; auribus enim prurigine incitatis, dum per audiendi impatientem oblectationem, ſub nouella deſiderij ſui prædicatione ſcalpuntur, ipſi penitus ab auditu veritatis alieni, totos ſe fabulis deſtinant, vt iis, quæ loquuntur veritatis ſpeciem acquirant, dum quæ vera ſunt, & loqui & audire non poſſunt.* Maior.2. ſent. tent.

5. Iſtum ergo morbum, grauiſſimũ, & eò periculoſiorem eſſe exiſtimo, quò ſpecie quidem firmandi Eccleſiaſticam veritatem, quaſi præiudicatis ex autorum numero ſententiis, ſine examine penitiore, turbatam, religioſior & ſanctior videtur; cùm cæteroqui multo magis politiam Eccleſiaſticam turbet, & Hierarchiam conuellat ſpiritus ſingularitatis, cuius diſſenſionibus, à capite membra abiunguntur, & clancularijs ſuffoſſionibus, Summorum Pontificum autoritas vocatur in diſcrimen. Nec alia eſt origo exitij, magnæ partis hæreticorum, præſertim eorum qui non hæreſim à prima ætate combiberunt, ſed electione in erroris foueam præcipites ruunt: quod non tacuere, qui hæreſeon natales veſtigant, Alphonſus à Caſtro, Stapletonus, aliique eiuſdem argumenti tractatores. Vide ſis Gregorium in moralibus, vbi præter cætera, de iis malè feriatis Palæmonibus *Communem*, inquit, *ſcientiam habere refugiunt ne cæteris æquales æſtimentur, occulta vel noua ſemper exquirunt, quæ dum alij neſciunt, apud imperitorum mentes ipſi de ſcientiæ ſingularitate glorientur.* Et Saribſerienſis in ſuo Metalogico. *De Magiſtris*, inquit, *aut rarus eſt aut nullus, qui Doctoris ſui, velit inhærere veſtigiis. Vt ſibi faciat nomen, quiſque proprium cudit errorem.* Eſt enim, cùm, aliis quibuſuis in rebus, tum maximè in ſententiis, & diſquiſitione rerum abditarum, neſcio quæ, naturæ impetu inſita laudis illecebra, quæ ad deſpiciendos alienorum ingeniorum partus, propria autem inuenta magnificienda, inconſultos abripit animos, & quia amor in bonum, & pulchrum fertur, ea quæ ipſi amare tanquam propria fixum habemus, boni & pulchri ſimilitudine adumbramus, ſic blandientes nobis vt, præ pudore deinceps, ſuperbia plerumque ac typhus animi, quanquam conſcios falſitatis (quod nouorum iuxta ac veterum Hæreticorum praxi confirmatum habetur) nos veritati

Alph. lib. 1. cont. hæreſ. c. 11. Stapleт. Orat. de cauſis graſſat. hæreſ. Gregor. lib. 5. Moral. c. 18.

Augus. lib. 1. ad Iulian. c. 5.

cedere aut errorem abiicere vix ac ne vix quidem patiatur. Hinc illa S. Augustini ad Iulianum Pelagianum, *Ostendis, quantum in malis humanis valeat eò quenquam fuisse progressum, vbi manere non libeat vnde iam redire pudeat.*

Isid. Pelu. lib. 2. Ep. 108. Fulgent. in conc. aduersus Fastidios.

De Zosimo Sacerdote Monacho, Isidorus Pelusiota, & de Fastidioso itidem Sacerdote, & Monacho, S. Fulgentius locuples testis est, idcirco defecisse, ab Ecclesia, & Religioso statu ad Arianismum, quod nouitatum nimio studio, & effrænis libertatis amore cæcati, vellent sibi vt liceret sentire, quidquid liberet. Sed & iam olim Irenæus coarguit dissolutam Gnosticorum consuetudinem, qua, plerique ex iis recentiores, affectarent per singulos dies nouum aliquid adinuenire, & fructificare quod nondum quisquam excogitauerat.

Irenæus lib. 1. c. 18.

Abrumpo orationem (quod de inuidioso argumento non possim videri protulisse nimis pauca) quam quidem, aspirante Deo, & Magdalena, quorum totum hoc opus est, quorúmque ope maximè nitimur, non tam mihi scribenti grauem, quàm ipsis Criticis legentibus salubrem, ac frugiferam spero futuram. Ea quippe, viri prudentes, pari atque in eadem laude ponunt, vt ait Cassianus, primò errorem penitus non incurrere, secundò bene repudiare. Quod idem, aliis verbis Augustinus contra Cresconium sententiam, inquit, falsam nunquam tenere, prima laus est: secunda, mutare. Quanquam etiam magna spe, & prope explorata, curationis huius causam suscipimus, quia cum eius gentis & genij Critico agimus, cui pacta retractare, & quod dictum fuit, indictum esse velle, perquam familiare, ac patriæ legibus statum esse dicitur ac solemne.

Cassian. lib. 1. de Incarn. c. 4. August. lib. 3. cont. Crescon. c. 3.

CAPVT I.

Vna fuerit, an plures, de quibus Euangelistæ meminerint, Magdalenæ?

1. Non fuit apud Veteres de historia Euangelica Magdalenæ consensio, quidam enim, vnam duntaxat, alij duas, alij tres fuisse credebant. Nec defuere, qui quatuor diuersas mulieres, quæ vnxerunt Christum, apud quatuor Euangelistas, esse contenderent. Ex his, prima censebatur mulier peccatrix, quam Lucas appellat, cap. 7. quæ Christo apud Simonem discumbente, *tulit alabastrum vnguenti, & cæpit lachrymis rigare, capillis tergere, vnguento vngere, & osculari pedes eius.* Vnde Irenæus in multis, quæ solùm Lucam, inter cæteros Euangelistas, dixisse refert, hoc vnum scribit, nempe historiam mulieris peccatricis lauantis, & vngentis pedes Domini. Altera soror Lazari, quæ ante sex dies Paschæ, Christi etiam pedes vnxit, vt habetur Ioannis cap. 12. Tertia quæ ante biduum Paschæ, fracto alabastro, vnxit Domini caput, de qua Matthæus cap. 26. & Marcus cap. 14. Postrema, de qua iterum Ioannes cap. 19. Magdalenæ dicta, quæ Christi passioni præsens fuit, & vnà, cum cæteris, ad Domini sepul

Irenæus lib. 3. c. 14.

ſepulchrum, vnguentum attulit. Eas igitur à diuerſitate temporum, locorum, & vnctionum, diſtinctas omnino fuiſſe, videtur poſſe oſtendi, quod peccatrix, apud Lucam, multo ante paſſionem tempore, & circa prædicationis medium, aut paulò ante, Chriſti pedes vnxerit in Galilæa, in domo Simonis Phariſæi, vt ex his, quæ eo loco narrantur à Luca, intelligimus: altera, de qua Ioannes cap. 12. vnxit quidem ſimiliter pedes, ſed in Bethania, & ante ſex dies Paſchæ, in domo Lazari, & Marthæ: Tertia, de qua Matthæus & Marcus, in eâdem Bethania, biduo ante Paſcha, vnxit caput, apud Simonē cognomento Leproſum *ſcitis*, inquit, *quia poſt biduum paſcha fiet.* Poſtrema quam Ioannes ait, Chriſto patienti præſentem aſtitiſſe, & demortui corpus vnguentis vnxiſſe, in ſepulchro, ſumma ſuauitate conditis, & dicebatur Magdalena. Matt. 26.

2. Theophilactus verò & Euthymius ea de re ita ſcripſere, vt vna & eadem ſit, quæ in domo Lazari, & in Bethania, Chriſti pedes abluit, cum Maria Magdalena, quod atteſtatione Ioannis Euangeliſtæ, immò ipſius Domini, apertiſſimè conſtat, nam cùm in Bethania, eadem ſoror Lazari, vnxiſſet pedes Ieſu, ac Iudas, ob eam cauſam, ei eſſet infenſus: Ieſus ipſe, furentis & parci plusnimiò, diſcipuli, audaciam auaritiámque reprimens, dixit, *Sine illam, vt in die ſepulturæ meæ, ſeruet illud.* Cæterùm eandem ipſam, quæ vngendo dominico corpori, comparata vnguenta ad ſepulchrum attulit, Marcus Euangeliſta, fuiſſe Mariam Magdalenam affirmat, cap. 16. quæ vna cum Maria Iacobi, & Salome, id officij muneríſque perſoluerit, cúmque, nec aliqua apud eum, vel alios Euangeliſtas habeatur mentio, de Maria ſorore Lazari, ad illud munus præſtandum, à Domino præmonſtrata cognoſci facilè poteſt, vnam eandémque fuiſſe Mariam quæ vtroque munere pro dignitate ſit defuncta. Theophy. & Euthy. in c. 26. Matt. 2. Ioan. Cap. 12.

3. Euſebius Cæſarienſis tres fuiſſe aſſerit, nempe duas peccatrices, & alteram quæ Lazari, & Marthæ ſoror eſſet, non peccatricem, ſed religione claram, ac nobilem. Porrò, ſiue duæ Magdalenæ peccatrices (quod minùs probabile eſt) ſiue vna fuit, quod verius: certè Maria, quæ non cognomento Magdalena, ſed Maria ſoror Lazari, & Marthæ in Euangelio dicta eſt, alia prorſus eſſe videtur, & multis eſt viſa, vt ex obſeruationibus Euangelij, quas idem Euſebius collegit, & quiuis colligere poteſt, perſpicitur. Euſ. Ep. ad Marin.

4. Itaque alij duas, non plures fuiſſe exiſtimant, ſed quæ fuerint, inter ſe diſſentiunt. Chryſoſtomus vnam & eandem eſſe ait peccatricem, & eam, quam referunt Matthæus, & Marcus cuius nomen ab Euangeliſtis tacetur. *Hæc*, inquit, *mulier vna, & eadem apud omnes Euangeliſtas eſſe videtur. Meo autem iudicio eadem eſt apud tres ſcilicet Matthæum, Marcum, & Lucam.* Alia verò fuit Marthæ, & Lazari ſoror, apud Ioannem cap. 12. dicta Maria de qua idem alibi Chryſoſtomus. *Intelligendum*, inquit *eſt, non fuiſſe ſororem Lazari, meretricem illam, de qua apud Matthæum, & Lucam ſcribitur, ſed aliam. illæ meretrices infames erant; hæc honeſta, & ſtudioſa.* Chryſ. Hom. 81. in Matt. Chryſ. Hom. 61. in Ioan.

5. Hieronymus duas ſimiliter diſtinguit mulieres, totidémque vnctiones, ſed multo aliter, quia vnam quidem fuiſſe putat, de qua ſcribunt Matthæus, Marcus, & Ioannes, illam verò Lucæ, ab hac eſſe diuerſam. *Nemo*, inquit, Hier. in Matt. c. 26.

putet eamdem esse fœminam qua super caput effudit vnguentum, & quæ super pedes. Illa enim, & lachrymis lauat, & crine tergit, & manifestè meretrix appellatur; de hac autem nihil tale scriptum est, nec poterat statim capite Domini meretrix digna fieri. De ea antem (vt bene monet Toletus noster) cuius meminit Ioannes, quæ etiam pedes vnxit, sed non lauisse lachrymis, nec capillis tersisse legitur, nec meretrix appellatur, nihil dicit Hieronymus, vnde incertum est, an coniunxerit historiam Ioannis, cum ea quæ est Matthæi, & Marci, an verò distinxerit, sentiens cum Origene.

in Luca cap. 7. Annot. 61.

§. I.

Sororem Lazari, & Marthæ, in Euangelio & dici, & esse Magdalenam, præterea neminem.

6. VErùm, omissa ad diuersas partes disceptatione, asserendum est, vnã tantùm eandémque fuisse mulierem, quæ sæpius illum vnxerit, quod censuisse complures, qui ante se vixerunt, scriptores Ecclesiasticos, testatur Origenes, ac nullum protsus extitisse ait, qui de pluribus sententiam adstruere, olim ausus sit. *Multi,* inquit, *existimant de vna eadémque muliere quatuor Euangelistas exposuisse, quia scripserunt tale aliquid de muliere, & omnes similiter, alabastrum vnguenti nominauerunt.* Ideoque re accuratiùs expensa, exploratáque, nihil veretur, primam mentem deponere, atque gloriosam palinodiam recantare, insigni illa, ac tam celebri homilia, de Magdalena, in qua suæ eloquentiæ, súique ingenij specimen edidit non vulgare, sic enim ait in apostrophe ad Magdalenam. *Fortasse nescis, an diligat te, olim te diligebat, & à Pharisæo te defendebat, à sorore tua diligenter excusabat, olim laudabat te, quando vnguento pedes eius vngebas, lachrymis rigabas, capillis tergebas, dolorem tuum mulcebat, peccata dimittebat.* Rursũ sub finẽ hęc habet. *Ploret vnusquisque ad Iesum, quærat fideliter Iesum, quia nõ celauit quærenti se peccatrici. Disce peccator homo, à peccatrice muliere, cui tamen dimissa sunt peccata sua.* Ex quibus intelligere facile possis, Origenem profiteri, vnam eandémque Magdalenam, quæ vnxit olim pedes, in domo Simonis, cum sorore Marthæ, atque illam, quæ appellata Maria Magdalena, ad sepulchrum cum vnguento accessit.

Orige. tract. in Matt. 35.

7. Ambrosius non dubitat, quin eadem sit, quæ vnxit pedes, & caput in Bethania. An verò fuerit illa peccatrix, affirmare non audet, sed sic air. *Potest autem non eadem esse, ne sibi contrarium Euangelista dixisse videantur, potest autem quæstio moueri, & ex temporis diuersitate dissolui, vt adhuc illa peccatrix, ista perfectior, etsi non personam mutat Ecclesia, tamen mutat profectum.* Hæc Ambrosius qui in sua præfatione, quæ recitari solet in Ecclesia, die S. Mariæ Magdalenæ sacro, eandem ipsam, vnámque cum peccatrice fuisse confirmat. Quod æquè demonstrat in libro de Salomone, dum exponit miracula in tribus illis Martha, Maria, & Lazaro patrata, dicens. *Dum largum sanguinis fluxum siccat, in Martha, dum dæmones pellit, ex Maria; dum corpus, rediuiui, spiritus*

Ambr. in c. 7. Lucæ.

Ambr. in lib. de Salom. c. 5.

spiritus calore constringit. 8. Suspensus hæsit diu, ancépsque Augustin. quid super ea re sentiret, vti indicant eius verba, quæ leguntur tractatu quodam in Ioannem. *Ecce ipsa soror Lazari, si tamen ipsa est, quæ pedes Domini vnxit, vnguento, & tersit capillis suis, quos lauauerat lachrymis, mèlius suscitata est, quam frater eius.* Idem tamen, dum hæc ad diligentius examen reuocat, disputátque subtiliùs, veram firmat esse sententiam, quæ adstruit, vnam, eamdémque fuisse sororem Lazari, cum peccatrice. Istud ipsum sæpius profitetur Gregorius, Epistola ad Gregoriam, Augustæ cubiculariam. Item homiliis in Euangelia, nec dissentit Beda in Lucam, Rupertus in Ioannis caput 12. *Hæc*, air, *eadem Maria, soror Lazari peccatrix, eadem, inquam, sicut à diligentioribus tractatoribus veraciter assertum est.* Audi Anselmum, vbi de passione Christi agit, his verbis vtentem. *Tunc Maria Magdalena plus omnibus flere cœpit super Dominum suum, dicens, quis mihi modò peccata dimittet? quis me modò excusabit apud Simonem, & apud sororem meam?* Audi Bernardum, *Ita fœlix*, inquit, *Maria vnxit pedes Iesu, fœlicior eadem vnxit caput auctoris, fœlicissima quæ rorem vnguentarium toti corpori Christi præparauit.* Et tandem concludit. *Quis desperare debeat tanta peccatrice, non solùm veniam, sed & gloriam consequente?*

8.

August. Tract. 49.

August. lib. 3. de consensu Euang. c. 39.

Grego. lib. 6. Epist. epis. 22. hom. 33. & 25.

§. II.

Stabilitur hæc sententia, non modò autoritate Patrum, sed etiam diuinarum literarum testimoniis, & argumentis.

9. HActenus Patrum duntaxat autoritate, de vna, non pluribus Magdalenis, Euangelium meminisse ostendimus, nunc id primùm, communi Ecclesiæ consensu, & rationum pondere momentísque; tum etiam sacræ paginæ, & illustrium Theologorum, testimoniis confirmabimus. Habetur hæc nostra opinio, in præfatione Ambrosianæ Missæ, atque in eam, tacitus vniuersæ Ecclesiæ sensus inclinat, vt ex officio Romano liquet, quod in Ecclesia Latina recitatur, in quo eamdem esse Mariam Magdalenam, & Lazari sororem, & mulierem peccatricem, legimus. Neque verò videtur Spiritus Sanctus permissurus fuisse, vt soror Lazari, & Marthæ insigni quadam nota, atque ignominia illa noua, ab Ecclesia condemnaretur; si peccatrix non fuisset. Rursus dubitat nemo, quin Ioannes Euangelista maximam, in distinguendis personis, de quibus loquitur, adhibuerit diligentiam, quod & perspicuum esse potest iis, qui eius Euangelium diligenter perlegunt. Et tum maximè, cùm plures eiusdem nomen claturæ fuerint, cuique suas notas, & iustum adhibet discrimen. Idcirco, quia plures erant, qui Simonis nomine appellabantur, quoties in eum incidit, qui principatum inter Apostolos tenebat, Simonem Petrum ipsum vocat, nempe, vt certò constet cuius facere velit mentionem; sic & de Ioseph, quod eius nominis quoque plures essent cùm loquitur, propriam notam adiungit, *Ioseph*, inquit, *ab Arimathia*, vt scilicet

ſcilicet hoc diſcrimine certum ſit, de quo Ioſeph intelligebat. Sed etiam, Marias cùm introducit, quæ & plures erant, cuique ſuum adſcripſit diſcrimen, eam quæ Chriſtum genuit, Chriſti matrem appellans, *Maria*, inquit, *Mater Ieſu*, & cùm de ſorore eius loquitur, *Maria*, inquit, *Cleophe*; & tertiam inde Mariam ſubiungens, *Maria* inquit *Magdalene*, & alibi capite 11. *Maria*, inquit, *erat qua vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis, cuius frater Lazarus infirmabatur*, quaſi dicat, Maria ſoror Lazari, fœmina illa erat peccatrix, quæ recumbentis Chriſti in domo Phariſæi pedes vnxit, & terſit capillis, vt interpretatur Auguſtinus libro citato de conſenſu Euangel. Perſpicuum igitur eſt Ioannem in exprimendis perſonis, accuratiſſimum fuiſſe, nempe, vt lectori omnem ambigendi rationem tolleret. Vnde colligimus, quoties hanc Mariam appellat, ſub eodem cognomine, nulloque diſcrimine adhibito, eandẽ omnino fœminam voluiſſe intelligi. 10. At illud feciſſe eum, tribus locis conſtat, ſemel, cùm iuxta crucem eam ſtetiſſe commemorat, *cum Maria matre Ieſu, & cum Maria Cleophe.* Atq; duobus item aliis locis, vbi & cœnæ Lazari in Bethania apparatæ, & ſepulturæ Domini commeminit. Quamobrem, in his tribus locis, neceſſe eſt confiteamur, vnam fuiſſe, non plures Magdalenas. Cæterùm, ea quæ iuxta crucem fuit, id quod Iacobus Faber in tractatu de tribus Magdalenis ingenuè profeſſus eſt, erat Marthæ ſoror, conſequens igitur eſt, vt apud Ioannem, nulla diſtinguatur alia Magdalena, præter eam, quæ fuerat Marthæ ſoror. Conuincitur itidem apud Marcum, vnicam fuiſſe Marthæ ſororem Magdalenam, & eam, de qua Ieſus eiecerat dæmonia ſeptem, conſtat enim ex Ioanne, eam, cui Dominus in Euangelio, ſe primum poſt reſurrectionem viſendum exhibuit, fuiſſe Magdalenam, Marthæ ſororem, ſed hoc ipſo loco Marcus tradit, eam quoque fuiſſe fœminam de qua Dominus dæmonia ſeptem eiecit. Vna igitur & eadem eſt fœmina, quæ fuit Marthæ ſoror, & de qua Dominus dæmonia ſeptem eiecit.

August. lib. 3. de conſen. Euang. c. 79.

11. Ad hæc, abſurdum eſt dicere, peccatricis nomen, ignorari ab Eccleſia, quæ adeo dilexit, adeo à Chriſto laudata eſt, quæ tot charitatis obſequia Chriſto præſtitit. Ergo credendum eſt, nomen illius eſſe notum Eccleſiæ, eſſéque Mariam Magdalenam, ſororem Lazari, vt Eccleſia conſentit, & quidem geſta eadem, idem ardoris æſtus, eadem dilectio, eandem eſſe mulierem ſuadent.

12. Poſtremò, ne quid in hoc negotio prætermittā confirmandæ opinioni noſtræ accommodatum maximè, placet illuſtrium quorumdam Theologorum mentem ac verba proferre. Initium faciam ab inſignibus ſacratioris ſcholæ noſtræ ornamentis, Alberto, & Thoma Aquinate. Ille, ſuper Lucam, de peccatrice diſſerens, an fuerit ſoror Lazari, poſteaquam expoſuit vtriuſque opinionis ſectatores, concludit tandem inquiens. Et ſic pro certo fecit Deus, duo luminaria magna, duas Marias, Matrem ſcilicet Domini, & ſororem Lazari, quam & peccatricem fuiſſe affirmat. Alter, ſuper Ioannem, eandem quæſtionem, & controuerſiam in medium producens, rationes eorũ qui plures fuiſſe Magdalenas opinantur, recenſitas confutat apertiſſimè; tum alio loco vbi Ioannes meminit eam *ad monumentum ſtetiſſe foris, plorantem*,

Albert. Luc. c. 7.

D. Thom. Ioan. c. 12.

Ioan. c. 20.

ploratem, deuotionem eius laudans, Maria, inquit, Magdalena, lachrymis quidem compunctionis abundauit, tempore suæ conuersionis, quando, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, amando veritatem, lauit lachrymis maculas criminis, Lucæ 7. *Dimissa sunt, ei peccata multa, quoniamdilexit multum.* Abundauit etiam lachrymis deuotionis, in Christi passione, & resurrectione, vt habetur hîc. Hæc D. Thomas. Idem censuere Iansenius, in concordia Euangelica, Baronius, Toletus, Maldonatus, Barradius, ac recentiorum scripturæ interpretum pene vniuersi.

Baro. an. 83. n. 6. Tolet. in c. 7. Lucæ Annot. 5. Maldo. in 62. Matt. Barra. to. 2. l. 8. c. 13.

§. III.

Obiecta, contra superiùs dicta, eorúmque confutatio.

13. TVrrianus tamen noster in explorationibus libri tertij Constitutionū Clementis pernegat, ab Ecclesia, definitum hactenus in hac re quicquam esse, sed indicatum duntaxat, quod omnium ferè hominum consentiente autoritate probabilius videtur; vt Clementem suum, de aliqua, erroris aut temeritatis suspicione condemnatum, excusatione tegeret, dum à Maria sorore Lazari, aliam inter mulieres Euangelicas, Mariam enumerat Magdalenam. Locus iste, inquit, defensionem postulat, ne reprehensionem incurrat, quia fortasse non deerunt, quibus falsus videatur. Sed illud primùm admonere necesse, vt omnia caueamus, omnémque scrupulum eximamus, cùm Ecclesia sancta, Mariam Magdalenam tanquam sororem Lazari celebrat, quia scit multos sensisse, non continuò decretum ita in re esse, id est sororem Lazari fuisse, quia scit rursus, multos quoque, magni nominis & magnæ antiquitatis doctores, contrarium dixisse. In hac verò contrarietate, illam partem Ecclesia elegit, quæ secundùm sanctas, & pias rationes probabilior sibi visa est; præsertim, cùm hanc opinionem apud multitudinem populorum reperisset, in qua electione sancta, errare non potuit, siue in re ita sit, siue non. Hîc enim dicendum est, quod Natalis Beda eruditissimus Theologus Parisiensis in confutatione Iacobi Fabri, & Iudoci Clitouei de tribus Magdalenis 3. parte declarationis suæ Scholasticæ (sic enim appellat) Ecclesia, inquit, non errat, quando agit secundùm morales probabilitates & Theologicas, pia enim, quæ opus dirigunt, iudicia vera sunt, & fidei atque prudentiæ effectus. Deinde subiungit, siue vna sit siue non, tamen non errat nunc. Hoc in illos scripsit, qui audebant asserere illam errare, quòd vnam tantùm Magdalenam celebraret, in quo potiùs ipsi errabant. Nemo igitur de cætero mihi molestus sit, si quod Clemens, & multi antiqui autores, cum illo sentiunt, contrario probabile visum. Quando hoc Ecclesia permittit, nullo decreto contrario interposito, sicut ego rursus molestus esse non debeo, illis quibus contraria sententia probabilior videtur. Ego interim Mariam Magdalenam sororem Lazari cum Ecclesia in officio Ecclesiastico voco, & sororem Lazari esse, piè cum Ecclesia dico, sicut ipsa dicit. In hac Ecclesiasticæ praedicationis pietate, error esse non potest, licèt ponamus non esse hac in re quod dicit Ecclesia.

Sed

Sed dicamus iam, quæ ad probabilitatem Scripturæ Clementis pertinent. Hactenus Turrianus.

14. Subiungit argumenta, quibus oppugnatur, nostra de indiuisione sententia, sed non expugnatur: temporum enim ac locorum illa diuersitas, quam opponit, vnctionum quidem differentiam arguit, non personarum, & sæpe Christus diuersis temporibus, & dixit eadem & fecit similia, vt Matt. 12. & 16. petentibus signum de Cœlo, idem responsum dedit. *Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Et illud. *Multi vocati pauci verò electi.* Ex parabola Lucæ 13. & altera vineæ, & operariorum Matthæi 20. & altera nuptiarum filij Regis elicuit. Qua in re plurimùm peccauit Osiander, qui paruas, & parui momenti differentias, & quæ facilè conciliari poterant, sine ratione multiplicauit. Ita posuit duos Centuriones postulantes à Christo sanitatem pueri: duas item Chananæas Christum, pro filiæ suæ à Diabolo obsessæ, liberatione deprecantes, propter exigua inter Matthæum, & Marcum discrimina. Caietanus etiam, negationes B. Petri, quibus Dominum timore abiurauit, sine solida causa, & ratione multiplicauit, cùm debuisset ac potuisset, ea quæ multiplicationes adiuuare videntur, refellere, & quæ inter se pugnabant conciliare. Duas præterea saturationes distinctas, ex quinque panibus, in quinque millia hominum factas, Chrysostomus ex quibusdam minus solidis coniecturis, si attentè res examinetur, in tres saturationes distinctas adauxit. Demus igitur plures fuisse vnctiones, non tamen ex his elicitur, plures fuisse Magdalenas, vna enim & eadem, semel, atque iterum, ac sæpius potuit Christum distinctis vngere temporibus & locis.

Ionæ 2.

15. At reuera argumentum falso nititur principio, vt rectè monet Toletus, neque enim Matthæus, & Marcus affirmant Christum biduo ante Pascha vnctum fuisse, sed vt interpretantur Augustinus, & Beda, cùm iam non seruato ordine temporum dixissent: *Scitis quia post biduum Pascha fiet*, resumpserunt, quæ sex diebus ante Pascha facta fuerant, quæque ipsi ante, quia necesse non erat, minimè descripserant. Nunc quia necesse est, narrant, vt occasionem declarent, quam Iudas aucupatus est, Christi vendendi, quod homo esset auaritia tam ardenti, ac tam effrænatis cupiditatibus, vt ægerrimè ferret, non quidem vnguentum ex vase, sed vnguenti pretium ex manibus suis effluxisse, quod Ioannes magis exposuit. *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.* Non est autem noua Euangelistis, hæc narrationis forma, nam Matthæi 14. Marci 6. postquam narrarunt Herodem dixisse. *Ego Ioannem decollaui, & surrexit à mortuis.* Historiam decollationis descripserunt, quam certum est, tunc iam peractam fuisse; ex occasione enim verbi Herodis, quod factum iam erat, illud narrarunt, ordinémque temporis non seruantes, ad præterita reuersi sunt describenda. Ita nunc factum est, nam propter Iudæ traditionem, quæ facta est post biduum illud, huius vnctionis mentionem fecerunt, quæ præterita iam erat.

Tolet. in Ioan. c. 12. Annot. 2.

Ioan. c. 12. 6.

16. Præterea non obstat, quod Matthæus & Marcus referunt vnxisse caput,

put, & Ioannes, vnxisse pedes, vtrumque factum est: nam & super pedes, & super caput, eadem mulier vnguentum effudit, quod enim vnus prætermittit Euangelista, alium narrare nouum non est. Rectè autem Augustinus perpendit, priùs vnxisse pedes vnguento, quod verò superfuit, super caput effudisse, vase ipso fracto, vt nihil superesset; & hac ratione conuenit cum Marco referente, fracto alabastro, effudisse super caput eius. Si autem priùs effudisset, vngere pedes non potuisset, iam vase confracto: priùs ergo vncti sunt pedes, postea vniuersum vnguentum, fracto alabastro, in caput eius effusum est. Accedit, quod vtraque Cœna in Bethania facta est, & eadem æstimatio vnguenti in illa Cœna effusi, trecentorum scilicet denariorum; eadem item consequuta obmurmuratio, in Iuda quidem, simulata in pauperes misericordia, de quo solo Ioannes meminit; in discipulis verò, de quibus Matthæus, & Marcus, non simulata misericordia, sed vera. Hæc autem Cœna facta est ante sex dies Paschæ, vt ait Ioannes, sed quia ex ea Cœna propter vnguenti iacturam, occasionem cœpit Iudas prodendi Domini, vt mox attigimus, idcirco Marcus, & Matthæus, postquam de consilio Iudæorum ad deliberandum de capiendo Christo, biduo ante Pascha habito, id est feria quarta, meminerunt, opportunè de Cœna illa, & vnctione statim narrarunt, per recapitulationem, quod superius erat prætermissum, ob hanc causam, & in hunc locum reseruatum: quod Euangelistis esse familiare suprà etiam demonstrauimus.

17. Ad id postremò, quod obiicitur, peccatricem illam, cuius Lucas meminit, non fuisse Iudæam, sed gentilem fœminam, & habitasse in finibus Galilææ, & quod à multis creditur, in ciuitate Naim; cùm è contra, de Magdalena, exploratum sit fuisse illam, natione Iudæã, vt ex Marco liquet, dum ait: *Erant autem mulieres, de longè aspicientes, inter quas erat Maria Magd. & Maria Iacobe, & Ioseph Mater, & Salome.* Et cùm esset in Galilæa, *sequebantur & ministrabant* ei, scilicet, quia erant mulieres Galilææ, sequebantur enim, & ministrabant ei, cùm esset in Galilæa. Vnde probabile est dictam esse Magdalenam, à Magdalo, quæ est vt tradũt ciuitas, in vno latere maris Galilææ, siue Genesareth in Galilæa, aut à Magda, ciuitate Galilææ, sic enim vocat Epiphanius presbiter Constantinopolitanus, in vita Virginis Mariæ quam diligentissimè, & grauissimè scripsit, cuius autoris & operis meminit Nicephorus Calistus. In hac ciuitate Magdææ, ait Dominum exceptum fuisse, à Maria muliere diuite, & nobili, Magdalenam intelligere, ex nomine ciuitatis conijcere licet. Ex quo, iam fit, vt illa Maria Magdalena non sit illa Maria soror Lazari, & Marthæ. Hæc enim Iudæa fuit, ex Castello Bethaniæ, quæ vt scriptura testatur: *Quasi quindecim stadiis ab Hierusalem distabat.* Et Ioannes cap. 11. Bethaniam oppidum appellat, Mariæ, & Marthæ sororis eius, quę quidem, vt ait Photius Constantinopolitanus, erat mulier insignis pietate, & Domini pedes vnxit, sine lachrymis, quia erat gratiarum actio, quam adhibebat pro lætitia, & beneficio fraternæ suscitationis.

18. Respondendum est, concesso antecedente, falsam ex eo consecutionem deduci, licèt enim soror Lazari, & Marthæ fuerit Iudæa, tamen

causa mariti, cui nupserat,& cuius erat castellum illud Magdalum, Galilæa fuit aduena denique postquam vir functus est: voluptatum illecebris, delinita pudicitiæ nuntium remisit. Placet aliis, secessum illum in Galilæam, potius meretriculæ ingenio attribuere, cùm de id genus mulieribus loquens diuina scriptura, meretricem dicat *garrulam, vagam & quietis impatientem, nec valentem domi consistere.* Certè eiusmodi mulierculas patriam auersa suam, & alienas quærere ciuitates, quò in omnem libidinem effundantur liberiùs, experientia (vtinam non tam frequens) docet; adeo vt de hac cuius maximè meminit Lucas, Iure dicere possimus, à suis secessisse, & in Galilæam commigrasse. Inde verò factam frugi, atque ad saniora consilia conuersam, ad propria rediisse.

Prouer. c. 7.

19. Corruit seipso, suáque infirmitate labascit, quod à non nemine alio subiicitur, ad firmandam stabiliendámque prioris argumenti fidem. Lege scilicet diuina grauissimè prohiberi, ne qua esset meretrix ex filiabus Israël. Porro Pharisæi, legis diuinæ studiosissimi obseruantes cùm essent, nequaquam sustinuissent in Iudæa, vt filia Israël prostituto corpore, pudorem proderet ac pudicitiam.

Deuterono. c. 23.

20. At inania prorsus hæc sunt, & leuia: quid enim, licèt lex diuina interdiceret esse meretricem in Israël, nonne eadem lex omnia peccata vetuit? & tamen ne dum vilia è plebe capita, sed nec ipsi legis custodes Pharisæi eam obseruabant. Cæterùm, cùm nulla pœna statuta à lege aduersus Israëlitas meretrices, sicut contra adulteras, reperiatur, non esse id generis crimen, quod per iudices puniretur, sed quod haberet tantummodo Deum vltorem, satis apparet. Ecquis verò dubitet, meretrices Israëlitas extitisse, quarum causam, tanta sapientiæ laude, Salomon diremit, nec vllum illis, quod meretricio quæstu alerentur negotium fecit. Mitto alia non pauca, quæ contra superius dicta, liceret obiicere, ad inducendam Magdalenarum diuersitatem, his enim omnibus eruditè, & accuratè respondet Cornelius Iansenius in Euangelica concordia. Error igitur Iacobi Fabri quem Iudocus Clitouæus sequutus est, de tribus Magdalenis, non nouus fuit, sed prius fuit Photij qui falsò sibi visus est, historiam de multiplici Magdalena in Euangelio obseruasse, propter tres varias narrationes apud Euangelistas.

L.3. Regum c.3.

CAPVT II.

Aperitur status quæstionis, & in suas partes tribuitur.

1. Athanasius homilia de semente, acutè argutéque, vt omnia, Christum Dominum agricolæ, Apostolos semenți perexiguæ, in sacris literis conferri, super Lucam, interpretatur. *Egressus est*, inquit, *seminare seminator, quædam per se, quædam per discipulos operatur. Et habes in Actis Apostolorum post lapidatum Stephanum Apostolos dispersos, & quasi disseminatos,*

fuisse

fuisse, non quod imbecillitate disiecti seu fidei gratia ita diuisi essent, sed enim ita dispersi vt seminatoris frumenta effecti sint, ad panem super cœlestem, vniuersúmque orbem peragrantes, viuifica doctrinæ virtutes, efficaciásque disseminauerunt. Ad hanc quoque similitudinem, allusit Leo, sermone de SS. Petro, & Paulo, cùm ait. *Non minuitur persequutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager, segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Et Tertullianus in Apologetico. *Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen est, sanguis Christianorum.* Eodem spectant illa Chrysostomi, sermone in Iuuentium, & Maximum. *Sicut plantæ rigatæ magis crescunt, ita & fides nostra oppugnata, magis floret. Neque horti aquis irrigati, ita germinant, vt Ecclesia, si martyrum sanguine irrigentur.*

2. Quod, cùm in aliis Christi discipulis innumeris, qui non solùm Iudæam ac Samariam, verùm etiam his Palæstinæ finibus egressi, disiunctissimas Prouincias, regiones incultas, barbaras, immanésque nationes peragrarunt, vt in eas, vnius veriqne Dei nomen inueherent; tum nominatim, in sanctissima Magdalena, Martha, & Lazaro deprehendere licet, qui ad Christianam religionem, pro virili parte dilatandam, deserta Hierosolima, in Galliam, discipulorum Christi omnium primi, quod quidem ex veterum scriptorum monimentis constet, penetrarunt; & in extremis regionibus, apud Massiliam Sthœcadésque insulas, sedes suas collocarunt: vt neque interiecti maris immensitas, neque terrarum asperitas, neque syluestris cultus inter gentiles, victúsque inopia, neque barbaras linguas atque horridas intelligendi, discendíque difficultas, neque indigenarum agrestis natura, neque intentata supplicia multatorúmque ante oculos profusus sanguis, ab Euangelij prædicatione quicquam eos deterrere potuerit. Verùm quia res hæc perdifficilis inuestigatu, potiùs breuitate tractanda, aut prope iam senescens, ab obliuione hominum atque silentio, prætermittenda, quàm tractanda vberiùs, atque in veritatis lucem proferenda videtur, communibus antiquitatis Ecclesiasticæ obtrectatoribus, atque omnium inuidis, quibus id tantummodo sapit, quod ipsi condiunt. Et quia, de Magdalenæ aduentu in Gallias, & Massiliam appulsu, non modò suspectam narrationem, sed tanquam fictam, & commentitiam, fidei non rectæ, atque vitiatæ autoritatis insimulant: sanè censoriæ seueritatis nota, qua in eam historiam animaduertunt nouitij Lipsanomastyges, & Antidicomagdalenitæ, ferr inopinatum, & recens quoddam opus esse suppositum, ac partum incerti auctoris.

3. Hæc vt accuratè dispiciantur, perspicuúmque sit, iure-ne aut iniuria Magdalenæ accessus in Gallias, quem sustinemus contra inuidiam, simul & ignorantiam, atque defendimus, improbatus antehac sit, aut in suspicionem vocatus criticulis illis perpaucis, tria mihi præstanda video. Primum, vt de dicessu: an Hierosolymis aliquando conmigrarit Magdalena, & quo tempore, apertum faciam. Alterum de aduentu, vt quam regionem adierit, aut portum appulerit, diligenter excutiam. Tertium de funere ac sepultura, vt non modò penetrasse Massiliam, sed in secessu proximæ solitudinis, sanctissimo fine quieuisse, quod etiam vetus traditio firmat,

mat, & quod hodie indubitatæ eius reliquiæ ibi coluntur, argumentationes probabiles quæram, aut certas coniecturas capiam. His tribus accuratè discussis euincam, vt spero, aliud de opinione nostra, ferendum esse iudicium: nec immeritò, rebus gestis Magdalenæ, quas recensebimus, locum à nobis, inter scripta Ecclesiæ canonica, & agiographa, esse attributum.

CAPVT III.

Post lapidatum Stephanum deserta Hierosolyma in dispersionem gentium, Magdalena excurrit.

1. VEram causam repulsæ Iudæorum, à iustitia, & salute, non aliam fuisse, quàm infidelitatem in Christum, nos Apostolus potissimum docet, ad Romanos scribens. *Offenderunt in lapidem offensionis, sicut scriptum est, ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali.* Isaiam laudat c. 28. & allegoricè de Christo interpretatur, qui Ecclesiam, quæ die Pentecostes cæpit in Sion, & cuius ipse, lapis dicitur esse angularis, duos quasi parietes, Iudæorum, & gentium populos, inter se solidissimè connectens. Sed lapis offensionis, Iudæis fuit, in vita, quemadmodum exponit Augustinus, quod ipsi sua incredulitate in eum impegerint: post resurrectionem verè, petra scandali, quod vt grauis petra super illos cecidit, ac per Titum, & Vespasianum contriuit. Tum infra. *Expandi manus meas tota die, ad populum incredulum, qui graditur in via non bona, post cogitationes suas.* Nempe ad Iudæos, quos iam inde ab initio muneribus omnique officiorum genere leniebat, totamque vitam suam, in iis iuuandis apud Deum, virtutúmque ac doctrinæ rudimentis imbuendis, consumpserat docendo, ac præsertim manus expandit in cruce, ait Theodoretus, vt eos, ad se etiam moriens, quamuis ab eis occisus, alliceret, & amplecteretur. Sed frustrà, quia Iudæi Christo increduli, ac sequentes cogitationes suas, Moysi ac legi adhærere pertinaciter voluerunt.

Ad Rom. c. 9. 30.
Num. 16.
August. in psal. 45.

2. Idcirco iusta, & grauis impietati pœna subinde consequuta. *Iudæorum*, inquit, *delictum, salus est gentibus, vt illos æmulentur, delictum eorum, diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum, diuitiæ sunt gentium.* Spretis enim ob crudelitatem atque incredulitatem, & repudiatis Iudæis, sarsit hanc Ecclesiæ perniciem, & iacturam, dum alios pro his, filios Abrahæ substituit, qui eius res, multò etiam magis, & augeant, & illustrent. Sic Achis Rex, inquit Arnoldus, expellit Dauidem. Et maior seruire debet minori vt exponit Arator: & iuxta Isidorum, ac Rupertum in Genesim. Manasse, minorem Ephraim, Iacob in benedictione præposuit. Quo sensu, dictum ab eodem Apostolo, accipit Augustinus, *vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur*

Rom. 11. 11.
Tract. de 7. verb. Christi
in bene. 25.
Act. 13. 46.

mur ad gentes. Quod Angelus, non in terra Iuda, sed in area Areunæ Iebusæi, altare, ad sacrificium pro salute populi erigi præcipiat, repræsentatum habes in Petro, qui Ecclesiam Romæ, ac sedem Pontificiam Cathedra eius lignea, adhuc ibidem est in honore, nobilitata miraculis) repudiata Hierosolyma instituit: tum quia propter Iudaici populi perfidiam, & scelera, funesto ac prope deposito casu ruitura erat, quod quidem citra dispendium nouellæ plantationis, contingere vix potuisset: tum etiam, ne conclusa gratia, & circumscripta putaretur, vt olim, limitibus, sed potius sparsa per vniuersum orbem, gentibus cohæredibus, è nationali, & contracta, efficeretur Catholica, & vniuersalis.

3. Id iam non obscurè prædixerat Christus, cùm de vitiis, & supplicio Iudæorum loquutus, *Ierusalem, Ierusalem*, inquit, *quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Refert Iosephus de bello Iudaico, sacerdotes ante Hierosolymitani templi excidium, voces in eo audiuisse, videlicet Angelorum aientium, *Migremus hinc.* Migrarunt vtique ipsi Angeli, vnà cum Deo, & relicta est domus deserta, cùm eorumdem Angelorum instinctu, afflatúque diuino commigrarunt etiam Apostoli, in quorum animis, eò vehementiùs exarsit sedulitas, maturandi hanc fugam, quò certius, & exploratius habere cœperunt, se destinatos esse, ad clausas omni antiquitate vias, ac terras aperiendas, easque Christianis factis, & fidei luce imbuendas gentes, quas hactenus laterent diuina omnia, crassis occultata, & circumfusa tenebris scilicet: Imus, inquiunt, taciti animo, imus, & sequimur vocantem Deum. De quo Lucas, *sic enim præcipit nobis Dominus. Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ.* Quare, ad id genus officij præceptum, erecti simul omnes, sollicita expectatione pendebant, & quam sibi quisque sortiretur prouinciam, expetentes, tantæ rei operiebantur euentum.

Matt. 23. 37.

Lib. 7. de bello c. 12.

Act. 13. 47.

4. Petrus Ecclesiam, hoc tempore, autoritate magis, quàm imperio regebat, vir vel sanctitatis, miraculo, vel Christi vicarij suprema, qua fungebatur, dignitate venerabilis. Is, ac cæteri duodecim, consulto interiùs per preces Deo, ita Prouincias sortiti sunt inter se, vt Petrus ipse, Romam, Paulus Græciam, Andreas Achaiam, Ioannes Asiam minorem (cuius frater ac Zebedæi filius Iacobus, Apostolatum suum iam glorioso Martyrio decorauerat) Philippus Phrygiam, Bartholomæus Scythiam, Thomas Indiam, Matthæus Æthiopiam, Simon Persidem, Thadæus Mesopotamiam, Matthias Palæstinam adiret. Præterea ex discipulis, quos congregasset Deus in Euangelium, placuit eidem seniorum concilio, in laboris partem vocare, & in dispersionis ac peregrinationis communem ordinem conferre. Missus Euodius, nunc quoque peruenit Antiochiam, Damascum Ananias, Marcus Alexandriam, Philippus Diaconus Cæsaream; Nicomediam Prochorus; Lucas in Bithyniam; in Cyprum Barnabas, cum Nicanore; Parmenas Philippos, in Macedonia, Timon Corinthum, ac Titus in Cretam, Timotheus, Ephesum, Thessalonicam Syluanus, & Demas,

Megaram

Megaram Hermogenes, Athenas Narcissus, Agabus, Antiochiam, Tychius cum Onesimo, & Epaphra Colossas, Sosipater Iconium, Aristarchus Apameam, Philemon Bazam, Zenas Diospolim. Quid de religiosis deinceps mulieribus dicam? quas in hac parte etiam eximias fecit virtus, & scilicet illa, nutum, non modò imperium præuertere, solita obedientia, Synthiche discipula (de qua Paulus ad Philippenses meminit,) Philippos, Romam Phœbe, quam Apostolus sororem suam, & ministram Ecclesiæ Cenchrensis appellat, Priscilla vxor Aquilæ in Galatiam, Iopem, Tabitha. Aliô denique alij in quorum tanta copia incredibile sibi negotium capiat, qui singulos stylo campleċti velit.

5. Nobis sat erit in Magdalena nostra laudare, quod omnium, præterquam obedientiæ immemor, ad hanc capessendam, communem cum aliis discipulis fugam, & exilium perferendum promptiùs etiam cum Lazaro, Martha paruerit, quàm iuberetur, nulláque interposita excusationis venia, ad iter, non laboriosum magis, quàm periculosum parauerit se, vt summæ illi in obsequendo alacritati, Deus remotas procul Occidentis oras aperuisse videretur.

6. Vnus ex omnibus, quæ Dei benignitas fuit, Iacobus Alphæi, frater Domini, idémque iustus dictus, Hierosolymis constitit, à Petro ordinatus eiusdem vrbis Episcopus. De eius Cathedra Episcopali adhuc superstite, temporibus Constantini, Eusebius scripsit. Adeo non spreuit omnino, ac pro derelictis habuit Deus Iudæos, vt domestica semper apud eos esse voluerit sanctitatis exempla, quæ æmularentur. Quò spectant Apostoli, verba citatæ Epistolæ ad Romanos, & alibi ex Isaia. *Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus.* Quod allegoricè de Christo, aut Christi doctrina Paulus interpretatur, quia, nisi Deus in illa communi, & vniuersali vastitate Hierosolymitana, ex Iudæis paucos aliquos, quasi reliquias, & semen gentis (vti Noë fuerat semen generis humani) conseruasset, fecissétque superstites, periisset vniuersus Israël, & vt Sodoma, pleno atque irreparabili casu elisus attritúsque corruisset. Tanta enim Hierosolymæ æquè ac Sodomæ fuit impietas, vt Iosephus dicat: Puto, quòd si tunc Romani contra noxios venire tardassent, hiatu terræ deuoranda fuisset ciuitas, aut diluuio peritura, aut fulminum ac Sodomæ incendia passura. Multò enim magis impiam progeniem tulit, quàm illa protulerat. Hanc igitur Spartam suam exemplis, & sermonibus Iacobus diligenter excoluit, & quod prodigiis simile fuit, Iudæorum multitudinem innumerabilem, Eusebio teste, ad Christianam fidem traduxit. De lamina aurea, quam vt summus Sacerdos eius Ecclesiæ, gestare consueuit, Hegesippus cuius egregias virtutes, & singularem sanctimoniā laudat Hieronymus his verbis. De vtero matris sanctus fuit, vinum, & siceram non bibit, carnē nullam comedit, nunquam attonsus est, nec vnctus vnguento, nec vsus balneo. Huic soli licitum erat ingredi Sancta Sanctorum siquidem vestibus laneis non vtebatur, sed lineis, solúsque ingrediebatur templum, & flexis genibus pro populo deprecabatur in tantum, vt camelorum duritiem traxisse eius genua crederentur. Additque Chrysostomus non tantùm

Euseb. lib. 7. c. 14.

Cap. 9. 29. Isai. 1.

Ioseph. lib. 6. c. 16.

Euseb. lib. 2. c. 2.

Hier. de scrip. autorib. Eccles.

Hom. 5. in Matt.

tantùm eius genua, sed & frontem ob iugem, in pauimento prostrationem, callo obductam fuisse.

7. Eius verò celebritas nominis, & famæ adeo spectata, & singularis habebatur ab omnibus, vt ei soli permitteretur, quod alioquin erat summi Pontificis, semel in anno ingredi in Sancta Sanctorum, certatímque vniuersi cuperent, fimbriam vestimenti eius attingere. Causam martyrij, Summum Pontificem Ananiam fuisse tradunt, ex Clemente Alexandrino, Eusebius; & ex Hegesippo Hieronymus. Mortuo, inquit, Festo, qui Iudæam regebat, missus est à Nerone, successor eius Albinus, qui cùm nec dum ad Prouinciam peruenisset, Ananias, inquit Pontifex, adolescens, Anani filius, de genere Sacerdotali accepta occasione, ἀναρχίας Concilium congregauit, & compellens publicè Iacobum, vt Christum Dei Filium denegaret, contradicentem lapidari iussit: qui, cùm præcipitatus de pinna templi, confractis cruribus, adhuc semiuiuus, tollens ad Cœlum manus, diceret: Domine ignosce eis, quod enim faciunt nesciunt, fullonis fuste, quo vida vestimenta extorqueri solent, in cerebro percussus interiit. Tradit item Iosephus, tantæ eum sanctitatis fuisse, & celebritatis in populo, vt propter eius necem creditum sit submersam esse Hierosolymam.

de scriptor. Ecclesiast. Eusebius libr. 2. c. 22.

Hieronym. Iosephus l. 2. antiqui. c. 8.

8. Sunt de eo alia fermè innumera Patrum elogia, quæ breuitati consulentes omittimus. Illud autem minimè tacendum, sed euulgandum, tributam fuisse à Iudæis Hierosolymitanam cladem Iacobi neci potiùs, quàm Christi, quod haud diu post necem Iacobi cœperunt de venturis malis diuinitus ostendi prodigia, quibus illi perterriti, ea recentiori sceleri adscripsere.

CAPVT IV.

Christiani, gemina dispersione, Hierosolymis fugantur à Iudæis.

1. PRimùm in Christianos bellum, vt loquitur Optatus, seu persequutio mota fuit Hierosolymæ, à Scribis, in qua obteritur lapidatione Stephanus, anno Christi 34. Tiberii Imperatoris 18. quamquam rectè monet Genebrardus in Chronologia, persequutiones vsitatius appellatas esse, cùm, publico Imperatorum Romanorum edicto, aut iudiciis, aut tormentis; aut vltimis suppliciis, Christiani diuexati sunt, cuiusmodi, alij nouem duntaxat, commemorant, alij rectiùs vndecim, vt Augustinus, Neronis scilicet Domitiani, Traiani, Antonini, Seueri, Maximini, Decij, Valeriani, Aureliani, Diocletiani, Maximiani, & vndecimam Antichristi.

Genebrardus lib. 3.

Lib. 3.

August. l. 18. ciui. c. 52.

C Hanc

Euseb.lib. 2.c. Caiet.1.in 2 Act. c.8.lib.18. August.ciuit.c. 53.

2. Hanc de qua instituitur quæstio, & persequutionem, & ex persequutionibus quibus generatim, & vniuersè afflictata est Ecclesia, primam, & maximam censent Eusebius, Caietanus, & alij recentiores non pauci, quibus adstipulatur Augustinus confutans eos sigillatim qui hanc sepositam & à cæteris distractam esse voluerunt.

3. Neque verò prætermittendum est, quod ad institutum nostrum magnopere pertinet, in duas ab historicis distributam esse partes eámque variari, & distingui, tum ratione officiorum, ac temporum; tum vicissitudine personatum. Post Christi necem, & illapsum in discipulos Spiritum sanctum, Stephanus, vnus, è septem, qui ad profana sacráque ministeria, in cœtu Christianorum obeunda, delecti erant quod ad prædicandam Christi gloriam ardentiùs incumberet, fidémque miraculis consignaret, ab æmulis comprehensus, & saxis obrutus est. Dux, præfectúsque concitatæ plebis, & seditiosæ, visus est Saulus, tum quia natura præferuidus, tum quòd eum zelus & paternarum legum æmulatio præ cæteris coæraneis suis, stimularet abundantiùs, (vt ipse de se postea testificatus est.) Fortè etiam nonnihil vana atque inanis gloria (etsi negat id de illo Chrysostomus, eò quod in exteras ciuitates abibat) arbitratus obsequium se præstare Deo; & mulieribus non parcens quæ gloriæ ipsius, sicut viri, non oberant. Postremò, nescio quid inuidiosæ intercedereia, duersus Stephanum condiscipulum, & vt quidam volunt etiam affinem (nam ab Oecumenio patruelis S. Stephani perhibetur) quem, Iudęos æmulos anteire doctrina & signis, ægerrimè ferebat, abstinuisse tamen à lapidatione, tanquam à re, quæ literatum Pharisæum de deceret, communiter affirmant autores, adornasse verò hostes atque interfectores, & lapidantium vestimenta, hortando illos atque vrgendo seruasse, tum Lucas, tum ex Saulo Paulus ipse conuersus, lugens fatetur Actorum cap.22. vnde egregiè Augustinus. *Vt esset in omnium lapidantium manibus, omnium*, inquit, *vestimenta seruabat, magisque sauiebat, omnes adiuuando, quàm suis manibus lapidando.* Et Gregorius. *Lapidantium vestimenta seruando omnium quodammodo lapidabat manibus, qui ad lapidandum, omnes expeditos reddebat.*

Chrys.in actu c.9.1. & hom. deferenda reprehen.

August. serm. 14. de sanctis.

Greg.hom.19. in Euang.

§. I.

Prima persequutio in Ecclesia, quæ facta est sub Stephano.

Euseb. lib. 2. hist. Eccl. c.1.

4. DEfinit hanc prioris persequutionis partem breuitérque descripsit Eusebius in hunc modum. Cùm è vestigio post Stephani necem, prima, eáque grauissima, ab ipsis Iudæis contra Ecclesiam Hierosolymitanam, facta esset persequutio, omnésque discipuli, exceptis solùm duodecim, per Iudæam, & Samariam passim dispersi; nonnulli, vt diuina.

diuina memorat Scriptura, Phœniciam vsque, & Cyprum,& Antiochiam profecti, nondum gentibus fidei sermonem impertiri ausi sunt, sed solis Iudæis illum anuntiarunt. Quo quidem tempore, Paulus etiam adhuc miserè diuexauit Ecclesiam, qui in ædes fidelium ingressus, viros,& mulieres crudeliter attractos, in carcerem coniecit, ex quibus liquidò constat occisione Stephani, non modò nihil remisisse, verùm etiam acerbioribus odiis in cæteros Christi Discipulos exarsisse Sauli furorem atque sæuitiam. Testatur ipsemet, cùm ait. *Hanc viam persequutus sum,vsque ad mortem, alligans & tradens in custodiam, viros ac mulieres.* Tum infrà. *Multos sanctorum ego in carceribus inclusi, à principibus Sacerdotum potestate accepta, & cùm occiderentur, detuli sententiam.* His similia interpretatus verba Chrysostomus; *Saulus adhuc spirans minarum,& cadis in discipulos.* Vocem(*adhuc*) signare hominem existimat, nocentem ac reum, de consilio, quasi grauido flagitiis, & ad pariendum vicino. Et quod adhuc, inquit, ferocientem, adhuc insanientem, adhuc in vigore furoris existentem, adhuc cæde feruentem attraxit Christus, non expectans, vt impleret furorem,vt ostenderet morbum, vt extingueret flammas affectionum, & fatigatus debacchando mansuesceret, & tunc tandem eum traheret. Sed dum vigeret furo,ripsum cepit, vt ostenderet potentiam suam, vincens, & superans persequutorem in media insania. Sed enim medicum maximè admiramur, quando febrem,cùm infestior; flammam morbi,cum vehementior est, extinguere & penitus abolere potest.

Act.22.4.
Act.26.
Chrys.in c. 9. Act.

5. Tradit Dorotheus, Nicanorem eadem die, cùm Stephano, aliisque, ad duo millia Christianorum, intet fecta fuisse, cuius etsi adeo firma autoritas non subsistat, Hyppolitus tamen Martyr, quidquid de duobus millibus ambigat, Nicanoris martyrium vult probabile aliquid esse,& quasi verisimile. Quod autem natalis eius in Menologio habeatur 3. Calendas Augusti, & in Cypro,sub Vespasiano passus dicatur, vnà cum Prochoro,Timone, & Parmena; Romanorum verò Martyrologium cum cæteris Latinorum affirmet, 4. Idus Ianuarij in eodem loco, gratia fidei, & virtute admirandum, gloriosissimè coronatum fuisse: id certè, vt exponit Baronius ob sacrarum reliquiarum,quæ in Cypro habentur,translationem, contigisse potuit.

Dorotheus in synopsi
Hyppoli. l. 9. de 72. discip.
Baron.Martyrolo. 10.Ianu.

6. Inter hæc Apostoli, quemadmodum scientissimis gubernatoribus, in nauigando tempestati obsequi artis est; cedere ex ciuitate, & communem discipulorum salutem ac vitam fuga tegere constituunt; sic Lucas, *Facta est*, inquit, *in illa die persequutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per Regiones Iudææ, & Samaria præter Apostolos.* Sunt qui intercessione Gamalielis, factam putent potestatem Apostolis remanendi: alij arbitrantur, id à timore Iudæorum profectum, ne propensior in Apostolos populus, seditionem commoueret in eiectores. Existimant Chrysostomus, & Oecumenius, discipulos duntaxat, vt timidiores, cessisse; Apostolos vt constantiores remansisse, ne ex fuga illorum, stabilitas fidei vacillare aut iacere potiùs videretur, sed id conuenientius

Act.8.1.

alij, vt arbitror, diuinæ prouidentiæ, aut fortaſsè Apoſtolorum imperio acceptum ferunt, quos tanquam paſtores, & duces, in excubiis & ſtatione conſiſtere neceſſe eſt, præſertim cùm in conuerſione rerum, & perturbatione, belli magni timor impendet: probabile etiam eſt diuinitus prohibitos perſequutores, non ſecus atque cùm comprehenſus in horto Chriſtus, imperauit vt ſatellites ſinerent diſcipulos abire, negata nimirum his in illos, vt Chryſoſtomus, & Theophylactus annotant, poteſtate. Vnde Caietanus colligit, eum qui relicta fugit ſindone nudus, non fuiſſe de Apoſtolis, quia nemo auſus eſſet, quemquam illorum attingere, poſt dictam prohibitionem Chriſti, *vt impleretur*, inquit Ioannes, *ſermo quem dixit quia quos dediſti mihi non perdidi ex eis quemquam.*

Ioann. 18. 8. Chryſo. hom. 83. in Ioan. Theophylact. in Marcum c. 14. v. 52. c. 18. 9.

7. Certè, non tantùm Philippum Diaconum, vnà cùm cæteris diſcipulis, Hieroſolymis pulſum, Samariam confugiſſe, & illic Euangelium, maximo cum fructu prædicaſſe, ſed Petrum quoque ac Ioannem ab Apoſtolis miſſos, vt Samaritanis conuerſis manum imponerent, & ſic iidem Spiritum ſanctum acciperent, diſertè tradit Lucas. *Cùm audiſſent Apoſtoli qui erant Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem, qui cùm veniſſent orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritum ſanctum.* Iacobum ſimiliter, hoc eodem tempore, obita primùm Iudæa, & Samaria, in Hiſpaniam penetraſſe, ac ibi diu hæſiſſe, graui multorum teſtimonio ac traditione confirmat Baronius in Martyrologio Romano ad 25. Iulij, hodiéque monumentum extat Virgini matri eiuſdem Virginis monitu, & Iacobi iuſſu, templum Cæſaraugustæ conſtructum. Item Thaddæum, non ex diſcipulis vnum, ſicut Nicephorus ac cæteri Græcorum hallucinantur, ſed Apoſtolum quem Lucas, Iudam Iacobi, Matthæus Lebbæum appellat, Edeſſam Syriæ ciuitatem, nunc ab Apoſtolis miſſum, vt impleret, quod per literas Chriſtus Abagaro eiuſdem ciuitatis Principi, de mittendo ad eum, poſt aſcenſionem ſuam, aliquo ex diſcipulis ſcripſerat. Eundem Abagarum morbo afflictatum, ſanitati reſtituiſſe, ac poſt multa alia miracula, vniuerſum eius populum, ad fidem conuertiſſe deſcribit Euſebius, ex antiquis eiuſdem ciuitatis monumentis, è Syriaca lingua in Græcam tranſlatis.

Act. 18. 14. Act. 1. c. 10.

8. Id ergo quod aſſerit Lucas, omnes diſperſos eſſe, præter Apoſtolos intelligendum eſt maiori ex parte, ſicut cùm ibidem ait omnes diſcipulos diſperſos eſſe per regiones omnes Iudææ, & Samariæ. Conſtat enim inter alios, Ananiam tunc temporis profectum eſſe Damaſcum Syriæ, illicque Euangelium prædicaſſe: ſanè quidem Mariam Zebedæi vxorem, eadem diſperſione fugatam, in Italiam aduentaſſe, & apud Hernicos itinere fatigatam, in pace quieuiſſe, produnt vetera monumenta Eccleſiæ Verulanæ, vbi eius venerandum corpus religioſè aſſeruari dicitur. In qua tamen Verulanos, manifeſtè laborare ambiguo atque incerto Mariæ nomine, ſuo loco inferiùs demonſtrabitur. Baronius multa Chriſtianorum millia, ea fuiſſe exturbatione diſperſa, ſubducendo numero, ſic colligit. Quòd præter quingentos, adhuc agente in terris Chriſto, octóque


Baron. Anno. Chriſti 35.

quę millia duabus Petri concionibus aggregata, Lucas victus fortasse ipsa multitudine, generatim ter dixerit, *magis auctam credentium in Domino multitudinem virorum ac mulierum, & creuisse atque multiplicatum esse numerum discipulorum in Ierusalem valdè, & multam etiam turbam obedisse fidei.* Vt nihil iam sit, quod quis miretur, ea dispersione fideles, non modò Iudæam ac Samariam, perambulasse, sed vsque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, testimonio Lucæ & aliorum, audiat esse profectos. Quin etiam eorum ingentem numerum, Asiam ingressum, esse indicat atque innuit Apostolus Petrus, ad discipulos scribens. *Christi electis aduenis dispersionis, Ponti, Galatiæ, Capadociæ, Asiæ, & Bithiniæ.* Item Iacobus. *Duodecim tribubus*, inquit, *quæ sunt in dispersione, salutem.* De Galatia, quòd scribit Petrus, videtur Paulus signasse eos, qui Ierosolymis quondam fuissent, tempore passionis Christi, dum ait eos sic obiurgans. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obeaire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est in vobis crucifixus.*

1.Corinth. 15.
Actorum ca.2. & 4.
Act.c. 5. & 6. & 11.
Ep.1. c.1.
Iaco. c.1.
Ad Galatas c. 3.

9. Neque verò, de alia id genus dispersione, quàm quæ facta est, post lapidatum Stephanum, possumus verba illa interpretari, quandoquidem Iudæi qui olim, nemine impellente, sed sponte Palæstinæ finibus excessissent, & in exteras longè latéque Prouincias commigrassent, numquam vel à Philone, vel à Iosepho, vel aliis, qui res Iudaicas sunt prosequuti, dicti inueniuntur, dispersi, aut ex dispersione collecti, *sed coloni & indigenæ.* Cæterùm maximus vbique terrarum hinc fructus est consequutus, cùm inde vt ait Augustinus; *fugati discipuli, quasi ligna ardentia igne diuino, totam syluam mundi accensam feruore Spiritus, & lumine veritatis impleuerint.* Nyssenus in laudatione Stephani persimilem sententiam expromit, Stephano ipsi hæc omnia tribuens quemadmodum periti athletæ, subeuntes corpus aduersariorum, per quandam artificiosam agilitatem atque habilitatem, grauiorem lapsum illis struunt: ita magnus quoque Stephanus humi prostratus grauem illam aduersarij confusionem effecit. Hinc in orbem terrarum discipuli currere expetunt. Hoc omnes in partes sermonis diuulgationis initium est: nam nisi ab illius cæde populus Iudæorum in discipulos sæuisset forsitan solummodò Ierosolymis Euangelij gratia inclusa esset; nunc verò agitati à Iudæis, alius aliò gentium, per orbem terrarum dispersi sunt vndique, per mysteriorum doctrinam Diabolum exturbantes: hoc modo Samaria verbum recepit, hoc modo obiter in via salus Eunuchi à Philippo conficitur. Ita magnum illud Ecclesiæ instrumentum Paulus minisque à Diabolo armatus, aduersus ipsum armatorem tela vertit, ex omni eum exterminans orbe terrarum, vt nullum relinqueret locum fidei Christianæ inacessum. Hinc Ægyptij, Syri, Parthi & Mesopotamitæ, Itali, Illyrici, Macedones Christum agnoscunt & omnes vtique gentes sermo percurrens ad fidem adducit. Hæc ille.

Augustinus Concio 3. in Ps.50.



C 3 §. II.

§. II.

Saulo Christiano, remittit procella, & ex dispersione fideles, Hierosolymam reuertuntur.

10. REmiserat, aliquantulum hæc procella temporis, Saulo imprimis ad Christianas leges traducto, qui amplissima sibi à Pontifice facta potestate, cùm ad Christianos opprimendos Damascum tenderet, Christi voce aspectúque territus, totum se repente ad illius cultum applicauit. Id euenisse aiunt, anno à Christi Stephanique morte tertio, quippe anni illi 35. quibus Paulum Christo seruisse veteres affirmant, ab anno Neronis 13. Christi 67. retro numerati, in eum desinunt, qui est ab anno passionis tertius. Iam ergo fidei defensio interclusa respirabat, & vt ait Lucas, *Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam & Samariam habebat pacem & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione S. Spiritus replebatur.* Qua opportunitate vti optimè nonnulli ex dispersis, fideles in suam quisque stabilem sedem ac domicillium certum redierunt. *Et factum est*, inquit Lucas, *vt Petrus dum pertransiret vniuersos deueniret ad sanctos qui habitabant Lidda.* Obambulabat, & obibat vniuersos, rebus ad Ecclesiæ administrationem spectantibus facilè princeps, vt hîc obseruat Chrysostomus. Iámque biennij ferè spatium lustrando exegerat, cùm perueniens Antiochiam, quo iam peruenerat dispersorum discipulorum prædicatio, Ecclesiam ibi fundauit, & instituit anno Christi 39. in qua ipsum postmodum, septem annis sedisse Episcopum, Damasus, Gregorius, & alij per multi affirmant, testatúrque anniuersaria huius institutionis celebritas, antiquitus in Ecclesia Catholica 22. Februarij, fieri solita.

Petania Ration. parа. lib. 5.

Act. 9. 31.

Act. 9. 32.

Chrys. hom. 21. in Acta.

§. III.

Iterum concitatur Hierosolymis Persequutio, ab Herode Agrippa.

11. QVi verò locus quietis, & tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximæ molestiarum, & turbulentissimæ tempestates subitò extiterunt; alterum enim in Christianos bellum concitare cepit Herodes Agrippa, anno Christi 44. Claudij Imperatoris 2. Hic primi Herodis sub quo natus Christus, nepos fuit, ex filio Aristobulo, quem Philo & Iosephus tradunt Iudaicæ religionis studiosissimum, cùm Romæ à Tiberio vinctus, quod Caio Caligulæ studens ei precatus esset, imperium, mox, vt Tiberius obiit à Caio, vinculis solutus est, ac Philippis, & Lizaniæ

Ioseph. lib. 20. anti c. 8. Phil. lib. 19. c. 5.

zaniæ tetrarchiis, cùm Regis appellatione donatus, autore Iosepho, ac sequente anno Caij secundo, vt idem refert, ad regnum suum nauigauit, vt verisimile sit, tot rebus prosperis lætum, ac triumphantem, inter alia, quæ Iudæis, quibus se sentiebat obstrictum primo sui Hierosolymam aduentu contulit beneficia, quibus coram sibi magis gratiam conciliaret, applicuisse animum, ad profligandam durio̊re ista persequutione Ecclesiam, qua non iam vulgares discipulos, verùm etiam ipsos petebat Ecclesiæ principes ac doctores Apostolos. *Occidit ergo Iacobum fratrem Ioannis gladio.* De quo ex Clemente Alexandrino Eusebius, Historiam plane memorabilem inserit, eámque narrat quasi ex traditione maiorum acceptam; nimirum eum ipsum, qui Iacobum in iudicium adduxisset, cùm testimonium Christo illum tam liberè perhibentem cerneret, ea re commotum, se etiam Christianum ingenuè confessum esse. Igitur ambobus vnà ad supplicium adductis, hunc inter eundum à Iacobo postulasse veniam sibi concedi. Iacobum autem paululum rem animo complexum dixisse; Pax tibi, illúmque osculatum esse, & sic tandem vtrúmque securi percussum, vitam deseruisse. Ad extremum sicut diuina loquuitur scriptura, Herodes videns illud, quod erat de internecione Iacobi patratum, Iudæis non parum adferre voluptatis, Petrum etiam apprehendere aggreditur, cui in vincula coniecto, parum aberat quin eadem intulisset, si non diuina quædam Angeli visio ei noctu assistens, è custodia & vinculis illum mirificè, & præter omnium opinionem liberasset, atque adeò ad ministerium prædicationis dimisisset.

Iosepb.lib.18. aut c.8.

Euseb. lib. 2. c. 8.

12. Porrò, quod Hieronymus expendit, Dei in hac re iudicium, cur Iacobum ex Hispania non ita pridem Hierosolymam reuersum, statim Herodis sententiam pati voluerit, Petrum cæterósque Apostolos reseruauerit, causam esse dicit, quòd ille per condemnationem Iudæorum occisus sit, hi diuino obsequio, & Ecclesiæ commodo, tradendísque Christianæ disciplinæ præceptis reseruati sint. Quemadmodum Vrias Propheta, Ægypto, quò fugerat reuocatus, iussu Regis Ioachim gladio percussus est. Ieremias non item, qui iam tenebatur in carcere. Theophylactus post Chrysostomum, adeò an acrem, grauem, molestúmque Iudæis Iacobum fuisse, ac Herodi præcipuè, in confutatione, & conuersione insignium Magorum, Phileti & Hermogenis, de quibus commeminit Paulus ad Timotheum, qui tamen postea redierunt ad ingenium, vt communi eorum sententia, de medio, ante omnes, tollendus censeretur, maximóque iudicaret Herodes, beneficio, & officij numero, cùm eum interfecit, Iudæos sibi conciliasse. Nec diu crudelem tyrannum Herodem Agrippam, cœlestis ira distulit. Post tres annos, quàm Palæstinæ totius rex erat factus, Cæsareæ cùm esset, quæ Stratonis Turris dicitur, próque tribunali verba faceret, tanquam Deo acclamari sibi passus, subita numinis vindicta scatentium ex corpore vermium tabe confectus est.

Theoph. c. 26. 23.

Chrysost.om. 3 c. 17. Matt.

in c. 17. Matt. Ep. 2. c. 1. 21.

Act. 12. & Ioseph. 19. antiq. c. 7.

13. Occasione posterioris huius Agrippinæ persequutionis, qua præcipuè ipsi appetiti sunt Apostoli factum esse eorum dispersionem, sicut olim,

olim post necem Stephani, vniuersi qui erant Hierosolymis discipuli dispersi sunt planè, vt perspicuè ostendit Baronius, ad annum Christi 44. Cùm enim quo loco in Iudæa consisterent persequente illos Agrippa, non haberent, à Iudæis sic pulsi, necessariò ad gentes profecti sunt, ac de prædicando gentibus Euangelio, licèt iam tunc Apostoli iniissent consilium, quando diuina præuia reuelatione, à Petro esset iisdem gentibus apertum Ecclesiæ ostium, nam & ea de causa, Matthæum, iam ante triennium scripsisse Euangelium, quod profecturus esset ad gentes, Eusebius, & alij tradiderunt, vt tamen id maturarent Agrippæ persecutione compulsi fuisse videntur.

Euseb. libr. 3. hist. ver.

CAPVT V.

An metu persequutionis, in Cyprum aut Ephesum Magdalena confugerit.

1. IN illa priori dispersione, Magdalenam de Apostolorum sententia in exteras nationes, & gentes confugisse, nemo dubitabit qui de discipulis neminem vnum, non secessisse Hierosolymis, à Luca didicerit. *Et omnes*, inquit, *dispersi sunt per regiones Iudaa, & Samaria prater Apostolos.* Ita sanè intellexisse videtur Eusebius qui vocem illam (*omnes*) de solis antiquioribus discipulis interpretatur, qui peculiariter hoc discipuli nomine appellabantur. Caietanus ait Lucam eos complecti omnes, in quos descenderat Spiritus sanctus, in variis linguis in die Pentecostes, in quem numerum Magdalenam nostram venire, solis videtur luce clarius. Sed vsque eò Saulus minas iactabat, pericula intendebat, formidines opponebat homo vesanus & furiosus, vt nec virginum pudicitiæ, nec matronarum dignitati parceret, nec cuipiam Hierosolymis liceret, in occultorum locorum latibulis tam firmum habere præsidium, vt tutus esset.

c 8. Act. ver. 1. Euseb. lib. 2. hist. c. 1.

Caiet. in Act. c. 22.

Ep. de reuel. S. Stephani.

2. Lucianus Gamalielem in reuelatione dixisse memorat. Nicodemum, quòd Christi discipulus esset, tunc amotum fuisse à Principatu à Iudæis & anathematisatum, quod Iudæis est, *extra Synagogam fieri*, & pulsum in exilium, sed se illum proprio in agro susceptum aluisse & vestiuisse, vsque ad vitæ exitum, ac tandem iuxta Stephanum honorificè sepeliuisse. De quo, & Nicetas Philosophus scribit, cùm ob necem Stephani compunctus, & Baptisatus esset Nicodemus reuerentia Gamalielis in præsentia quidem interfectum non esse; præter facultatum tamen priuationem, & exilium, plagas durissimas tulisse. Ideò mox adiicit scriptura, quòd *Saulus deuastabat Ecclesiam per domos intrans & trahens viros, & mulieres tradebat in custodiam.* Magna insania, & quod ille solus erat, inquit, Chrysostomus, & quod in domos ingrediebatur,

Orat. de Mart. ty. multitu S. Steph.

Act. 8. 3.

&

& quod nec mulieribus parcebat. Reuera *Beniamin lupus rapax*, vt sæpe inculcat Augustinus, erat namque de hac tribu, de qua, & Saul rex natus: cum dolore, vel Synagogæ quando ad Christum conuersus est, vel Ecclesiæ, antequam conuerteretur, ac prius Benoni, filius doloris, quàm Beniamin, filius dexteræ, & natu minimus Apostolorum, vt ipse loquitur, imo & sanctorum id est discipulorum, propter quem, vt ait Hieronymus ex ingenti strage illius Tribus, quidam seruati sunt, vt hic nimirum Saulus nasceretur. Serm. de S. Steph.& serm. 14. de sanctis. 1.Cor.15. 9. Eph.3 8 Ep. 27.Iudic. 20. 45.

3. Pereginata longè latéque Magdalena abfuit ab oculis audacissimi parricidæ. Aiunt nonnulli, tunc peragrasse cum Lazaro fratre, & Martha sorore insulam Cyprum: alij peruenisse Ephesum, vnde Cedrenus in Leone Imperatore Basilij filio, hæc ait: Condidit templum S. Lazaro sacrum, inque eo Lazari, & Magdalenæ reliquias, Epheso allatas, deposuit. Hæc Cedrenus, in compendio historiæ in Leone Philosopho. Insuper Zonaras lib. 3. Annal. testatur S. Lazari corpus è Cypro insula translatum Constantinopolim, necnon, & S.Mariæ Magdalenæ simul condita esse à Leone Imperatore cognomento Philosopho in Basilica à se erecta. Baro. Martyr. 22.Iulij.

4. Citatur à Photio in Bibliotheca Modesti Archiepiscopi Hierosolymitani sententia, in vnguenta fetentes mulieres. Sed vnde acceperit ignoramus, multáque habet quæ corrigantur, vt suo loco dicetur. Septimum, inquit, numerum, & de virtute & de peccato in Scriptura acceptum inuenimus. Meritò igitur elegit Mariam Magdalenam Saluatòr, è qua septem dæmonia eiecit, vt principem peccati per illam ab hominibus expelleret. Historiæ tradunt Magdalenam hanc Virginem fuisse, & Martyrium huius memoratur: vbi dicitur propter summam illius Virginitatem, & puritatem, illam tanquam vitrum purum tortoribus visam esse. Post obdormitionem sanctissimæ Dominę nostræ Deiparæ, profecta est Ephesum, ad dilectum Discipulum: vbi cursum Apostolicum per Martyrium vnguentifera Maria perfecit, nolens ad extremum vsque spiritum à beato Ioanne Euangelista, & Virgine separari. Quemadmodum, inquit, Princeps Apostolorum ab immobili fide quam habuit in Petram Christum, Petrus appellatus est, sic & illa princeps Discipularum ob puritatem, & amorem quo Christum complexa est, ab ipso nominata est, cui idem fuit nomen quod Dei matri. Quemadmodum Dominum discipulorum chorus secutus est, sic Dominam, & matrem Domini, chorus discipularum.

5. Id de appulsu regionum, si placitum est, nec ingrato animo velim, nec obstinatione quadam sententiæ repudiari, cùm in his fiant non leues diuinationum coniecturæ à petitis: de reliquiis enim, quod agitatur, sæpe indicium, & vestigium esse solent reliquiæ, non tam sepulti corporis, ac sepulturæ, quàm peregrinationis aut vsurpati, siue domicilij siue alicuius supellectilis Sanctorum. Dionysius Halicarnasseus sic ait. Quòd si quis perplexum facit, Æneæ sepulchra monstrari multis in locis, nec posse nisi vno conditum esse, cogitet hanc dubitationem friuolam omnino, Dionys.Halicar.lib.1.

D

nino, & vulgatem haberi, & intelligat quòd quamuis vnicus locus capiat virorum id genus perillustrium corpora, apud multos tamen monumenta eis facta sunt, in gratiam acceptæ vtilitatis cuiuspiam. Similiter virorum sanctissimorum ope, accepti beneficij memoria, singulare quorumdam in illos studium, sacellorum ac templorum construendorum causa fuere, quæ cùm ab illis sanctis accepissent nomina, deinceps per imprudentiam, reliquiis quæ aliis in locis reperiebantur concessa sunt. Vetus opinio erat, de qua Tursellinus in historia Lauretana, Vasa quædam fictitia in sacello Beatæ Virginis ab Apostolis olim reperta fuisse; atque idcirco, cuius natalis ipsa eius domus consecraretur ab iisdem, in summis sacelli parietibus collocari iussa, quæ pro sacris reliquiis, vt par erat, habita mirandum in modum Lauretanæ Virginis cultum propagarunt, per occasionem quippe illorum vt semel dispertiri sunt cœpta, plurimis locis Lauretanæ Virginis ædes excitatæ sunt, siue tanti præsidij ad populos monumenta, siue solatia eorum, quos aduersa valetudo aut occupationum aliarum impedimenta, Lauretum ire proibeterent.

Tursel. libr. 5. c. 5.

6. Neque inauditum, & planè nouo more Constantinopolim transferre, non sacras exuuias duntaxat, sed supellectilem aliquam religiosam Sanctorum, eísque magnifica templa construere ac venerationi habere. Eudocia Augusta vxor Theodosij Iunioris, Hierosolymas profecta, duas Petri catenas ibidem repertas dono accipiens; illarum alteram Constantinopoli voluit asseruari, alteram verò Romam mitti ad Eudoxiam filiam. At, sicut & Constantinopoli, in honorem alterius catenarum, est erecta Basilica, vt patet ex Encomio vinculorum Petri inter Bedæ sermones. Ita etiam Romæ titulus institutus est, qui tum Eudoxiæ, tum etiam vinculorum Petri nomine dictus, reperitur in antiquis monumentis. De his, in Martyrologio, Baronius, Calendis Augusti: moris erat eam, scilicet Petri catenam, includere aurea claui ab altari Petri Apostoli accepta, ad absentes transmittere. Hi verò, ad quos paruula clauis mittebatur, religiosè accipientes, eam suspendebant ad collum, vt Apostoli muniti præsidio, à malis imminentibus tuti essent. Id etenim S. Gregorius scribens inter alios ad Childebertum Regem Francorum, & alibi miraculum recenset, de terribili vltione diuina in Longobardum, eiusmodi religiosi instituti contemptorem. Petiit, & ab Hormisda Papa Iustinianus Imperator, vt earumdem Catenarum limaturam ad se mitteret, eámque pro ingenti munere ad Principes, aliósque viros primarios de Dei Ecclesia bene meritos à Romano Pontifice mitti solitam, quamplurimæ eiusdem Gregorij literæ, fidem faciunt.

Greg. lib. 5. ep. indict. 14. & lib. 6. epist. 23. indic. 15.

7. Iansenius, Burchardus, & alij in descriptione Terræ sanctæ, memorant, inter Heliopolim & Babyloniam Ægypti, celebrem esse Balsami quemdam hortum, exiguo quidem fonte, sed vbere irrigatum, in quo fama est Virginem matrem, puerum Iesum sæpe lauisse, panniculósque eius mundasse, ibidémque monstrari lapidem, super quem dicitur eosdem exsiccasse; & hæc omnia, inquit, Christiani æquè ac Sarraceni venerantur.

Iansen. c. 11. concor. Euangel. Burchar. q. 2. c. 4.

venerantur. Mauros quoque eo loco vbi fertur Virginis fuisse domicilium ardentem Balsamo lampadem, perperuò conseruasse, res nota & peruulgata apud omnes. De pretiosa veste S. Mariæ & fasciarum Saluatoris quã Leo Imper. honori ac religioni maximæ habuit legẽdus Metaphr. apud Aloysium Lippom. in SS. Histor. Similiter de veneratione zonæ S. Mariæ & fasciarum Saluatoris Germanus Constantinop. apud eumdem: Euseb. de sede lignea S. Iacobi. Seruatur, inquit, cum ingenti studio, vel ne à maioribus tradita memoria sanctitatis, & cum magna veneratione habetur. S. Athanasius in vita B. Antonij, scribit sibi ab Antonio relictum pallium tritum, & addit. Legatarius Antonij benedicti, qui tritum pallium, cum melote imperio eius meruerat accipere, Antonium in Antonij muneribus amplectitur, & tanquam magna hæreditate ditatus, lætanter per vestimentum, recordatur imaginem sanctitatis. De eodem Magno Antonio Hieronymus refert, in vita Pauli primi Heremitæ cùm Pauli tunicam ex foliis palmarum contextam, Antonius adeptus esset, ob ipsius Pauli reuerentiam, illam induere solitum, in diebus duntaxat solemnioribus, Paschæ & Pentecostes.

8. Hierosolymis non tantùm locus, quem Eudoxia Augusta nobilissima ædificata Ecclesia egregiè illustrauit; sed lapis etiam super quem genibus nixus & supplex Stephanus, saxis obrutus est, in Ecclesiam Apostolorum, ad montem Sion positam translatus, magna veneratione est habitus. Et vnum ex lapidibus, quo percussus est, à Christiano quodam collectum, & postmodum Anconam Italiæ ciuitatem, delatum fuisse; ibique ea de causa, in honorem Prothomartyris, constructam Ecclesiam, in qua plurima patrari consuescerent miracula, præter antiqua Martyrologia, testis est irrefragabilis S. Augustinus. De tunica S. Ioannis Apostoli, Epheso Romam translata, & miraculis illustrata, agit Ioannes Diaconus in vita S. Gregorij Papæ. Acceperat eam S. Pontifex, à Ioanne Abbate, vt indicant eius literæ ad eumdem Ioannem. Mentio habetur de eadem peregrinatione Ephesum ad S. Ioannem in Prato spirituali c. 180.

Euagrius l. hist. c. 12.

August. serm. 31. de diuersis.

Ioan. Diac. lib. 3. c. 29. 57. 58. Gregor. lib. 2. indict. 11. Ep. 3. c. 141.

9. Quidni ergo contingere potuerit Cyprios aut Ephesios, sacras id genus manubias, & spolia Lazari aut Magdalenæ, in Religionis ac pietatis monumentum, atque vrbis ornamenta conferre? quibus deinceps Constantinopolim translatis, amplissimos titulos, reliquiarum nomine, Imperatores erexerunt. Fortè etiam Magdalena, virorum ac mulierum, in dispersione illuc confluentium opportunitatem sequuta, quibuscum multa consuetudine coniuncta esset, hanc prouinciam delegit, quod suspicatur Emanuel Pachier vir ornatissimus & Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Massiliensis, in vita S. Lazari & supra innuit Photius. Sanctissimam Dei Virginem matrem vnà cum Apostolo Ioanne, migrasse Ephesum, & ibi aliquando permansisse epistola Synodica, Sacrosancti Concilij Ephesini, ad Clerum Constantinopolitanum, data, non obscurè ab illo sancto Episcoporum cœtu significatur, dum illic agitur de damnatione Nestorij, his verbis: Quare Nestorius impiæ hæreseos instaurator, in Ephesiorum

Bar. ann. 44. n. 17.

rum ciuitate, quam Ioannes Theologus, & sacra Virgo puerpera Maria, quandoque incoluerunt, constitutus, sanctorum Patrum, & Episcoporum cœtu, vltro seipsum abalienans, malæque conscientiæ reatu impeditus, ad illum sese adiungere non audens. Post trinam citationem, sacræ Synodi sententia, diuinóque sanctorum Patrum iudicio condemnatus, omníque Sacerdotali dignitate exutus est. Contendebat impiissimus Beatam Virginem non esse dicendam Theotócon, sed Christotócon, hoc est non Deiparam, sed Christiparam, quasi non Deum verum peperisset, sed purum hominem. Dei autem disponente prouidentia factum est, vt in ea vrbe sacro approbante Concilio damnaretur, quam ipsa Deipara quandoque incoluerat. Notauit id Theodorus Peltanus in margine Concilij, & Card. Baronius in notis ad diem 27. Decemb. Rom. Martyrologij admittit historiam, & ex recentioribus Arias in libro de profectu spirituali agens de Imitatione Virginis. Indéque euenisse aiunt, vt illic præcipua, & inter alias plures, Basilica Augustior esset, quæ nomine Dei genitricis Mariæ appellaretur; vbi & de eadem sacrosancta Synodus habita est, aduersus Nestorium, Cœlestino Romano Pontifice. Post eam erat Basilica nomine S. Ioannis, quam tunc temporis sibi Schismatici vendicarent, eamdem postea dirutam Iustinianus Imperator in honorem eiusdem Apostoli longè ampliorem excitauit.

Procopius de ædific. Iustinia. Imperat. lib. 5.

10. Sed quod spectat ad iter Virginis & Ioannis, præbet nobis de eo B. Ignatius Martyr testimonium, dum apud Ephesum existens binis ad Ioannem Apostolum Magistrum suum datis literis, patefecit vehemens desiderium, quo ipse, & cæteri discipuli flagrabant videndi B. Virginem. In priori Epistola, hæc ait. *Frater, de tua mora dolemus grauiter, allocutionibus, & consolationibus tuis roborandi, si tua absentia protendatur, multos de nostris destituet; properes igitur citò venire, quia credimus expedire. Sunt & hic multa de mulieribus nostris Mariam Iesu videre cupientes, &c. & hæc talia excitauerunt viscera nostra, & cogunt valdè desiderare, aspectum huius (si fas sit fari) cœlestis prodigij, & sacratissimi monstri.* De ea te scripsit etiam ad Beatam Virginem non semel, meruitque ab ea responsum perbreue vbi inter cætera. *Veniam autem vnà cum Ioanne, te, & qui tecum sunt videre.* Dubium autem esse non debet, quin promissis staret suis, & præsentia sua consolaretur B. Virgo Ignatium.

11. Quod quamquam Epiphanius ægrè admittat, & alij ad dispersionem posteriorem Apostolorum reijciant, conuenientius tamen videtur existimasse, eam curam, & cogitationem nunc sollicitasse Ioannem, vt Virgini matri, periculis procul, & persequutionis tumultu, fugæ honestam ac tutam aliquam viam quæreret, in qua Magdalenam nostram, vnà cum Lazaro, & Martha sorore, accessisse illis comitem, opinari nonnullos testatur Baronius. Sed perperam, meo iudicio, quod ad rationem temporis spectat, in hanc priorem populorum dispersionem refert eiusdem Magdalenæ, & sociorum nauigationem in Gallias. Et Lucius Dexter

ter, quamquam in Chronologia lapsus videtur per errorem, tamen, quod in hac Ephesina peregrinatione B. Virgini comes accesserit, disertè scribit his verbis. Hoc eodem anno Christi 41. vt sui Apostolatus aliquod præberet specimen, Ioannes Theologus comitante B. Virgine Ephesum proficiscitur; comite quoque B. Iacobo, qui & Ephesi ad tempus prædicat: Comitantur Virginem Lazarus, Martha, Maria, vbi etiam præsentia sua consolatur Beata Virgo Ignatium.

12. Super quem locum Biuarius Scholiastes. Discessura, inquit, ad tempus Hierosolymis, & profectura cum Ioanne Ephesum Beata Virgo, nihil mirum si à B. Iacobo comitaretur, & à tribus illis fratribus, eximiisque eius amatoribus, Lazaro, Martha & Maria. Nec enim decebat tantam Dominam cum solo comite vno adire, ac terras tam longè positas perlustrare: nec amor quo eam prosequebantur aliud pateretur. Sed, & illa S. Vincentij ipsa commentatio, in hunc sermonem inclusa, in veritatis lucem proferenda est, quod in officiis Magdalenæ erga Christum, singulare, & præstantissimum hoc agnoscit. Quòd fecerit eam Christus familiarem suam, & sociam matris suæ S. Virginis Mariæ: quæ licèt esset purior sole, dedit tamen sibi istam in sociam, nec despexit eam, sicut multæ castæ superbę despiciunt peccatores, & tamen Christus fecit familiarem, & sociam matri suæ. Ratio quia Christus ordinauit duas vias ad paradisum, prima est innocentiæ, siue de innocentia pura, quæ rectè vadit ad gloriam. Vnde dicit Dauid. *Dominus non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.* Psal. 83. Alia via est digna pœnitentiæ, quia si Deus non ordinasset nisi viam innocentię desperare possemus. Ordinauit igitur illam dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum Cælorum.* Matt. 4. Per istas vias Deus elegit duas Marias, prima quæ iuit per viam innocentiæ, fuit Virgo Maria, & ipsam sequuntur omnes innocentes, ipsa portat vexillum. Prima persona, quæ primò iuit per viam pœnitentiæ, fuit beata Maria Magdalena in nouo testamento, ipsa enim fuit dux & princeps. Ideò hodie cantat Ecclesia. Laudemus opus Dei in Maria S. innocente. Laudemus in Maria S. peccatrice. Illa est speculum Innocentiæ Maria, hæc est exemplum pœnitentiæ.

13. De Nicanore vnà cum Prochoro, Timone, & Parmena de septem Diaconis quatuor, quemadmodum in hac fuga, Cyprum insulam adierint; docent menologia Græcorum, ad s. Calen. Augusti. De Barnaba, Martyrologium Romanum 11. Iulij. De Maria, matre Ioannis, qui cognominatus est Marcus 29. eiusdem, de qua in Actis Apostolorum c. 12.

CAPVT VI.

Regressa Hierosolymam ex Christianæ vitæ officiis, in inuidiam iterum vocatur, & pellitur.

1. EXacto circiter triennio, quo Sauli vehementiùs deſæuiit perſequutio, dicuntur omnes diſcipuli reuertiſſe Hieroſolymam: nondum enim Euangelij oſtio gentibus reſerato, prohibebantur Iudæi abire in viam gentium, ſed & diuiius apud eas conſiſtere ac commorari, quàm, aut diuinæ gloriæ propagandæ ratio, aut ſalutis & vitæ conſeruandæ neceſſitas poſtulabat. *In viam gentium*, inquit Chriſtus, *ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.* Quod ita intelligendum non eſt, quaſi gentilium omnis omnino vſus, & conſuetudo interdiceretur, ſed quod continuò ſubiicitur, vt potiùs hoc eſt prius: *irent ad oues quæ perierant domus Iſraël.* Sicut & ſe, Dominus ait, *non fuiſſe miſſum niſi ad eaſdem oues Iſraël*, cùm tamen & gentiles receperit, & Samaritanos adierit.

Matt. 10.

Act. 4. 31.

2. Licebat ergo in breue tempus duntaxat, & ad propinquiora tantùm loca, cum gentilibus verſari, vt tranſiſſe potiùs ac perambulaſſe quàm permanſiſſe dicerentur. *Factum eſt*, inquit Lucas, *vt Petrus tranſiret vniuerſos*; & infrà: *Perambulauerunt vſque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum niſi ſolis Iudæis.*

Act. 9.

3. Quare Baronius in Martyrologio, de acceſſu Iacobi in Hiſpaniam, tempore diſperſionis diſcipulorum, quod aſſeritur, id ita contigiſſe inficiatur, vt illic prædicauerit gentibus Euangelium: nondum enim decreto Apoſtolorum, illis fuerat oſtium reſeratum, ſed Iudæis tantùm ſuis gentilibus Chriſtum annunciarit; nec ſic quidem, vt aliquam illic fundarit Eccleſiam, aut perpetuò ſederit, ſiquidem reuertiſſe Hieroſolymam, ibique ante diſperſionem Apoſtolorum interfuiſſe ſecundo Concilio Oecumenico, & ab Herode Agrippa, ſecuri percuſſum occubuiſſe, Lucas vt ſuprà vidimus, oraculo edidit.

Act. 12. 3.

4. Enimverò ratio erat, vt ante diſperſionem generalem Apoſtoli ac cæteri, quotquot ad Euangelium promulgandum, *teſtes eſſent præordinati à Deo*, conuenirent in vnum locum, atque inter ſe congruerent; ne vlla ex parte aliqua vel apparens inter eos in annuntiatione Euangelij, diuerſitas deprehenderetur. Quam ab cauſam, Concilium Oecumenicum ſecundum Hieroſolymæ coactum eſt, quo certos fidei canones quibus vniuerſam Chriſtianorum fidem perſtringentes, firmarent ac ſtabilirent, Apoſtoli conſtituerunt.

5. Extare dicitur apud Æthiopes, Abyſſina eorum lingua, de quo accipiendum

accipiendum illud Ruffini siue Cypriani, initio Commentariorum in Symbolum. Tradiderunt maiores nostri, quòd post Ascensionem Domini, Apostoli ad singulas singuli discesserunt nationes. Normam prius futuræ prædicationis in commune constituerunt, ne forte alij ab aliis abducti, diuersum aliquid, his qui ad fidem veniebant, exponerent. Ergo omnes in vno positi, Spiritu sancto repleti, breue istud futuræ, sicut diximus, prædicationis indicium, conferendo in vnum, quod sentiebat vnusquisque, componunt, atque credentibus hanc dandam esse regulam statuunt. Hactenus Ruffinus.

5. Cæterùm hallucinatus est grauiter Tertullianus, & iure meritóque magnis argumentis exagitatur, à Theologis, cùm ex eo quòd relictis Iudæis, Apostoli conuerterunt se ad gentes, infert illicitam esse fugam in persequutione: *Quoniam vt cessauerat*, inquit, *præceptum solis Iudæis prædicandi, ita & illud de fuga, in persequutione.* Erroris coargui facilè potest, exemplo vel sanctissimæ Virginis fugientis in Ægyptum, vel dispersionis discipulorum, vt annotant Beda, Liranus & Glossa: tum eò, quod Paulus ad Christum conuersus, Damasco secedens metu Iudæorum, in Arabiam triennio toto se abdiderit: legendus Athanasius, Nazianzenus, Ambrosius, & alij veteres ac recentiores qui hanc controuersiam ex Theologia, sæpe ac diligenter pertractarunt. Tertull. lib. de fuga sæculi.

CAPVT VII.

Gallia, prouincia diuinitus illi destinatur, & in eam traiicit sub annum Christi 44.

1. FRiuola hîc quidem, prorsúsque insulsa omittimus, quæ de diuisione prouinciarum ab Apostolis facta, in Pseudoprochoro commentaleguntur. Ex quo fortasse acceperunt, qui forte Prouincias tradunt esse diuisas. Sic enim Socrates de Christianæ religionis propagatione sub Constantino. *Cùm Apostoli sortitò iter ad gentes suscepissent, Thomas Parthiam, in qua munere Apostolico perfungeretur obtinuit, Matthæus Æthiopiam: Bartholomæus Indiam, quæ huic finitima est, sortitione cepit.* Vix enim caret superstitione, si quis euentum ex fortuna expectet, quod est vitium vanitatis; aut licèt à Deo expectet, si absit necessitas, est enim tentatio Dei. Præterea, rem quamuis licitam, interdum tamen ex veteris testamenti vsu factam, & proinde minus perfectam, nec post illapsum in discipulos Spiritum sanctum, deinceps vsurpatam, vt cùm electi sunt Diaconi, miniméque in sacrorum præsertim hominum electione, vsurpandam vel imitandam docuere Hieronymus, Chrysostomus, Beda, Abulensis, Augustinus. Et certum etiam est, vt sorte quis eligeretur in summum Pontificem, nunquam prius

Socrat. lib. 1. c. 15.

Hier. in cap. 1. Ion. Chryst. in Act. c. 1. 16. c. 7. Abulensis 7. Iosue q. 47. August. serm. de S. Matt. Ioseph. lib. 4. de bell. c. 5.

Joseph.l. 4.de Bellio c. 5. priùs esse tentatum, quàm paulò ante Hierosolymorum excidium, vt Iosephus asseuerat.

2. Nec assentimur dicentibus pro ratione impertiti doni linguarum, cuique tributam esse Prouinciam, quasi velint de Apostolis, etsi linguarum omnium dona accepissent, vnumquemque tamen, peculiari alicuius Prouinciæ vsum fuisse sermone: quia donum linguarum in eo forte positum fuit, quòd Apostoli semel ac simul vnius tantùm linguæ voces formando, à diuersarum linguarum hominibus intelligerentur. Quo pacto Arnobius de Christo affirmat, cùm concionaretur simul vno & eodem verbo influere solitum, in aures concionis diuersarum linguarum, eámque de doctrinæ suæ præcepto informare cogitatione. Vtitur Dionysius Chartusianus, exemplo *Manna*, cuius erat, non in ipso varius sapor, sed in gustantibus, ad quod alludere quodammodo voluisse videntur Hierosolymitani, qui Apostolis loquentibus variis linguis *stupebant omnes*, inquit Lucas, *& mirabantur ad inuicem dicentes, quidnam vult hoc esse.* Addo, quòd etsi præcipuus huius doni effectus, versaretur in vsu distinctarum linguarum, non tamen sequitur, quòd familiarem magis linguam, certæ cuiusdam Prouinciæ haberent: ea enim vtebantur passim & indifferenter, quàm ex occasione gentium duntaxat, quibus cum agerent, necessitas postulabar. Quemadmodum de se ipso testatur Paulus. *Gratias ago Deo meo, quòd omnium vestrùm lingua loquor.* Idque congruum initio visum fuit, tum propter prædicationem, tum vt conuenientes in vnam Ecclesiam gentes, inuicem se intelligerent, meliúsque consociarentur.

Lucas c.2.Act.

1.Cor.14.18.

3. Censemus ergo, aliarum exemplo rerum, quæ ab Apostolis præclarè sunt gestæ, hæc eadem omnia de diuisione prouinciarum, Spiritus sancti speciali instinctu esse peracta. Ideo Paulus negat se ab hominibus aut per homines missum. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis.* Prætetea Lucas, de eiusdem simul atque Barnabæ Apostolatu, *ministrantibus illis Domino & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus, segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Hinc est, quod ipsemet Paulus, vocat se segregatum in Euangelium Dei, Doctorem, Prædicatorem, Apostolum, magistrum gentium in quo Deus operatus sit per Apostolatum inter gentes. Quod priùs etiam, & de ipso prædixerat Christus Ananiæ. Rursus infra. *Transeuntes Phrygiam, & Galatiam regionem, vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia.*

Gala. 1. 1.

Act. 13. 2.

Roma. c. 1. 1.

c. 16.

4. Vnde Origenes, Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus, S. Thomas, colligunt maximæ curæ esse Deo, & ab eius nutu pendere, tum verba tum itinera Prædicatorum suorum. Ideóque vetatum esse Paulum, loqui verbum Dei in Asia, & Bythinia, vt Ioanni Asia reseruaretur, & Bithynia Lucæ, inquit magister Historiæ Scholasticæ. De Ioanne indicat etiam Chrysostomus, quoniam eo fruituri erant Asiatici multis temporibus, & forsan non multum habebant opus. Similiter prohibitum se dicit peruenire ad Romanos, quod ad prædicandum in iis locis destinatus esset,

vbi

vbi *nominatim non erat Christus.* Romæ autem iam Petrus prædicauerat, *Propter quod*, inquir, *& impediebar plurimùm venire ad vos, prohibitus sum vsque adhuc. Nunc verò vlterius locum non habens, in his regionibus; cupiditatem autem habens veniendi ad vos, ex multis iam precedentibus annis, cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero, quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fruitus fuero.* Innuit similem causam, Gregorius permissionis huiusmodi diuinæ, vt prosit iis magis ille, apud quos manere compellitur. Rom.c.15.20. & c.22.23 23. Rom. 22.24.

5. Cùm igitur nihil temerè agat Deus, nihil fortuitò, vt certius aliquid colligere, & minus dubiis coniecturis, Dei consilium in hac Prouinciarum designatione, & vocatione gentium ad fidem, assequi possimus: Ponamus ante oculos finem, cuius gratia consociatio Apostolorum atque communitas est instituta, qui quidem is est, quem præsens hominum status perditissimus & profligatissimus requirebat. Destinarat Deus ex æterno & ante, pronunciato suo decreto, nouas Apostolorum ac discipulorum suorum colonias, ad Christi fidem tum à Iudæorum oppugnatione defendendam, tum maximè inter Ethnicos amplificandam. Eósque singulis aperuit nationum campos, & cursus, ad quas futurum prænosceret, vt se latius funderet lumen fidei, innumeras atque latissimas Prouincias peragraret. Quod vberius sequenti capite 13. demonstrabitur.

6. Vide igitur quàm aptè conueniat, ita dicere, vt in Prouinciarum delectu, & æterna numinis constitutione, Scythiam, Pannoniam, Armeniam, Persidem, Indiam, Ægyptum, Æthiopiam, aliásque regiones immanitate Barbaras, in quibus exiguus hactenus extitit sementis Euangelicæ fructus, & innumerabiles eásque atrocissimas calamitates, Dei Ecclesia ab infidelibus, atque ab hæreticis perpessa, vehementérque debilitata atque diminuta est, elegerit Deus nihilominus, & per Apostolos ac Christi discipulos præpararit ad fidem: Galliam verò, quod non absurdè tantùm suspicantur, sed temerariè asseuerant nonnulli, depositam habuerit, & abiectam: quam prænosceret futuram, Arcem bonorum omnium, Magistram morum ac disciplinæ, Romanis Pontificibus, & Petri successoribus defensionis præsidium, fidei Catholicæ propugnaculum, Religiosorum omnium ordinum perfugium, portúmque tutissimum.

7. Hæc quæ testata sunt, & illustria, pluribus confirmant ipsa Ecclesiæ oracula, S. Gregorius ad Theodericum, & Theodebertum, Reges Francorum. *Deus regnum vestrum fidei rectitudine decorauit, & integritate Christiana religionis, inter gentes alias, fecit esse conspicuum.* Tum alibi, eosdem reges, cæteris gentibus gloriosiores eminere, ait, quod gratia Christianæ religionis, eorum regnum iam olim effulserit. Item, quantò cæteros homines regia dignitas antecellit, tantò cæterarum gentium Regna, regni Franciæ lumen excellere. Paulus Papa, Pepinum regem appellat, fundamentum, & Caput omnium Christianorum. Clemens 8. ad Præsules Galliæ. *Ille, ait, qui diues est in misericordia Regnum nobilissimum non derelinquit,* Greg.lib.5.ep.58. lib.8.ep.114. lib.6.ep.6.

vnde tot fortissimi Martyres, tot sanctissimi Episcopi, tot Christianissimi reges prodibant; in quo supersunt semina veteris pietatis, & auitæ religionis, quæ vestra diligenti cultura sunt excolenda, vt reuulsis vepribus & spinis læta, & copiosa seges succrescat in illa Christianissima Gallia, quæ ob insignem in fidei integritate constantiam, à veteribus celebrata est, & illustribus elogiis ornata; quòd monstra non aluisset.

8. Præfatione in Clementinas rectè obseruat interpres, cùm Romæ *Rex* dicitur, nec additur nomen, subintelligi Regem Franciæ, quia domus Regum Franciæ proprium est, Romanam Ecclesiam & Christianam Religionem, aduersus hostes defendere. Gallicanæ verò Ecclesiæ florentissimæ, meminerunt S. Irenæus, Tertullianus, Arnobius, Arator: eámque esse de qua Regius vates prædixit Psalmo 21. *Annuntiabitur Domino, generatio ventura.* Et, *Annuntiabunt Cœli*, id est Apostoli, *iustitiam eius, populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.* Sed ea laus est singularis quæ à S. Polycarpo Martyre, Galliæ tribuitur, cùm S. Benignum Burgundiæ Apostolum futurum monet, vt in latissima Galliarum regione populum sua prædicatione regeneraret, *substantiuum*, id est, stabilem in vera fide *substantia rerum sperandarum*, semel agnita & suscepta. *Nec infixum in limo profundi*, hæreseon, vbi non est substantia; proinde Galliam monstra non habuisse, sed viris fortissimis & eloquentissimis abundasse, testatur Hieronymus, aduersus Vigilantium; nec ita multo pòst, sub Iustiniano, Agathias Scholasticus Francos omnes, esse ait, *Christianos, & rectissimæ inter cæteros persuasionis ac fidei.*

Iren. lib. 1. c. 3. Tertull. Aduersus Iudæos c. 1. Arno. lib. 1. Arator præfat. in Act. Apost.

M.S. hist. S. Benigni.

Agat. lib. 1.

8. Ex quibus satis liquet, diuinam prouidentiam longè aliter, atque Critici temerè, & nulla ratione existimant de Galliæ delectu, & vocatione ad fidem, id quod maximè congruere videbatur, sanctissimè & prouidentissimè constituisse: pluresque viros Apostolicos, siue tunc per eam posterioris dispersionis occasionem; siue postea missos ab Apostolis, in Galliam deuenisse. Nec solùm vestigiis eorum impressam, sed etiam sanguine imbutam; plurimósque eorum opera, inibi factos esse Christianos. Certe partem eius aliquam, Paulum Apostolum perlustrasse; similiter & Lucam, vetus opinio fuit. Quod verò, Philippum Apostolum Gallis etiam Christum prædicasse, Isidorus affirmat, haud est dubium, Galatis loco *Gallis* restituendum esse, nam Galatæ, Gallorum coloni, partem Phrygiæ, ad quam destinatus fuit Philippus, incoluere.

9. Tota aduersus nos belli moles, in hanc disquisitionis nostræ partem incumbit: quà constanter & liberè affirmamus Magdalenam, cum fratre Lazaro, & sorore Martha, multisque aliis Christi discipulis comprehensam à Iudæis in nauem, sine velo ac remigio impositam, vastissimóque mari, ad certum naufragium commissam, Deo gubernante, saluis omnibus Massiliam appulisse. Quod, censores morosi, quibus peculiare semper fuit, nota omnibus, & explorata, solos ipsos nescire, obscura & falsa, solos cognoscere; inter Apocrypha inprimis adnumerant, nec nō turpissimi

pissimi ac patentissimi mendacij animaduersione proscribunt; sed tantùm abest, vt hæc opinio desperanda sit, vt potiùs commodissimè nec vno modo ostendere liceat, nihil per eam affirmari, cum sana & Agiographa Historia minus conueniens. De argumentis, agemus mox infrà, & signis omni luce clarioribus oppositas difficultates diluemus.

10. Quod ad tempus traiectionis attinet, non est quòd quis dicat, ante dispersionem Apostolorum, aut ante Concilium 1. Oecumenicum, Hierosolymæ celebratum, Magdalenam in Gallias esse profectam: necdum enim apertum fuerat ostium Gentibus, quod Petrus primus omnium reserauit, ac reserasse oportuit, vt dicitur in Actis apud Lucam. Nec vlla Act. c. 1. & 10. paritur ratio, vt antea sibi Prouinciam delegissent Apostoli, aut Discipuli, quàm per Spiritum sanctum, segregati in Euangelium, interueniente supremi Ecclesiæ Apicis autoritate, missi fuerint. Eóque sensu, accipienda sunt illa verba Innocentij Papæ in Epistola ad Decentium: Quòd Innocen. ep. 1. nullus Apostolorum, in Hispania vel Gallia, populum Gentilem docuerit; sed illi tantùm, quos in eas regiones misisset Petrus Apostolus.

11. Dicit verò Antoninus, Christum Magdalenam fecisse, *Apostolorum Apostolam*, dum eam, ad nuntiandam gloriam resurrectionis suæ, primam misit & hanc, inquit, inter mulieres legimus populis prædicasse. S. Vincentius. De officiis item Magdalenæ. Quintum officium, & maius est, quod eam fecit *Apostolam*, quod est altius officium & principale; *Nos ipsi primitias Spiritus habentes.* Glossa quia, inquit, tempore priùs, & cæteris abundantius, Petrus & Paulus, & alij fuerunt Apostoli, id est missi ad peccatores; sed Maria Magdalena *Apostolorum Apostola*, idest missa ad conuertendos Apostolos, dubios de Christi resurrectione. *Vade ad fratres meos, & dic eis; ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*; venit ergo Maria Magdalena, annuntians discipulis, *quia vidi Dominum & hæc dixit mihi.* Ideo cantat Ecclesia. *O vas, & margarita præfulgida, quæ resurrectionem Christi nuntiando, Apostolorum Apostola fieri meruisti.*

Anton. 1. par. tit. 6. c. 19.

Vincen. serm. de S. Maria Magdal.

12. Laudat Eusebius, Appollonij Theologi antiqui testimonium, Euseb. lib. 5. c. 7. Rom. 8. de veteri traditione, quòd iniunctum fuerit Apostolis à Christo, ne Hierosolymis discederent, ante annum à Christi ortu 46. ab eius Ascensione 12. Claudius de Rota Ordinis Fratrum Prædicatorum, in Legendis Sanctorum, de Magdalena refert ex antiquis tabularum monumentis, non accidisse hanc Apostolorum dispersionem, ante annum à Christi ascensione, 14. Post ascensionem inquit Domini, scilicet anno 14. à passione, cùm Iudæi, Stephanum iamdiu occidissent, & cæteros discipulos, Iudææ finibus eiecissent: diuersarum Gentium, discipuli subeunt regiones, verbum Domini ibidem seminantes. Erat autem tunc temporis, cum Apostolis Beatus Maximinus, vnus de LXXII. Domini discipulis, cui à Beato Petro, Maria Magdalena fuerat commendata. In hac igitur dispersione, Beatus Maximinus, Maria Magdalena, Lazarus frater eius, Martha so-

ror ipsius pedissequa Marthæ, nec non & Beatus Cedonius, qui cæcus à natiuitate extiterat, sed à Domino fuerat liberatus. Omnes hi, insimul, ac plures alij Christiani, naui ab infidelibus impositi, sed pelago sine aliquo gubernatore expositi, vt omnes simul submergerentur, diuino tandem nutu, Massiliam aduenerunt. Quibus adstipulari videtur Lucius Dexter, in Chronico, vbi tradit, etiam id tardius contigisse, scilicet anno Christi 48. qui & subiungit. Anno Christi 84. Maria Magdalena, miraculis clara, mirificè diuinis laudibus, & contemplationi dedita, in Galliam migrat. Et Franciscus Binarius, eius Scholiastes, ad annum Christi refert 34. paulò post Christi ascensionem.

Marci c. 16.

13. Sed hunc errorem manifestè Baronius conuincit, cùm Marcus Euangelium suum post diuisos in orbem terrarum Apostolos scripsisse significet, quando in fine ait. *Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Constétque eum, illud, anno sequenti, hoc est Christi 44. scriptis consignasse; hac enim ratione liquidò satis apparet, saltem biennio ante tempus ab Appollonio & aliis, suprà definitum, Apostolos in orbis Prouincias esse dispersos. Beda similiter refellit Pseudographum librum, de Virginis obitu, Melitonis Sardensis Episcopi nomine, in quo asseritur Apostolos anno secundo duntaxat ab Ascensione Domini, per orbem diuisos, in externis Prouinciis Euangelium prædicasse: nec enim anno vno, inquit, fieri potuit, vt qui in Ierusalem remansisse dicuntur Apostoli, inde discesserint, prædicato iam à dispersis aliis, Euangelio: donec Ecclesia per totam Iudæam & Samariam, & Galilæam, pacem haberet.

Beda Retract. in Acta.

Clemens Roma. Ep. 1.

14. Fuere etiam Hispani, quos dicit Theophanes in Symphonia veteris ac noui testamenti, & Clemens Romanus ad Iacobum fratrem Domini, vt contra Baronium suam tueantur traditionem de S. Iacobi in Hispaniam accessu, qui non multis adeo contemnendis coniecturis, & argumentis probare nituntur, tunc contigisse dispersionem quando Petrus & Ioannes petierunt Samariam: vel etiam post Domini Ascensionem, & aduentum Spiritus sancti; etiamsi non statim omnes, ad suas Prouincias profecti fuerint. Certè Acta ipsa Apostolorum, & variæ peregrinationes ac conuentus habiti Hierosolymis, de quibus hactenus disserumus, tam subitum discessum, ac præcipitem profectionem, perspicuè prohibent. Quare subductis, æquiore examine temporum rationibus, accidisse, illam iuxta, atque Magdalenæ traiectionem in Gallias, sub annum à Christi ortu 44. eius verò in Cœlos migratione 10. Claudij Imperatoris 2. haud dubie colligimus. Neque fingi potest in occasione, ad spatium temporis exequendi, quandam opportunitatem intercessisse, quæ cùm Apostolum Petrum ac cæteros remorata non sit, Magdalenam, quatuor illos reliquos annos, quos adiecerunt autores citati, Hierosolymis retardarit.

CAP

CAPVT VIII.

Massiliam appellit, eamque sanctissimis exemplis, & sermonibus iuuat.

1. IN Prouinciarum partitione, Magdalenæ ac Lazaro & Marthæ, maritima ora Salyorum obuenit, non minimo illius regionis bono. Iámque præstituta Massiliensi peregrinationi dies abierat, neque tamen infesto adhuc Iudæorum e xcursionibus, & periculoso itinere, clausóque Christianis portuum ostio, exitúque, spes transmissionis dabatur. Illa ergo, Ioppem versus, Hierosolyma discedit, & quidem spe aut expectatione, non alia adducta, quàm quod res omnes suas in Deo positas habere cuperet. Viæ ducem, præter Lazarum & Martham sororem, & Marcellam ancillam, pluresque alios Christi discipulos, Maximinum imprimis adsciscit, cuius tutelæ fideíque, Petrus ita ipsam commendauerat, vt chariorem haberet neminem. Neque verò insidiarum suspicionem aut periculi metum excludebat tantùm, sed etiam sollicitam viatici omnis curam: ne quid esse videretur, quod spem suam infringeret, & animum ad Cœlestia properantem, in suo cursu redderet tardiorem.

2. Erant in portu, totius Palæstinæ celeberrimo, nauicularij de more; nec deerant in anchoris, onerariæ in Galliam paratæ, aut quibus breuior traiectus fieret myoparones. Sed quo minus his vteretur, causa fuit Iudæorum effrænatus & præceps furor in Christianorum cæde bacchantium, qui ductâ Magdalenæ coloniam, in quam maiori odio exardescebant, captiuam in triumpho, nauiculæ commiserunt, certo perituram naufragio. Quippe cuius, iam carie & vetustate laxatæ compages, rimis fatiscebant, & cuius neque malus antennas sustineret, neque carinam saburra grauaret, à fluctuatione prohibens, quæ remis, rudentibus, gubernaculo, velis, ac cæteris prorsus omnibus ornamentis destitueretur, quibus vel tranquillo mari posset agitari nauicula, vel sæuiente procella inhiberi, vel occurrente vado expediri, vel aduerso scopulo reuocari, sine nauclero. Difficilè est, Sanctos frendentis ex odio & amentia, populi declinare sæuitiam. Sanè Iudæi præ cæteris, Magdalenæ eiúsque familiæ infensi, maiori cum inuidia, non recenti, sed vetere ac diuturna flagrabant, quod sicut mortali Christo hæserant vel officioso quopiam ministerio fuerant prosequuti, ita nec à præconio desisterent, nec ab instituto deficerent illius, quem meritò immortalitatis autorem agnoscerent ac venerarentur.

3. Mira subinde res, & Christi gregem auxit deinceps Massiliæ, & Magdalenæ nomen illustrius fecit. Nam de Cœlo adfuit nauarchus, qui

nauiculariam optimè exerceret. Adfuit diuinus ille Spiritus, qui secundissimo flatu, lembum impulit, qui Magdalenam, & alios eiusdem expeditionis socios, tot defunctos periculis, tam multis tempestatibus iactatos, scopulis enauigatis innumeris, Massiliam, non errore, aut casu, & temeritate fortunæ, sed diuinæ prouidentiæ consilio, ac directo nauigationis cursu posthabitis aliis regionibus, commodioribus quamtumlibet, & propioribus, fœliciter adduxit. Nec frustra tantum miraculum fuit, vectorum enim aduenarum vita, & salus corporis integra incolumísque seruata, Massiliensibus salutem ac vitam peperit animorum: quippe ex his complures non tam rei nouitatis, quàm magnitudinis admiratione, ad Christum adducti, & hoc exemplo ad implorandam Magdalenæ opem Christíque fidem expetendam accensi.

4. Hæc in Massiliensis ciuitatis pene oculis gesta, tum veteres codices M. M. SS. simul & autores de quibus infra; tum ex iis, Quiquetanus Episcopus Senecensis, *De laudibus Prouinciæ*, ac sigillatim de Magdalenæ in Gallias aduentu, scribit in hunc modum. Iam verò dubium vtro magis Massilienses gloriari habeant, cæteráque item Prouincia, an quod cœlestissimas animas Christóque imprimis dilectas, portu, vrbe, mox desertis, suscipere meruerint? an quòd tantam cœlitus gratiam imbiberint; vt easdem, patrio solo extorres, à propria gente, mari ad necem crudelissimè expositas, nouos deos adducentes, inauditam, nec parum (vt credibile est) inuidiosam venerationem profitentes, haud vllo affecerint malo. Quin potuis cœleste lumen haud impigrè ab eis receperint. Age verò. An non audita cuipiam, Maria illa Magdalena, peccandi crebritate tam primò infamis, quàm postea pœnitentia memorabilis? Cui item modo Christianæ gentis non perspectissimum, quàm inuitè accusari audierit Christus? quàm prompte accusatam defenderit? notiora sunt hæc quàm à me deduci debeant. Cæterùm hanc Iudæi, gens odiis inexplebilis, & inuidia supra modum crudeli, cum sorore Martha, fratre Lazaro, & Maximino, ex turba discipulorum vno, aliísque, cariosæ naiculæ & fragili inductam, sine velo, remis, gubernaculo, cæco mari permisere. O quam fidele è Cœlo præsidium! iactatur nauis, illi tranquilli animis, tuti, bene conscij, tandem (quæ Dei optimi benignissimi eximia, beneuolentia in nos fuit) eiusdem nutu Massiliensium portum tenuere. Nec id tamen, pro Petri, aut Pauli, cæterorum item Apostolorum, discipulorúmque more, nimirum vt de ciuitate in ciuitatem migrarent, de prouincia in Prouinciam: verùm vt quoad vita suppeteret Prouinciam nostram inhabitarent, excolerent cœlestissima pietate, & à monstrificorum animalium acerbissima iniuria vindicarent. Quonam fato igitur factum dicam, nisi manifestissima in nos Dei benignitate, vt nauicula, dilectissimis Christo animis onusta, è Iudææ portubus, libero vagóque mari credita, prætereuecta vastissima aquarum spatia, tot occurrentibus insulis, continentíque repudiatis, vnam Prouinciam nostram, quamuis incuruo remotóque recessu, veluti in terras littore ipso refugientem quæsierit, inuene-
rit

rit, & præcellentissimo oneri sedem dederit. Hæc ille.

5. Nomina, & numerum Discipulorum, qui hanc aduenarum Massiliensium exiguam manum conflarint, tantummodo coniectura ducimur ad suspicandum: præter Magdalenam & Lazarum, & Martham sororem, Marcellam pedissequam, Maximinū, Cedonium, aut Chelidonium, de quibus nuntiatur nobis ab antiquis testibus, quod pro certo habeamus; ex aliis referunt, Iosephum ab Arimathia, qui deinde in Angliam transiens ibi euangelizans Christum, in pace quieuit, Iulianum Cenomanensem Episcopum, qui dicitur esse Simon Leprosus; Martialem Petri discipulum, & Stephani affinem, Vrsinum, aut Vrsicinum, eundem cum Nathanaele; Ruffum filium Simonis Cyrenæi, *Quem angariauerunt Iudæi, vt tolleret Crucem Iesu.* Matth. 27. 32.

6 Hi, atque alij plures, vix è maris longis difficultatibus recreati, partem agri, pro se, quisque suam, excolendam diuinitus accipiunt, Maximino pars, quæ futura erat maxima, obtigit Ciuitas Aquensis, Lazaro Massilia, Magdalenæ vrbs vtraque; Marthæ Auenio, & aliæ; cæteris cæteræ, Prouinciæ & Galliæ ciuitates. Quis iam enumeret istorum colonorum in agro Prouinciæ colendo exsudatos labores? quis vigilias, inediam, peregrinationes, lachrymas, angores, pericula, dum efferatam gentem nefandis operantem sacris, ab idolorum cultu, ad Christum adducere sunt aggressi. Quis referat, quanta contentione altæ vitiorum radices fuerint extirpandæ? quanto studio & assiduitate, Euangelicæ doctrinæ quasi semina quædam sparserint, vt virtutum messis ampla se tolleret? Quantæ enim morum mutationes sequutæ sunt? Quàm multi eiulato Apolline, Diana repudiata, Christianis mysteriis voluerunt initiari? Quàm multæ puellæ, proculcatis voluptatum blandimentis, cum Martha virgine, florem campi seruauerunt illibatum? Quàm multa inanium Deorum proculcata simulachra? quàm multa delubra diruta? quàm multi Principes sese æterno Principi Christo nuncuparunt? quàm gloriosum fuit Magdalenæ, Dynastam Massiliensem, eiusque familiam vniuersam, priuatis colloquiis ad fidem illexisse, tam iucundum fuit Maximino eosdem salutaribus vndis immersisse in vrbe Aquensi.

7 Vberiùs ac fusiùs tractantur ista in Breuiarij Aquensis M.S. vetustissimo, & in aliis literarum antiquis monimentis, quæ compendio repræsentata voluit Ioannes Maldonatus, in libro qui inscribitur *Vitæ Sanctorum ad Breuiarij modum & vsum per quam decenter accommodata.* Post Christi Ascensionem ad Patrem, Stephano lapidato discipulisque dispersis, Iudæi, Magdalenam & fratres cum plurimis aliis impositos naui, domo patriáque exulare compulerunt, qui sine remige, sine rectore, maria sulcantes, Massiliæ tandem appulere. Tantam fuisse elegantiam, vímque dicendi in Magdalena comperimus, vt Massilienses melleam eius orationem, cum pulchritudine coniunctam admiratos, ceu diuinum oraculum quoddam audiuisse, literis mandatum sit. Non enim modò plebem humilem fecit orthodoxam, sed miraculis Principi persuasit, prolem, quam sterilitas coniugis obnegabat, à Christo Deo esse petendam, potius, quàm à simulachris, va-

nisque Diis, &c. Princeps igitur cum omni populo baptizatus Christo templum erexit, cuius dicitur Lazarus primum gessisse præsulatum.

8 Lege & ea quæ Petrus Equilinus, Vincentius Bellonacensis, Antoninus, Bernardus Guidonis, Ribadeneira, & alij alia id genus, reliquis in posterum prodierunt, seruans Apostoli regulam, de qua nos infrà, vt cuncta probans quod bonum est teneas. Multò copiosiùs tractat Balduinus Cabillianus è Societate nostra, in sua Magdalena, magnus vbique vir, & authoritate, & humaniorum literarum peritia, & certè dignus cuius etiam longiorem exornationem, ac numeros poëticè vinctos, hîc inseramus.

Balduinus libr. 4 h. elegiarum de D. Magdal.

ELEGIA VI.

Celeusma Genij Massiliensis, ad Magdalenam.

Palantem vt vidit per lubrica stagna carinam
Massiliæ Genius, lynceus Argus aquis.
Hicet enodes celer ille per aera pennas
Explicat, & Cœli nubila regna secat.
Quaque preit, lux insequitur, mirantibus astris,
Aeriúmque terit arduus ales iter.
Donec ouans, propiore latus ratis attigit ala.
Tum demum lacera constitit ille trabe.
Non sine luce, caput sibi lilia fulua coronant,
Vnde micat purum per freta cæca iubar.
Aspicit hic trepidas, trepido cum fratre sorores
Quas rapit vndosis fluctus & aura viis.
Et simul vt sensit versari in turbine leti,
Pallidáque ora metu, liliger hospes ait.
Euge, procellosas, mea Magdala, discute curas,
Nunc agitur vento linter & vnda suo.
Trunca licèt remo, clauo licèt orba magistro,
Certa tamen fido tramite curret iter.
Vndisonas hiemes, & turbida bella Triones
Scyllæásque minas fulmineósque globos
Franget, Io victrix ratis, edomitúmque per æquor
Clara triumphali puppe tropæa vehet.
Dixit, & hæc firmat plaudentibus omnia pennis,
Clara dat æthra faces, festa dat vnda choros.
Cymothoéque, Haliéque, Amatcháque & Orithyia,
Spióque, Axinoéque, & Galatea soror.
Nereidúmque parens, simum & pecus Amphitrites
Et Glaucus, Cyano quos regit orbe greges.
Agglomerant agiles, vndosa per arua choreas,

Ae

Ac tremulis pinnis orgia fausta vibrant
Et venit vndisono comes Æolus ipse triumpho:
Qua tuba vox belli, tibia pacis erit.
Sis memor ante tuis qua se sistis obuia velis
Ibit in amplexus, Gallica Diua tuos:
Auricomósque tua figet trabe, Gallia flores,
Quaque prius somnus, lilia sidus erunt.

CAPVT IX.

Obitus & Sepultura.

NOn tamen externarum rerum occupatione, & cura salutis animorum, vsque adeò distringebatur Magdalena, vt orationis, contemplationis, meditationísque studium, in illa eximium retardaretur. Etsi enim mentem in Dei diuinarúmque rerum cognitione defixam perpetuò haberet: statum nihilominus ac certum seponebat tempus, quod ereptum negotiis, tribueret contemplationi rerum cœlestium. Huc pertinet ab Antonino ducta Mariæ nominis interpretatio, quod dicitur inquit, *Amarum mare*, vel *illuminatrix*, aut *illuminata*, per hæc enim tria, intelliguntur tres *partes optima quas elegit quaque non auferentur ab ea*, Pars pœnitentiæ, pars contemplationis internæ, & pars cœlestis gloriæ, de qua triplici parte intelligitur, quod dicit Dominus; *Maria optimam partem elegit qua non auferetur ab ea.* Prima enim pars non auferetur, ratione finis, quæ est consecutio beatitudinis; Secunda, ratione continuitatis, quia contemplatio viæ continuatur, cum contemplatione patriæ; tertia ratione suæ æternitatis. In quantum igitur elegit optimam partem pœnitentiæ, dicitur *amarum mare*, quia ibi multam amaritudinem habuit, quòd patet ex eo quòd tot lachrymas fudit, quòd inde pedes Domini lauit. In quãtum elegit optimam partem contemplationis internæ, dicitur *illuminatrix*, quia ibi hausit auidè, quod postmodum effudit abundè, ibi lumen accepit, quo postmodum cæteros illustrauit. In quantum elegit optimam partem cœlestis gloriæ, dicitur *illuminata*, quia tunc illuminata est lumine perfectæ cognitionis in mente, & lumine claritatis in corpore.

2. Maximè verò in Christi vitæ mortísque meditatione acquiescebat, satis gnara, ibi eximia omnis exempli documenta, in illustri posita monumento intueri, atque imitari licere: cuius rei, ipsa eius verba testimonio sunt, in iis quæ oraculo edidit fratri Elyæ viro sanctissimo, ac Religiosissimo, Ordinis Fratrum Prædicatorum, apud Surium, Baronium, Bzouium, Cornelium à Lapide, & plures alios, autore Syluestro Prierate, in Rosa aurea, ex quo infrà. *In ipsa, inquit Cruce mysteria cuncta Christi videbantur. Ibi Anna, & Ioachim historias. Ibi Mariam Iesum meum mihi parientem, ibi cruci-*

fixi tetrum liuorem, ibi pium cruorem, ibi dura vulnera, ibi crucem ad mortem eius dabatur intueri, & eundem regredientem ab inferis, & Cœli sydera penetrantem.

3 Hoc meditationis genus maximè salubre ac frugiferum, præcipuum vtique exemplar Christianæ vitæ, & ingens inuitamentum diuinæ charitatis, & impensè complectebatur ipsa, & eidem Elyæ, cæterisque commendabat, vt de Dynasta Massiliensi eiúsque coniuge, quos ad Christum adduxisse Magdalenam suprà dictum est, testantur passim histori.i. Quo in negotio, haud maiore mentis ardore versabatur, quàm animi constantia. Sed id aliàs, non magis intellectum est, quàm, cum rebus Ecclesiæ iam scitè instructis, atque compositis: de turba, & à concionibus, in otium solitudinémque se contulit. Postquam enim Apostolatu perfuncta, Massilienses ad Christum conuertit, instinctu Dei secessit in montem, futura sæculis omnibus pœnitentię & contemplationis exemplar: habes Syluestrum ista tractantem, quibus circumscriptus esset, ille habitandi locus, planus an montosus? leuis an asper? salubris an pestilens? opacus an apricus? cultus an incultus? celebris an desertus? coædificatus an vastus? obscurus an rerum gestarum vestigiis nobilitatus? Sic enim vniuersa, sigillatim attingit.

4 Mons est in Prouincia, ab Oriente Niciam, ab Occidente Massiliam, à Meridie mare, & à Septentrione habens Auenionem. Hic ad altitudinem trium millium passuum assurgit, & deinde iubam, seu cristam gerit lapideā, ab Occidente in Orientem, decem millibus passuum, & eo amplius extensam, quæ ab Occidēte, sic præcisè cernitur, vt murum vastissimum dixeris; nam ad instar ferè duarum præcelsarum turrium eleuatur; in rupis eius radice, spelunca est eleuata, quantùm magnus, immò maximus iactus est lapidis, ore prospiciens Occidentem & clibani formam præ se ferens. Ante os speluncæ, est breue spatiolum. Intus verò ad læuam intrantis, & ad speluncæ medium, lapis à solo surgens, in tumulum eleuatur, & paulatim ac sensim versus interiora speluncæ euanescit, inter quem & extrema speluncæ, fons pulcherrimus patet, frigidissimus iactu, & gustu dulcissimus, nunquam deficiens, & nunquam patenter ad extra prosiliens. Super eo lapide, Magdalena, & contemplationi, & quieti nocte vacabat, vt communis est fama, & imago ibi, quasi Magdalenæ apertis oculis quiescentis, Beato Maximino autore, reposita, testatur. Vnde cùm tota spelunca interdum, guttulis generati humoris humectetur, lapis ille solus, vt dicitur, omni tempore, immunis ab iniuria stillicidij, conseruatur.

5 Mox de orationis suæ studio Magdalena. Crucem igitur in ore speluncæ Angelus erexit, dicens. Caue ne extimescas in posterum: quia custos tui est Altissimus. Igitur ante Crucē, eo disparente, cùm iacuissem, orationi, timore nimio exiccatis visceribus, instare, attenta nō præualens collectas duas radices, in ipso ore speluncæ, & lotas comedens, aquam de fonte bibi, postquam humanum aliquid non gustaui. Crucem deinde cōplexa, ea die, ac nocte sequenti orans, orto sole, visum ad Crucem ipsam leuaui, coloris, vt videbatur, crystallini, & radiis fulgentibus coruscam, cúmque in me vehemen

vehementissimi amoris flammam persensissem, ecce tam læta & iubilans Angelorum turba adfuit, vt æternam vitam in hoc antro credidisses.

6 Hanc sibi formam religiosæ vitæ dedit, & in ea, triginta perdurauit annos, tantùm pœnitudini, Religionique indulgens, quantum mundo priùs deliciisque impenderat. Nulli hominũ per id tempus visa est, à solis Angelis frequentata, donec instantis mortis præscia, à Sacerdote, solitudinem eamdem incolenti passa est adiri: cui ad Maximum Episcopum, vnum ex 72. Christi Discipulis, qui comes fuerat itineris à Iudæa, mandatum dedit, vt proxima die Dominica, cum Eucharistia paratus ad aram esset. Venit præstituta die, Maria septa Angelis, Christique sumpto viatico, placidissimè obdormiuit in Domino.

7 Istud enim ei denuntiarat S. Michaël Archangelus dicens: Deus, quem tantùm, ô Magdalena concupiscis, & semper habes, te vult hunc locum lachrymis irrigare profusis, vt futuris sæculis, exemplum pœnitentiæ perpetuò sis. Ac iterum Angelus, qui ad Purgatorij loca eam deduxerat, reponens ipsam ad Crucem in Balma edixit & prædixit. Quanto tempore, tuus ac noster amor Iesus, in terris propter te vixit: tanto tu quoque in hac spelunca moraberis, vt ipsa apparens Elyæ Anachoretæ, Balmam suam incolenti narrauit, teste eodem Doctore Syluestro.

8 Qualibet autem die septem Horis canonicis, ab Angelis in æthera leuabatur, & cœlestium agminum gloriosos concentus, corporalibus etiam auribus percipiebat; quibus tanquam suauissimis dapibus, quotidie saginata, & inde per Angelos ad proprium locum restituta, corporeis cibis non egebat.

Apud eumdem Cabillianum grauem illum, & ingeniosum poëtam, Amor diuinus, sic agit, vt Magdalenam in antrum inducat.

ELEGIA VII.

Magdala, Massilia sedem vt defixit Eremo,
Visit inexperto barbara tesqua pede:
Errat arenosis procul hospes inhospita campis,
Nescia lustrat agros, nescia lustrat aquas.
Cui comes aquus amor, viridante vagatur in agro,
Metatúrque pari frondea regna pede.
Hic iuga nexa iugis, hic vmbrifera conualles..
Hic specus, atque cauo scrupea tecta specu.
Hic viret, & sacra lotos, amœno vertice lotos,
Lotos ab Eois aduena sylua plagis.
Immemor hic patria succedit, & incubat vmbram
Magdalis, Isacio iam procul exsul agro.
Fortè grauem patula dum frangit in arbore solem;
Algidáque ardentem fregerat aura diem.
Ecce sibi Pandionia soror æmula Prognes:

Erudit argutis colla canora modis.
Nunc variat flexo, stanti nunc gutture firmat
Nunc lentat, rapido nunc rapit ore sonum.
Nunc acuit claro, fusco nunc murmure densat,
Nunc reuocat, longas nunc trahit illa moras.
Denique se cunctas lyra viua figurat in artes,
Luce canendo sonat, nocte canendo sonat.
Idque vbi, bis septem reuehit sol Maius Eoas
Septenos numeros accinit Atthis auis.
Augurium fœlix addicit prosperus oscen:
Omen ab augurio nobile captat amor.
En ait, ô mea Nympha, tua par sortis imago
O te felicem qualia plectra manent!
Ite mei latum Charitum genus, ite clientes
Et date Magdaleis orgia festa choris.
Ite pares, habilique fides impellite plectro,
Septena vt rapiant Magdalin astra lyrâ.
Sic ait, hæsit Amor: pia Magdalis hæsit: in auras
Visus vterque rapi, raptus vterque silet
Nec penitus silet, in dulces cor liquitur imbres:
It pro voce pius muta per ora liquor.
Hæc inter testudo cauis proserpit arenis,
Et furtim trepidos lambit amica pedes.
Magdalis vt sensit, primùm stupor admirantem
Defixit, tacito lumine risit Amor.
Eia graues, ait ille, metus depone: sub illa
Cerne ferâ, pietas hospita tecta colit.
Qui latet, arcana testudine clausus, & antro
Quale colis, Stygio tutus ab hoste latet.
Annuit, arridens tranquillo Magdala vultu,
Vt procul ab mundo deuia regna colat.
Hoc ait in saxo, (saxúmque ostendit, & antrum)
Iam mihi secura regia pacis erit.
Hîc teneris foliis tenerísque sub arbore libris
Magdalis inscribam nobile nomen, Amo.
Magdalis & Iesus concors in cortice nomen
Cresce diu, & pulchri crescet amoris honos.
Hac si carpat iter fortasse viator eremo,
Magdalis & Iesus *nomina nupta leget.*
Scripserat, in viridi iam Magdala fronde Iesu
Optatámque diu iam subit illa domum.
Flexipedes hedera, crispo connubia musco
Hîc iungunt, viridi consocianda toro.
Hîc agili pede lapsa, relapsa per aspera montis,

Desilit

Desilit aëria Nympha caduca petra.
Dum bibit, & gelida sibi Magdala temperat artus
Fonte leuante sitim, fonte lauante pedes.
Ecce tibi, sylua denso prorumpit asylo,
Et premit infesto Magdalin ore, lupus.
Inclamat comitem pia Nympha? Quid ille trementem
Deserit? ista truci iam cadat agna feræ?
Verte vices: iussa fera mox cadet hostia morti,
Et lupa mox agni fata gemenda gemit.
Cerne Leo, penito quo Magdalis accubat antro
Emicat, & quadrupes vltor ad arma ruit.
Et rauam rapit vngue feram, rapit asper hiatu
Dilaniátque trucem vindice dente lupum.
Viuida Magdalei Leo victor imago triumphi est,
Diua premet Stygios facta leana lupos.

9 De Obitu ac sepultura, ea quæ restant fusè prosequitur Antoninus, & perquam breuiter perstrinxit, atque attigit Ribadeneira in vita Magdalenæ. Sacerdos quidã solitarius, & vitam Eremiticam agere cupiens, sibi cellulam fabricauit prope, ad milliare cum dimidio, ad dictum locum. Vna autem dierum, Dominus aperiens oculos dicti Eremitæ, vidit oculis corporeis, Angelos in humana specie eleuantes de terra ex dicto loco, quamdam mulierem, & iterum, post horam reponentes illam. Quò cum pergeret, appropinquans ad locum, incipiebat deficere, retrocedens vires pristinas resumebat. Ex quo intelligens, mysteriũ Dei esse, audiuit à Maria Magdalena se esse illam peccatricem, de qua in Euangelio legitur, quæ narrauit ei tempus, suæ inibi mansionis, & septenariæ quotidie per Angelos sublеuationis, mandans ei vt Beato Maximino hoc reuelaret, & cùm esset de corpore migratura domino reuelante, die dominica sequenti, in aurora, S. Maximino in Ecclesia expectauit, apparuit Beata Magdalena, duobus cubitis terra eleuata, in medio Angelorum, & multo lumine circumdata. Quæ coram Clero & populo cum multis lachrymis, Eucharistia sumpta, spiritum ibi reddidit Deo, sepulta iuxta altare. Hæc Antoninus. Anton. 1. part. tit. 6. cap. 19. §. 1.

10 Porrò ad magnum honorem pertinere, hunc locum reliquiis assignatum, docent Ambrosius in exhortatione ad Virgines, De reliquiis SS. Vitalis & Agricolæ, & in Epistola ad sororem, de Inuentione corporum Geruasij, & Protasij, Hieronymus contra Vigilantium, Augustinus, Sozomenus, Concilium Carthaginense, & vsus ac consuetudo ipsa Ecclesiæ hoc firmat. Semper enim altaria, in magno honore fuerunt, ita vt etiam suo modo adorarentur. Tertullianus inter ritus Christianorum ponit Aris adgeniculari. Videtur autem ista sepulturæ religio tempore Apostolorum cepisse, nam ideò Ioanni ostensæ sunt in cœlo animæ Martyrum sub altari, quia corpora eorum in terris, sub altaribus requiescunt, vt interpretantur Patres. Ambr. lib. 5. cap. 8. August. serm. 11. de Sanct. Sozom. lib. 5. c. 8. Concil. Carthaginen. V. can. 14. Tertull. lib. de Pœniten. Apocal. 6.

Erudit argutis colla canora modis.
Nunc variat flexo, stanti nunc gutture firmat
Nunc lentat, rapido nunc rapit ore sonum.
Nunc acuit claro, fusco nunc murmure densat,
Nunc reuocat, longas nunc trahit illa moras.
Denique se cunctas lyra viua figurat in artes,
Luce canendo sonat, nocte canendo sonat.
Idque vbi, bis septem reuehit sol Maius Eoas
Septenos numeros accinit Atthis auis.
Augurium fœlix addicit prosperus oscen:
Omen ab augurio nobile captat amor.
En ait, ô mea Nympha, tua par sortis imago
O te felicem qualia plectra manent!
Ite mei latum Charitum genus, ite clientes
Et date Magdaleis orgia festa choris.
Ite pares, habilique fides impellite plectro,
Septena vt rapiant Magdalin astra lyrâ.
Sic ait, hæsit Amor: pia Magdalis hæsit: in auras
Visus vterque rapi, raptus vterque silet
Nec penitus silet, in dulces cor liquitur imbres:
It pro voce pius muta per ora liquor.
Hæc inter testudo cauis proserpit arenis,
Et furtim trepidos lambit amica pedes.
Magdalis vt sensit, primùm stupor admirantem
Defixit, tacito lumine risit Amor.
Eia graues, ait ille, metus depone: sub illa
Cerne ferâ, pietas hospita tecta colis.
Qui latet, arcana testudine clausus, & antro
Quale colis, Stygio tutus ab hoste latet.
Annuit, arridens tranquillo Magdala vultu,
Vt procul ab mundo deuia regna colat.
Hoc ait in saxo, (saxúmque ostendit, & antrum)
Iam mihi secura regia pacis erit.
Hic teneris foliis tenerisque sub arbore libris
Magdalis inscribam nobile nomen, Amo.
Magdalis & Iesus concors in cortice nomen
Cresce diu, & pulchri crescet amoris honos.
Hac si carpat iter fortasse viator eremo,
Magdalis & Iesus *nomina nupta leget.*
Scripserat, in viridi iam Magdala fronde Iesu
Optatámque diu iam subit illa domum.
Flexipedes hederæ, crispo connubia musco
Hic iungunt, viridi consocianda toro.
Hic agili pede lapsa, relapsa per aspera montis,

Desilit

Desilit aëria Nympha caduca petra.
Dum bibit,& gelida sibi Magdala temperat artus
Fonte leuante sitim,fonte lauante pedes.
Ecce tibi,sylua denso prorumpit asylo,
Et premit infesto Magdalin ore,lupus.
Inclamat comitem pia Nympha? Quid ille trementem
Deserit? ista truci iam cadat agna feræ?
Verte vices:iussa fera mox cadet hostia morti,
Et lupa mox agni fata gemenda gemit.
Cerne Leo,penito quo Magdalis accubat antro
Emicat,& quadrupes vltor ad arma ruit.
Et rauam rapit vngue feram,rapit asper hiatu
Dilaniátque trucem vindice dente lupum.
Viuida Magdalei Leo victor imago triumphi est,
Diua premet Stygios facta leana lupos.

9 De Obitu ac sepultura, ea quæ restant fusè prosequitur Antoninus, & perquam breuiter perstrinxit, atque attigit Ribadeneira in vita Magdalenæ. Sacerdos quidā solitarius, & vitam Eremiticam agere cupiens, sibi cellulam fabricauit prope,ad milliare cum dimidio, ad dictum locum. Vna autem dierum, Dominus aperiens oculos dicti Eremitæ, vidit oculis corporeis, Angelos in humana specie eleuantes de terra ex dicto loco, quamdam mulierem, & iterum, post horam reponentes illam. Quò cum pergeret, appropinquans ad locum, incipiebat deficere, retrocedens vires pristinas resumebat. Ex quo intelligens, mysteriū Dei esse, audiuit à Maria Magdalena se esse illam peccatricem, de qua in Euangelio legitur, quæ narrauit ei tempus, suæ inibi mansionis, & septenariæ quotidie per Angelos [illegible]leuationis, mandans ei vt Beato Maximino hoc reuelaret, & cùm esset de co[illegible]e migratura domino reuelante, die dominica sequenti, in aurora, S. Maximin[illegible] in Ecclesiā expectauit, apparuit Beata Magdalena, duobus cubitis terra eleuata, in medio Angelorum, & multo lumine circumdata. Quæ coram Clero & populo cum multis lachrymis, Eucharistia sumpta, spiritum ibi reddidit Deo, sepulta iuxta altare. Hæc Antoninus. Anton. 1. part. tit. 6. cap. 19. §. 1.

10 Porrò ad magnum honorem pertinere, hunc locum reliquiis assignatum, docent Ambrosius in exhortatione ad Virgines, De reliquiis SS. Vitalis & Agricolæ, & in Epistola ad sororem, de Inuentione corporum Geruasij, & Protasij, Hieronymus contra Vigilantium, Augustinus, Sozomenus, Concilium Carthaginense, & vsus ac consuetudo ipsa Ecclesiæ hoc firmat. Semper enim altaria, in magno honore fuerunt, ita vt etiam suo modo adorarentur. Tertullianus inter ritus Christianorum ponit Aris adgeniculari. Videtur autem ista sepulturæ religio tempore Apostolorum cepisse, nam ideò Ioanni ostensæ sunt in cœlo animæ Martyrum sub altari, quia corpora eorum in terris, sub altaribus requiescunt, vt interpretantur Patres. Ambr. lib. 5. cap. 8. August. serm. 11. de Sanct. Sozom. lib. 5. c. 8. Concil. Carthaginen. V. can. 14. Tertull. lib. de Pœniten. Apocal. 6.

Erudit argutis colla canora modis.
Nunc varias flexo, stanti nunc gutture firmat
Nunc lentat, rapido nunc rapit ore sonum.
Nunc acuit claro, fusco nunc murmure densat,
Nunc reuocat, longas nunc trahit illa moras.
Denique se cunctas lyra viua figurat in artes,
Luce canendo sonat, nocte canendo sonat.
Idque vbi, bis septem reuehit sol Maius Eoas
Septenos numeros accinit Atthis auis.
Augurium fœlix addicit prosperus oscen:
Omen ab augurio nobile captat amor.
En ait, ô mea Nympha, tua par sortis imago
O te felicem qualia plectra manent!
Ite mei latum Charitum genus, ite clientes
Et date Magdaleis orgia festa choris.
Ite pares, habilique fides impellite plectro,
Septena vt rapiant Magdalin astra lyrâ.
Sic ait, hæsit Amor: pia Magdalis hæsit: in auras
Visus vterque rapi, raptus vterque silet
Nec penitus silet, in dulces corliquitur imbres:
It pro voce pius muta per ora liquor.
Hæc inter testudo cauis proserpit arenis,
Et furtim trepidos lambit amica pedes.
Magdalis vt sensit, primùm stupor admirantem
Defixit, tacito lumine risit Amor.
Eia graues, ait ille, metus depone: sub illa
Cerne ferâ, pietas hospita tecta colit.
Qui latet, arcana testudine clausus, & antro
Quale colis, Stygio tutus ab hoste latet.
Annuit, arridens tranquillo Magdala vultu,
Vt procul ab mundo deuia regna colat.
Hoc ait in saxo, (saxúmque ostendit, & antrum)
Iam mihi secura regia pacis erit.
Hic teneris foliis tenerísque sub arbore libris
Magdalis inscribam nobile nomen, AMO.
Magdalis & Iesus concors in cortice nomen
Cresce diu, & pulchri crescet amoris honos.
Hac si carpat iter fortasse viator eremo,
Magdalis & Iesus *nomina nupta leget.*
Scripserat, in viridi iam Magdala fronde Iesu
Optatámque diu iam subit illa domum.
Flexipedes hedera, crispo connubia musco
Hic iungunt, viridi consocianda toro.
Hic agili pede lapsa, relapsa per aspera montis,

Desilit

Desilit aëria Nympha caduca petra.
Dum bibit,& gelidas sibi Magdala temperat artus
Fonte leuante sitim,fonte lauante pedes.
Ecce tibi,sylua denso prorumpit asylo,
Et premit infesto Magdalin ore,lupus.
Inclamat comitem pia Nympha? Quid ille trementem
Deserit?ista truci iam cadat agna feræ?
Verte vices:iussa fera mox cadet hostia morti,
Et lupa mox agni fata gemenda gemit.
Cerne Leo,penito quo Magdalis accubat antro
Emicat,& quadrupes vltor ad arma ruit.
Et rauam rapit vngue feram,rapit asper hiatu
Dilaniátque trucem vindice dente lupum.
Viuida Magdalei Leo victor imago triumphi est,
Diua premes Stygios facta leæna lupos.

9 De Obitu ac sepultura, ea quæ restant fusè prosequitur Antoninus, & perquam breuiter perstrinxit, atque attigit Ribadeneira in vita Magdalenæ. Sacerdos quidã solitarius, & vitam Eremticam agere cupiens, sibi cellulam fabricauit prope,ad milliare cum dimidio, ad dictum locum. Vna autem dierum, Dominus aperiens oculos dicti Eremitæ, vidit oculis corporeis, Angelos in humana specie eleuantes de terra ex dicto loco, quamdam mulierem, & iterum, post horam reponentes illam. Quò cum pergeret, appropinquans ad locum, incipiebat deficere, retrocedens vires pristinas resumebat. Ex quo intelligens, mysteriũ Dei esse, audiuit à Maria Magdalena se esse illam peccatricem,de qua in Euangelio legitur, quæ narrauit ei tempus, suæ inibi mansionis, & septenariæ quotidie per Angelos sublleuationis,mandans ei vt Beato Maximino hoc reuelaret, & cùm esset de corpore migratura domino reuelante,die dominica sequenti,in aurora, S.Maximino in Ecclesia expectauit,apparuit Beata Magdalena,duobus cubitis terra eleuata,in medio Angelorum,& multo lumine circumdata.Quæ coram Clero & populo cum multis lachrymis,Eucharistia sumpta, spiritum ibi reddidit Deo,sepulta iuxta altare. Hæc Antoninus. Anton. 3.part. tit. 6. cap. 19. §. 2.

10 Porrò ad magnum honorem pertinere, hunc locum reliquiis assignatum,docent Ambrosius in exhortatione ad Virgines, De reliquiis SS. Vitalis & Agricolæ, & in Epistola ad sororem, de Inuentione corporum Geruasij,& Protasij,Hieronymus contra Vigilantium, Augustinus, Sozomenus,Concilium Carthaginense,& vsus ac consuetudo ipsa Ecclesiæ hoc firmat.Semper enim altaria,in magno honore fuerunt,ita vt etiam suo modo adorarentur. Tertullianus inter ritus Christianorum ponit Aris adgeniculari.Videtur autem ista sepulturæ religio tempore Apostolorum cepisse, nam ideò Ioanni ostensæ sunt in cœlo animæ Martyrum sub altari, quia corpora eorum in terris, sub altaribus requiescunt, vt interpretantur Patres. Ambr. lib. 5. cap. 8. August. serm. 11. de Sanct. Sozom. lib. 5. c. 8. Concil Carthaginen. V. can. 14. Tertull. lib. de Pœniten. Apocal. 6.

Erudit argutis colla canora modis.
Nunc variat flexo, stanti nunc gutture firmat
Nunc lentat, rapido nunc rapit ore sonum.
Nunc acuit claro, fusco nunc murmure densat,
Nunc reuocat, longas nunc trahit illa moras.
Denique se cunctas lyra viua figurat in artes,
Luce canendo sonat, nocte canendo sonat.
Idque vbi, bis septem reuehit sol Maius Eoas
Septenos numeros accinit Atthis auis.
Augurium fœlix addicit prosperus oscen:
Omen ab augurio nobile captat amor.
En ait, ô mea Nympha, tua par sortis imago
O te felicem qualia plectra manent!
Ite mei latum Charitum genus, ite clientes
Et date Magdaleis orgia festa choris.
Ite pares, habilique fides impellite plectro,
Septena vt rapiant Magdalin astra lyrâ.
Sic ait, hæsit Amor: pia Magdalis hæsit: in auras
Visus vterque rapi, raptus vterque silet
Nec penitus silet, in dulces cor liquitur imbres:
It pro voce pius muta per ora liquor.
Hæc inter testudo cauis proserpit arenis,
Et furtim trepidos lambit amica pedes.
Magdalis vt sensit, primùm stupor admirantem
Defixit, tacito lumine risit Amor.
Eia graues, ait ille, metus depone: sub illa
Cerne ferâ, pietas hospita tecta colit.
Qui latet, arcana testudine clausus, & antro
Quale colis, Stygio tutus ab hoste latet.
Annuit, arridens tranquillo Magdala vultu,
Vt procul ab mundo deuia regna colat.
Hoc ait in saxo, (saxúmque ostendit, & antrum)
Iam mihi secura regia pacis erit.
Hic teneris foliis tenerísque sub arbore libris
Magdalis inscribam nobile nomen, Amo.
Magdalis & Iesus concors in cortice nomen
Cresce diu, & pulchri crescet amoris honos.
Hac si carpat iter fortasse viator eremo,
Magdalis & Iesus *nomina nupta leget.*
Scripserat, in viridi iam Magdala fronde Iesu
Optatámque diu iam subit illa domum.
Flexipedes hedera, crispo connubia musco
Hic iungunt, viridi consocianda toro.
Hic agili pede lapsa, relapsa per aspera montis,

Desilit

Desilit aëria Nympha caduca petra.
Dum bibit,& gelidas sibi Magdala temperat artus
Fonte leuante sitim,fonte lauante pedes.
Ecce tibi,sylua denso prorumpit asylo,
Et premit infesto Magdalin ore,lupus.
Inclamat comitem pia Nympha? Quid ille trementem
Deserit? ista truci iam cadat agna feræ?
Verte vices:iussa fera mox cadet hostia morti,
Et lupa mox agni fata gemenda gemit.
Cerne Leo,penito quo Magdalis accubat antro
Emicat,& quadrupes vltor ad arma ruit.
Et rauam rapit vngue feram,rapit asper hiatu
Dilaniátque trucem vindice dente lupum.
Viuida Magdalei Leo victor imago triumphi est,
Dina premes Stygios facta leana lupos.

9 De Obitu ac sepultura, ea quæ restant fusè prosequitur Antoninus, & perquam breuiter perstrinxit, atque attigit Ribadeneira in vita Magdalenæ. Sacerdos quidá solitarius, & vitam Eremticam agere cupiens, sibi cellulam fabricauit prope,ad milliare cum dimidio, ad dictum locum. Vna autem dierum, Dominus aperiens oculos dicti Eremitæ, vidit oculis corporeis, Angelos in humana specie eleuantes de terra ex dicto loco, quamdam mulierem, & iterum, post horam reponentes illam. Quò cum pergeret, appropinquans ad locum, incipiebat deficere, retrocedens vires pristinas resumebat. Ex quo intelligens, mysteriũ Dei esse,audiuit à Maria Magdalena se esse illam peccatricem,de qua in Euangelio legitur,quæ narrauit ei tempus, suæ inibi mansionis, & septenariæ quotidie per Angelos subleuationis,mandans ei vt Beato Maximino hoc reuelaret, & cùm esset de corpore migratura domino reuelante,die dominica sequenti,in aurora, S.Maximino in Ecclesia expectauit,apparuit Beata Magdalena,duobus cubitis terra eleuata,in medio Angelorum,& multo lumine circumdata. Quæ coram Clero & populo cum multis lachrymis,Eucharistia sumpta, spiritum ibi reddidit Deo,sepulta iuxta altare. Hæc Antoninus.

Anton. 1. part. tit. 6. cap. 19. §. 2.

10 Porrò ad magnum honorem pertinere, hunc locum reliquiis assignatum,docent Ambrosius in exhortatione ad Virgines, De reliquiis SS. Vitalis & Agricolæ, & in Epistola ad sororem, de Inuentione corporum Geruasij,& Protasij,Hieronymus contra Vigilantium, Augustinus, Sozomenus,Concilium Carthaginense,& vsus ac consuetudo ipsa Ecclesiæ hoc firmat. Semper enim altaria,in magno honore fuerunt,ita vt etiam suo modo adorarentur. Tertullianus inter ritus Christianorum ponit Aris adgeniculari. Videtur autem ista sepulturæ religio tempore Apostolorum cepisse, nam ideò Ioanni ostensæ sunt in cœlo animæ Martyrum sub altari, quia corpora eorum in terris, sub altaribus requiescunt, vt interpretantur Patres.

Ambr. lib. 5. cap. 8.
August. serm. 11. de Sanct.
Sozom. lib. 5. c. 8.
Concil. Carthaginen. V. can. 14.
Tertull. lib. de Pœniten.
Apocal. 6.

 Quidam

fixi tetrum liuorem, ibi pium cruorem, ibi dura vulnera, ibi crucem ad mortem eius dabatur intueri, & eundem regredientem ab inferis, & Cœli sydera penetrantem.

3 Hoc meditationis genus maximè salubre ac frugiferum, præcipuum vtique exemplar Christianæ vitæ, & ingens inuitamentum diuinæ charitatis, & impensè complectebatur ipsa, & eidem Elyæ, cæterísque commendabat, vt de Dynasta Massiliensi eiúsque coniuge, quos ad Christum adduxisse Magdalenam suprà dictum est, testantur passim historici. Quo in negotio, haud maiore mentis ardore versabatur, quàm animi constantia. Sed id aliàs, non magis intellectum est, quàm, cum rebus Ecclesiæ iam scitè instructis, atque compositis: de turba, & à concionibus, in otium solitudinémque se contulit. Postquam enim Apostolatu perfuncta, Massilienses ad Christum conuertit, instinctu Dei secessit in montem, futura sæculis omnibus pœnitentię & contemplationis exemplar: habes Syluestrum ista tractantem, quibus circumscriptus esset, ille habitandi locus, planus an montosus? leuis an asper? salubris an pestilens? opacus an apricus? cultus an incultus? celebris an desertus? coædificatus an vastus? obscurus an rerum gestarum vestigiis nobilitatus? Sic enim vniuersa, sigillatim attingit.

4 Mons est in Prouincia, ab Oriente Niciam, ab Occidente Massiliam, à Meridie mare, & à Septentrione habens Auenionem. Hic ad altitudinem trium millium passuum assurgit, & deinde iubam, seu cristam gerit lapideā, ab Occidente in Orientem, decem millibus passuum, & eo amplius extensam, quæ ab Occidēte, sic præcisè cernitur, vt murum vastissimum dixeris; nam ad instar ferè duarum præcelsarum turrium eleuatur; in rupis eius radice, spelunca est eleuata, quantùm magnus, immò maximus iactus est lapidis, ore prospiciens Occidentem & clibani formam præ se ferens. Ante os speluncæ, est breue spatiolum. Intus verò ad læuam intrantis, & ad speluncæ medium, lapis à solo surgens, in tumulum eleuatur, & paulatim ac sensim versus interiora speluncæ euanescit, inter quem & extrema speluncæ, fons pulcherrimus patet, frigidissimus tactu, & gustu dulcissimus, nunquam deficiens, & nunquam patenter ad extra prosiliens. Super eo lapide, Magdalena, & contemplationi, & quieti nocte vacabat, vt communis est fama, & imago ibi, quasi Magdalenæ apertis oculis quiescentis, Beato Maximino autore, reposita, testatur. Vnde cùm tota spelunca interdum, guttulis generati humoris humectetur, lapis ille solus, vt dicitur, omni tempore, immunis ab iniuria stillicidij, conseruatur.

5 Mox de orationis suæ studio Magdalena. Crucem igitur in ore speluncæ Angelus erexit, dicens. Caue ne extimescas in posterum: quia custos tui est Altissimus. Igitur ante Crucē, eo disparente, cùm iacuissem, orationi, timore nimio exiccatis visceribus, instare, attenta nō præualens collectas duas radices, in ipso ore speluncæ, & lotas comedens, aquam de fonte bibi, postquam humanum aliquid non gustaui. Crucem deinde cōplexa, ea die, ac nocte sequenti orans, orto sole, visum ad Crucem ipsam leuaui, coloris, vt videbatur, crystallini, & radiis fulgentibus coruscam, cúmque in me vehemen

vehementissimi amoris flammam persensissem, ecce tam læta & iubilans Angelorum turba adfuit, vt æternam vitam in hoc antro credidisses.

6 Hanc sibi formam religiosæ vitæ dedit, & in ea, triginta perdurauit annos, tantùm pœnitudini, Religioníque indulgens, quantum mundo priùs deliciísque impenderat. Nulli hominũ per id tempus visa est, à solis Angelis frequentata, donec instantis mortis præscia, à Sacerdote, solitudinem eamdem incolenti passa est adiri: cui ad Maximum Episcopum, vnum ex 72. Christi Discipulis, qui comes fuerat itineris à Iudæa, mandatum dedit, vt proxima die Dominica, cum Eucharistia paratus ad aram esset. Venit præstituta die, Maria septa Angelis, Christíque sumpto viatico, placidissimè obdormiuit in Domino.

7 Istud enim ei denuntiarat S. Michaël Archangelus dicens: Deus, quem tantùm, ô Magdalena concupiscis, & semper habes, te vult hunc locum lachrymis irrigare profusis, vt futuris sæculis, exemplum pœnitentiæ perpetuò sis. Ac iterum Angelus, qui ad Purgatorij loca eam deduxerat, reponens ipsam ad Crucem in Balma edixit & prædixit. Quanto tempore, tuus ac noster amor Iesus, in terris propter te vixit: tanto tu quoque in hac spelunca moraberis, vt ipsa apparens Elyæ Anachoretæ, Balmam suam incolenti narrauit, teste eodem Doctore Syluestro.

8 Qualibet autem die septem Horis canonicis, ab Angelis in æthera leuabatur, & cœlestium agminum gloriosos concentus, corporalibus etiam auribus percipiebat; quibus tanquam suauissimis dapibus, quotidie saginata, & inde per Angelos ad proprium locum restituta, corporeis cibis non egebat.

Apud eumdem Cabillianum granem illum, & ingeniosum poëtam, Amor diuinus, sic agit, vt Magdalenam in antrum inducat.

ELEGIA VII.

Magdala, Massilia sedem vt desixit Eremo,
Visu inexperto barbara tesqua pede:
Errat arenosis procul hospes inhospita campis,
Nescia lustrat agros, nescia lustrat aquas.
Cui comes aquus amor, viridante vagatur in agro,
Metatúrque pari frondea regna pede.
Hîc iuga nexa iugis, hîc vmbrifera conualles.
Hîc specus, atque cauo scrupea tecta specu.
Hîc viret, & sacra lotos, amœno vertice lotos,
Lotos ab Eois aduena sylua plagis.
Immemor hîc patria succedit, & incubat vmbram
Magdalis, Isacio iam procul exsul agro.
Fortè grauem patula dum frangit in arbore solem;
Algidáque ardentem fregerat aura diem.
Ecce sibi Pandionia soror æmula Progne;

Desilit aëria Nympha caduca petra.
Dum bibit, & gelida sibi Magdala temperat artus
Fonte leuante sitim, fonte lauante pedes.
Ecce tibi, sylua denso prorumpit asylo,
Et premit infesto Magdalin ore, lupus.
Inclamat comitem pia Nympha? Quid ille trementem
Deserit? ista truci iam cadat agna feræ?
Verte vices: iussa fera mox cadet hostia morti,
Et lupa mox agni fata gemenda gemit.
Cerne Leo, penito quo Magdalis accubat antro
Emicat, & quadrupes vltor ad arma ruit.
Et rauam rapit vngue feram, rapit asper hiatu
Dilaniátque trucem vindice dente lupum.
Viuida Magdalei Leo victor imago triumphi est,
Diua premet Stygios facta leæna lupos.

9 De Obitu ac sepultura, ea quæ restant fusè prosequitur Antoninus, & perquam breuiter perstrinxit, atque attigit Ribadeneira in vita Magdalenæ. Sacerdos quidã solitarius, & vitam Eremticam agere cupiens, sibi cellulam fabricauit prope, ad milliare cum dimidio, ad dictum locum. Vna autem dierum, Dominus aperiens oculos dicti Eremitæ, vidit oculis corporeis, Angelos in humana specie eleuantes de terra ex dicto loco, quamdam mulierem, & iterum, post horam reponentes illam. Quò cum pergeret, appropinquans ad locum, incipiebat deficere, retrocedens vires pristinas resumebat. Ex quo intelligens, mysteriũ Dei esse, audiuit à Maria Magdalena se esse illam peccatricem, de qua in Euangelio legitur, quæ narrauit ei tempus, suæ inibi mansionis, & septenariæ quotidie per Angelos subleuationis, mandans ei vt Beato Maximino hoc reuelaret, & cùm esset de corpore migratura domino reuelante, die dominica sequenti, in aurora, S. Maximino in Ecclesia expectauit, apparuit Beata Magdalena, duobus cubitis terra eleuata, in medio Angelorum, & multo lumine circumdata. Quæ coram Clero & populo cum multis lachrymis, Eucharistia sumpta, spiritum ibi reddidit Deo, sepulta iuxta altare. Hæc Antoninus. Anton. 1. part. tit. 6. cap. 19. §. 1.

10 Porrò ad magnum honorem pertinere, hunc locum reliquiis assignatum, docent Ambrosius in exhortatione ad Virgines, De reliquiis SS. Vitalis & Agricolæ, & in Epistola ad sororem, de Inuentione corporum Geruasij, & Protasij, Hieronymus contra Vigilantium, Augustinus, Sozomenus, Concilium Carthaginense, & vsus ac consuetudo ipsa Ecclesiæ hoc firmat. Semper enim altaria, in magno honore fuerunt, ita vt etiam suo modo adorarentur. Tertullianus inter ritus Christianorum ponit Aris adgeniculari. Videtur autem ista sepulturæ religio tempore Apostolorum cepisse, nam ideò Ioanni ostensæ sunt in cœlo animæ Martyrum sub altari, quia corpora eorum in terris, sub altaribus requiescunt, vt interpretantur Patres. Ambr. lib. 5. cap. 8. August. serm. 11. de Sanctis. Sozom. lib. 5. c. 8. Concil. Carthaginen. V. can. 14. Tertull. lib. de Pœniten. Apocal. 6.

11 Quidam recentiores aiunt, eam grandæuam, octogesimo ætatis suæ anno è vita migrasse: cuius cùm postremos triginta annos in solitudine exegerit, præter decem vel octo Massiliæ inter turbas, propagandæ fidei & religionis Christianæ, reliquos in flore adolescentiæ, in Palæstina, ad annum post Christi natalem, quartum supra octogesimum vixisse potuit, mense Sextili, eius enim, vndecimo calendas Augusti, natalem apud Massiliam Romani fasti inscribunt.

CAPVT X.

Corpus exhumatum venerationi habetur, apud sanctum Maximinum, in Prouincia Saluuiorum.

1. CVratum deinceps legitimè funus, publicéque elatum, ad villam, cuius tunc modicum sacellum ad sex ab vrbe Aquensi stadia, constructum fuerat à S. Maximino (posteri pagum, siue vrbem S. Maximini appellarunt) Sacerdotum humeris exceptum sepulturæ mandatur. Tantus verò suauitatis odor ibidem remansit, vt per septem dies, ferè ab ingredientibus oratorium sentiretur, testibúsque productis Beatus Maximinus post mortem suam se iuxta ipsam sepeliri præcepit. Ita eius Acta.

2. Verùm humato corpore, non etiam humari se passa est Magdalenæ memoria. Posteris hæc mansit, etiam post aliquot sæcula, religio & pietas, vt tum ob viuentis merita, tum ob frequentissimos circumquaque peregrinorum & aduenarum conuentus, defuncta ossa cineresque refoderentur, mox decentiùs thecis ornatioribus condenda.

3 Sub annum circiter quingentesimum, nouus S. Cassiani Abbatis Ordo institutus Massiliæ, vberiores iam fructus extulerat, magno eorum concursu, qui monachorum in album adscribi cupidè vellent, vt & domus per totam Prouinciam ampliandæ, & nouæ quærendæ fuerint; sed hîc, Sanmaximinensium liberalitas & religio minimè defuit, cœpit enim apud eos virorum principum, ac & ditiorum beneficentia constitutum, reditibúsque auctum Cœnobium Cassianitarum. Fortè, aliorum id genus nominis & ordinis, excitarat exemplum, qui Massiliensi proximo S. Victoris Monasterio digressi, iam ad sacram Magdalenæ Specum, propagandæ studio religionis accesserant, agrúmque omnem vicinum, omnibus officiorum pietatis generibus, famáque compleuerant. Cùm enim piæ aliquot Virgines Massilienses, sibi dumtaxat suóque profectui, accuratiùs studere volentes, consultóque Ciuitatis frequentiam, & multitudinem fugere, vt inimicam otio, ac quieti spirituali: consilio cum aliquot ex Monachis. S. Cassiani perfectioribus, communicato, in solitudinem, haud procul à Magdalenæ celebri & sacra spelunca, se contulerunt. Hîc in remoto à virorum

rorum frequentatione secessu, & præcelsi montis radicibus, Cœnobium, quod S.Zachariæ etiamnunc dicitur, fixere: humili quidem & obscuro, ad id tempus loco, sed qui breui Monialium sanctissimarum virtute nobilitatus sit. Multis verò post annis, cùm disciplina S. Cassiani, quòd natura fert in omnibus ferè rebus, ita cõsenuisset, magnáque ex parte laxata esset, vt penè ad nihilum ventura domus videretur, Dei nutu, non ita pridem Virgo quædam nobilissima, Præfecturæ curam & honorem adepta; non solùm eam conseruauit, sed etiam ad pristinam quamdam religionis formam duxit, atque illustrauit mirificè. Nam, paulò post erumpens ex illis diuturnis quasi tenebris eius fama, virgines non paucas ad suam imitationem exciuit; magna omnino ea immutatio fuisse dicitur, quam vt auctoritate æquè ac liberalitate promoueret, Eminentissimus Cardinalis, & Archiepiscopus Lugdunensis Alphonsus de Richelieu, Abbas Monasterij Massiliensis S.Victoris, reditus fundationis tenues nunc, & exiguos, de suis auxit, & centum aureorum fructibus annuis stabiliuit.

4 In ima sede mulieres hæserunt, ad summum verticem, quà S.Balmæ vt vocant sinus gremiúmque aperitur, Monachi penetrarunt. Cùm enim nulla ibi, quam nunc videmus, haberetur religionis forma, sed quidam esset hominum cœtus, ad recipiendos Christianos institutus, inopes præsertim, qui peregrè aduenirent. Placuit viris primariis, qui & ipsi optimè erga Massiliensem S. Cassiani familiam animati, & bona ducti existimatione, coloniam ex eo corpore illuc deducere, bonósque operarios, qui præsenti sæculo paucissimi erant, & vbique locorum desiderabantur, in messem tam copiosam mittere. Et quidem diuinare visi sunt, initij eius fœlicia incrementa: hîc enim noui hospites, celeberrimis vt interdum solet virorum mulierúmque peregrinantium conuentibus, doctrinæ Christianæ rudimenta tradere, aures ritè confitentibus dare; cæteráque pietatis officia tam diligenter exequi cœperunt, vt in immensum creuerit loci religio, & ad vetera sacelli decora, & ornamenta, magnam attulerit accessionem, frequens & eximia Principum liberalitas, splendidéque à multis adhuc bonis viris dotetur.

5 Itaque in tanta diuini honoris & gloriæ amplificatione, tantóque animorum lucro, non frustra, suscepta hæc solitarij secessus institutio est. Mouitque Sanmaximinenses, vt eiusdem Sancti Cassiani Monachos expeterent beneuolè, aut accersitos studiosè retinerent; & apud se certis in sedibus collocarent; quamquam alia fundationis Monasterij Sanmaximinensis, non modò occasio, sed etiam causa eius operis suscipiendi ipsis Monachis fuit, celebritas famæ, ac pietatis, quam locus à veneratione reliquiarum, & tumulo S. Magdalenæ, iam habebat acceptam. Ac breui futurum opinio erat, vt sanctissimorum Monachorum virtute perficeretur, quod summa amplitudine, ac singulari gloria & commendatione dignum putarent. De huius fundi, ac census

transla

translatione, à iustis dominis, ad alienos dicendi deinceps locus erit, cùm in inuentione, & iterata earundem reliquiarum exhumatione, gesta Caroli I I. Regis Siciliæ, & Comites Prouinciæ recensebimus.

CAPVT XI.

Quo primum anno, Galliæ Christi fides illuxit.

1 INstitutæ disputationis series postulat, vt an id ita se habeat, quod ab Apostolis, aut succedentibus eorum ætati proximis temporibus, ab Apostolorum discipulis fundata fuerit Ecclesia Gallicana, disquiramus. Nescio enim quibus ex ignorantiæ latebris emerserit, totámque se eiecerit, atque extulerit, ementita & recens opinio, quæ per animos Antigallorum, siue Anormium, & ab recepto omnium sensu (hoc vno nomine, quia receptus est) dissidentium, facilè persuasit: Non nisi posterioribus sæculis, à Christo nato, centesimo septuagesimo circiter anno, Galliæ, Christi nomen illuxisse. Quam sequutus est, historiarum Ecclesiæ Gallicanæ nuperus restitutor, seu potiùs destitutor anonymus, editi operis Parisiis adscripto anno 1626. qui singularum ordine Ecclesiarum, Galliæ pias traditiones, & sacros codices, aut religiosè manuscripta testimonia, argutiis sæpè, ac vocis libertate perstringens, impunè de Magdalena, quod ad institutum nostrum pertinet, istud edisserit.

2 Horum autem, vt certior aliqua ratio nobis constet, an ipsi Apostoli, vel legati ab illis discipuli, in Galliis Christi fidem prædicauerint, indagare debemus. Narrata tamen prius, Occidentalium omnium prima, si vera foret, Mariæ, Marthæ, & Lazari prædicatione. Mota Hierosolymis in Iesu Christi discipulos persecutione, Stephanus Diaconus, vt Apostolorum Acta describunt, lapidibus obrutus, primùm Christo crucifixo testimonium sanguine suo reddidit. Exinde acrioribus Iudæorum odiis vexati Christiani, varias in orbis partes dispersi sunt. Martha & Maria Lazari à mortuis excitati sorores vnà cum ipso fratre, & Marcella ancilla, quæ prædicanti Christo acclamasse dicitur, his verbis, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*, ac Cedonio, qui à natiuitate cæcus visum accepit à Christo; Maximino ex septuaginta duobus discipulis à Petro Apostolo cõmendatæ, mari se commiserunt. Quibus diuino ductu ad oram Prouinciæ appulsis, Massilia Lazarum, Aquæ sextię Maximinum, Episcopos acceperunt. Maria solitudinem penetrans vitam inter Angelorum choros transegit, & locum pœnitentia sua, & corporis sepultura, posterioribus sæculis celebrem reliquit; Martha verò miraculis toto illo tractu illustrior, ad Rhodani fluminis ripam, Draconis fugandi causa, ab incolis aduocatur. Ille Tarascus dictus, Auenionem inter & Arelatem, cuncta vastabat, nautis æquè ac viatoribus,

terra

terra & flumine infensus. Quem vbi precibus suis, signo crucis & aqua benedicta mansuefactum Martha, suo cingulo alligauit, & populo transfigendum dedit, ab eo locum nomen mutasse & Tarasconis accepisse tradunt; illic Martha reliquam vitam, ab incolis exorata duxit, Auenionensibus & Arelatensibus beneficia multa conferens. Hæc vulgaria horum Sanctorum Acta testantur, quorum fidem multa eleuant. Ipse primùm auctor nouus, qui posterioribus sæculis, ex vulgi sermonibus ista composuit, atque multa veritati historiæ parum consentanea tradidit. Vt cùm Petrum Apostolum discipulis suis Gallias diuidentem Bituricas Austregisilo (qui post annum quingentesimum vixit) Lugdunum Irenæo (qui secundo ab hinc sæculo Lugdunensibus præfuit) commendasse refert. Tum scriptorum vtriusque linguæ, & Imperij autoritas aduersatur, qui Mariam Ephesi dormiuisse & inde corpus eius cum fratre Lazaro, Constantinopolim translatum, Marcellam & Scynthicem in Mysia, inde in Prouinciam Marcellæ corpus allatum fuisse memorant. Præterea si vera est illa prædicatio non iam à Petro & Paulo, sed ab illis mulieribus Occidens, Christi Religionem primùm accepit. Attamen illa traditio aliqua etiam autoritate subnixa est, aduersus quam, absit vt sentiam, si per Ecclesiam non licet. Hac noua traditione præmissa, de Apostolis, eorúmque discipulis, inquirendum.

3. Vetus alia opinio, contraria est, iam per Chronologos omnes, vsque ab Apostolicis ducta temporibus, quæ oppleuit Ecclesiam, constátque ex antiquissimis Patrum & historicorum tum Græcorum, tum Latinorum literis & monumentis: Apostolos, eorúmque discipulos primos fuisse Ecclesiæ Gallicanæ autores. Dicit pro testimonio luculenter Baronius ad annũ Christi 46. quo, velut à sole radij, & à fonte riui, sic à sede Petri, longè latéque Christiana fides diffusa, vbique est fœliciter propagata. Stabilita enim Romana sede, cùm vniuersi gregis curam à Domino commissam Petrus haberet, ad cæteras Occidentalis orbis partes, cœpit illicò discipulos amandare, qui licèt scriptorum inopia, obscuri pene remanserint, plurimi tamen in Martyrologio Romano, & apud alios probatos autores recensiti inueniuntur SS. Episcopi, ab eodem Petro, diuersis temporibus, ad diuersas instituendas Ecclesias missi; vt non immeritò, Innocentius Papa omnino asseruerit, manifestum antiquis fuisse, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, & Siciliam insulásque interiacentes, nullum hominem instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Petrus Apostolus, aut eius proximi successores ac discipuli, cùm præsentissima occasio tulit, constituissent Sacerdotes. Epist.

4. Certè intra viginti aut triginta ad summum annos, à Christo passo, Euangelium per vniuersas terrarum partes, diuulgatum esse, etiam apud Scythas & quasque regiones remotissimas, planéque Barbaras, inductione docent, Irenæus, Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, & cæteri istorum sæculorum, qui vel Apostolos viderant & audierant, vel Apostolorum proximos discipulos. Deinde Origenes, Tertullianus, Cyprianus. Iren. l. 1. Iust. contra Tryphon. Clem. in protrept.

Orig. hom. 9. in bene. & 4. in Ezech. & 6. in Luc. Tertull. de præscr. Ad Scapulam & contra Iudæos. Eus. l. 8. cap. 1.

cum reliquis huius sæculi. Quod pro summo miraculo annotat & contemplatur Chrysostomus, in caput 24. Matthæi. Quare Eusebius rectè ostendit, ante persequutionem sub Diocletiano motam, pietatis doctrinam apud omnes mortales cùm Græcos, tum Barbaros viguisse.

5. Itaque nostri, inquit, sermonis, inde ducetur exordium, quantum splendoris, doctrina veræ pietatis in Deum omnium rerum gubernatorem, mundo, per Christum patefacta, apud omnes homines, Græcos simul ac Barbaros, ante istam persecutionis tempestatem, quæ nostra ingruit memoria, obtinuerit & quàm liberè inter eos prædicata fuerit, maius quiddam est, quàm quod nos nostra in dicendo tenuitate satis pro dignitate explicare possimus.

Isai. c. 66. 8.

1. Cor. 4. Act. c. 20. & 21.

6. Hoc prædixerat Isaias his verbis. *Quis audiuit vsquam? & quis vidit huic simile? nunquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul, quia parturiuit & peperit Sion filios suos.* Quod de Ecclesia, noua Christi sponsa, sic interpretatur Cornelius à Lapide. Numerosa proles, quæ gentem efficiat, non generatur vno die, sed multis annis & sæculis, vti videre fuit, in prosapia Abrahami. Hoc ergo est mirabile, & omnibus sæculis inauditum, vti præcessit, quod Ecclesia, vno die, id est breui tempore, multa millia, gentésque integras Christo pepererit, ídque non successiuè, nec cum magno dolore & angore, quia simul, & quasi eodem instanti parturiuit & peperit Sion, id est Ecclesia, filios suos. Nominatim Trophimum, cuius Paulus meminit, ab eodem Apostolo amico & pernecessario suo, vel in Hispaniam proficiscente adductum, vel missum: Paulum item Sergium, Narbonam. A Petro autem, Tolosam Saturninum; Velanuum, Georgium; Petrocorios Frontonem; Turonos Gratianum, Catalaunos Memmium; Bellouacos Lucianum; Cenomanos Iulianum; Tullos Mansuetum, Madiomatricas Clemenrem; Remos Sixtum; Bituricos Vrsinum; Sanctonas Eutropium; Aruernos Austromonium; Senonas Sauinianum, Augustam Treuirorum Eucharium & pleròsque alios, quos singulæ Galliarum Ecclesiæ, primos Episcopos venerantur, tum vetus traditio, tum etiam antiqui MM. SS. codices docent.

1. Cor. 4. Act. 20. & 21.

Epiph. in panario hæresi 51. Eus. lib. 3. c. 4. Niceph. lib. 3. c. 1. 2. Timo. c. 4. Amm. lib. 15. S. Iust. lib. 24. & 25. Strab. l. 12. Volat. Geogr. lib. 3. Hier. Proœm. lib. 2. in Ep. ad Galat.

7. De Crescente constat ex Eusebio ac Nicephoro missum à Paulo Apostolatum accepisse in Gallias, ac Viennensem & Moguntinam Ecclesias erexisse, atque ita Epiphanius contendit in Epistola ad Timotheum secunda, quando dicitur. *Crescens in Galatiam*, mendum esse, pro *Galliam.* Ammianus, Gallos vocatos Galatas scribit, & Theodoretus, in citatum Apostoli locum, per Galatas, Gallos intellexisse obseruat. Fuisse Galatiam, Gallorum Coloniam, Iustinianus æquè tradit Historicus, ac Plinius, item Strabo, Volaterranus, & Hieronymus addens & nomen Gallogræciæ, quod Galli & Græci Galatiæ dederunt, quando à Rege Bythiniæ in auxilium euocati, simul venerunt, & vtrisque pars Regni pro mercede obuenit. Putat Suidas hos Gallos fuisse Senonenses, qui duce Brenno Romam inuaserint, sed à Camillo repulsi in Græciam traiecerunt, cumque Delphos

phos spoliare conarentur imbre & grandine obruti sunt. Pauci verò, inquit, euaserunt, Gallogræci siue Galatæ dicti sunt.

8. Sed diuersa ab his tradit Iustinus, cuius de laude Gallorum, luculentum hoc testimonium. Tantus terror Gallici nominis, siue armorum inuicta fœlicitas erat, vt aliter neque maiestatem suam reges tutam, neque amissam recuperare se posse, sine Gallica virtute arbitrarentur; tantæque fuit id temporis, fœcunditatis Gallorum iuuentus, vt Asiam omnem, velut examine aliquo implerent. Itaque in auxilium à Bithyniæ Rege inuocati, regnum cum eo parta victoria diuiserunt, eámque Regionem Gallogræciam, quia mixti Græci fuerant, nominarunt. Hæc ille. Quod autem non pauci Galliam à Galatia distinguunt, & in ea, vt est in Martyrologio Romano, Crescentem passum esse affirmant, dicendum est, si consultum quoque superioribus velimus, quòd idem Crescens, cùm primò in Gallias, ab Apostolo missus esset, inde etiam ad erudiendos Galatas Asianos quasi eiusdem gentis populos accesserit. Id enim Martyrologium Romanum, Beda, Vsuardus, Ado, aliique testantur. Iustin. lib. 25.

9. Martialis Episcopi Lemouicensis aduentum in Gallias, ad annum Vespasiani Imperatoris tertium, Christi septuagesimum quartum referunt Annales Ecclesiastici, qui ex Oriente, Romam cum Petro venerat (hunc enim tradunt fuisse illum puerum, de quo Andræas olim Domino. *Est puer hic habens quinque panes & duos pisces,*) & ab eodem in Gallias fuerat amandatus, cùm non modò Lemouicenses, sed & Burdegalenses, Tolosanos, Cadurcenses, Anicienses, Aruernenses, Mimatenses, Rhutenenses, aliósque, qui à Rhodano in Oceanum vergunt, ad pietatem Christianam instituisset, ex humanis sublatus est, sicut eius Acta declarant, quæ circumferuntur scripta ab Aureliano eius successore, & citantur tacito autoris nomine, ab Innocentio tertio, Extra. De sacra vnctione in fine: vbi & Glossa meminit eiusdem Martialis. Demochares item in tabulis Episcoporum Lemonicensium, & Gregorius Turonensis, qui tamen insigniter errat, dum tempore Decij Imperatoris, eum cum aliis, qui illic describuntur, in Gallias venisse tradit. Bar. an 74. n 7. Greg. l. hist. c. 5. & De gloria. confess. c. 27.

10. Dionysium Areopagitam, Athenarum Episcopum, Romam se contulisse ad Clementem Papam, & ab eo in Gallias amandatum, circa Christi annum 98. Domitiani Imperatoris 15. fidem faciunt, qui ex antiquioribus monumentis, eius res gestas scriptis sunt prosequuti. Quæ enim alia causa intercedere potuit, vt in hoc præclarè argumentatur Baronius, quòd Dionysio adhuc superstite, reperiantur alij ordinati Atheniensium Episcopi, siquidem ante ipsius Martyrium sub Adriano Imperatore, certum est constátque inter omnes, Publium, Quadratum, & ante hos Narcissum, rexisse post Dionysium, Ecclesiam Atheniensium. Neque enim existimare fas est, eum hisce temporibus, cum maxima omnium incumberet necessitas Euangelij prædicandi, suæ Ecclesiæ nuntio remisso, segnem & otiosam vitam sibi constituisse; vel ad alias ciuitates aut prouincias missum Bar. an. 98. n. 8.

venisse. De quo, historiarum omnium silet omnis memoria. Plura, in hanc sententiam excogitat idem autor argumenta firmissima, ad probandum, in suis ad Romanum Martyrologium notationibus 7. Idus Octobris. Quæ verò à cauillatoribus, contrà dici possunt, infirmare ac diluere, meæ non est huius operæ pretium.

Thom. à Iesu lib. 2. c. 3.

10. Legendus Thomas à Iesu, in suo *Diuinæ sapientiæ Thesauro, ad salutem omnium gentium procurandam,* vbi docet, Europam à Summis Pontificibus fuisse conuersam, & hæc pene eadem argumenta nostra inculcat. Conterminæ sunt, inquit, Hispaniis Galliæ, quarum Episcopi, scribentes ad Leonem, fatentur à Romana sede manasse fontem religionis in Gallias, Saturninum Tolosæ Episcopum supra ostendimus à Petro in Hispanias missum. Et Eusebius Cæsariensis tradit ab eodem Petro, Episcopum Galliarum constitutum fuisse Crescentem, atque illuc ea de causa missum: Eius meminit Paulus in Epistola ad Timotheum, & abiisse in Galatiam dicit, Galatiam verò, Galliam intelligit, quòd Galatæ à Gallis haberent originem; & ita intelligit Hieronymus, & Epiphanius. Tradunt alij, Eutropium Petri discipulum, passim per Gallias, Christi doctrinam disseminasse, missósque ab eodem Petro ad Carnutenses Aduentinum, Sabinium, & Potentianum: à Clemente autem Dionysium, Rusticum & Eleutherium. Amplius Baiocensibus Exuperius, Ebroicensibus Taurinus Episcopi à Clemente Papa dati, à quo & Nicasius missus ad Rotomagenses & maris Oceani tractus.

11. De Magdalena quod nouator Anonymus & Hystoriarum Gallicanæ Ecclesiæ reformator, perperam scripsit, articulatim enodabimus deinceps & trahemus ad nostræ causæ commodum. Verùm quisquis es ô Anonyme, quisquis inquam es nomine, audebo tamen hoc vnum, minus fortasse vehementer, quàm à te vniuersa Gallicana Ecclesia prouocatur, sed profectò, nec consideratè minus, nec minus amicè te commonere, quoniam dignitate, & officio Leguleium & consultum iuris Doctorem agis: ne illud tibi excidat, quod exprobando Basilius inculcatum voluit, Demostheni, coquo Valentis Imperatoris: *Tuum est pulmentum coquere, non scripturas interpretari.* Tuum similiter esto æstimare capitis litem, iudiciis versare causas, ac benè iuris publici leges & instituta cognoscere, nam alios planè iudices postulat & alios decet interpretes ac magistros, sacrorum librorum rerúmque diuinarum tractatio: neque rostrorum more *custodienda est Dei Ecclesia, neque more castrorum.*

S. Thom. Cantuar.

CAP

CAPVT XII.

Loci ac sedes argumentorum, ad faciendam fidem de rebus Magdalenæ hactenus expositis.

1. QVod ab Aristotele priùs, & Cicerone, atque aliis traditum, docet Augustinus, argumenta grauia, & ad probandum firma, vel à ratione duci omnia oportere, vel ab autoritate, (his enim duobus modis duntaxat, generatim atque vniuersè rei cuiusque dubiæ, quæque in controuersiam vocatur, facimus fidem) ne id quidem in hoc opere prætermittendum esse duxi, quin celeriter perstringerem. Ad ea enim, quæ defensionem nostram propius attingunt, festinat animus, vt collocari possint argumenta ex ordine, nam & ordinem sic definiunt: Compositionem rerum, aptis & accommodatis locis. De his itaque Augustinus. *Ad discendum, necessariò dupliciter ducimur, autoritate, atque ratione. Tempore autoritas, re autem ratio prior est. Aliud est enim, quod in agendo anteponitur, aliud quod pluris in appetendo æstimatur. Itaque quamquam bonorum autoritas imperitæ multitudini videatur esse salubrior; ratio verò aptior eruditis: tamen quia nullus adeo imperitus nouit, qualem se debeat præbere docentibus, & quali vita esse docilis possit, euenit, vt omnibus, bona magna & occulta discere cupientibus, non aperiat nisi autoritas ianuam, quàm quisque ingressus, sine vlla dubitatione vitæ optima præcepta sectatur, per quæ cùm docilis factus, tum demum discet, quanta ratione prædita sint, ea ipsa, quæ sequutus est ante rationem: & quid sit ipsa ratio, quam post autoritatis cunabula, firmus & idoneus iam sequitur, atque comprehendit.* Idque ipsum crebris sententiis inculcatum & refectum habet, libro de vera religione. *Animæ medicina quæ diuina prouidentia & ineffabili beneficentia geritur, gradatim distinctéque pulcherrima est: distribuitur enim in autoritatem atque rationem. Autoritas fidem flagitat, & rationi præparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionémque perducit, quamquam, neque autoritatem ratio penitus deserit, cùm consideratur cui sit credendum, & certè summa est ipsius iam cognitæ atque perspicuæ veritatis autoritas.* Tum alibi de moribus Ecclesiæ. Verbum pro verbo mox infrà reddimus. Comparat similitudinem, vtitúrque exemplo aëris, in opacam & atram nubem concreti, quasi animus crassis occultatus & circumfusus ignorantiæ tenebris, non posset primo intuitu in ipsam veritatis lucem, aciem intendere: nisi, sub autoritatis vmbra, quæ rationes veluti solis fulgentissimos temperaret radios, & mitiores quodammodo ad mentis oculum traduceret.

Aug. lib. 2. de ordine c. 9.

2. Id verò, quàm maximè ad institutum nostrum accommodare definiatur, facilè intelliget, quisquis minimè omnium ignorat, delectum

atque discrimen quo narrationes historicæ, & scientiæ vtuntur: autoritate scilicet ac ratione. Cùm enim, in reliquis disciplinis omnibus, primum locum ratio teneat, postremum autoritas: historia tamen penè vna est, in qua non tā rationis in disputando, quàm autoritatis momenta quærenda sunt, etenim locum ab autoritate, ita sibi proprium vendicauit, vt quamuis non deseratur à ratione (quod dicit Augustinus) tum quia expendere etiam oportet, autoritatem dicentis, an digna sit cui credatur & his quidem, absque vlla ratione & discursu assentiri impossibile est: tum quia non respuit principia etiam alia, siue motiua assentiendi, præter autoritatem dicentis, quæ ideo rationes appellamus, quoniam innotescunt ex contentione ac studio intellectus; has tamen, vel tanquam hospites & peregrinas excipiat vel in suum etiam obsequium adsciscat, quasi longè repetitas. Quod cùm Aristoteles comprobasset, aut certè pro certo posuisset, dicens oportere addiscentem credere, Augustinus deinceps, de vtilitate credendi ad Honoratum, & de fide rerum inuisibilium. Theodoretus in libris de curatione affectionum Græcarum, atque alij, præsertim ad humanæ simul, & diuinæ historiæ, seu Theologiæ commodum accuratissimè demonstrarunt, vtraque enim, fidei potissimùm innititur, quæ nisi ab autoritate proficiscatur, non modò fides esse, sed ne intelligi quidem potest. Est namque fides, vt Apostolus tradit. *Argumentum, siue assensus rerum non apparentium*, quas velle certa ratione certas facere, cum ratione quoque ipsa desipere, ac delirare necesse est.

August. lib. de vera religiou. c.24.

Arist. lib. 1. Elencho. Aug. ad Honora. c. 11. & de fide rerum c.1.&.2.

ad Hebræ.11.1.

3. Dionysius Lambinus, in Æmilij Probi vitas, conditiones historiæ explicans agit, quænam orationis forma, in historico esse debeat, quidue inter hunc & Philosophum simile sit, an dissimile? Philosophum quidem inquiens in rebus vniuersis per discursum versari: historicum, partes, personas, temporum momenta, inclinationes, & res singulares, aut sensu exploratas, aut fide & autoritate cognitas duntaxat persequi. Tum addit discrimen inter poësim quæ fingit qualia probabile est esse facta; & inter historiam, quæ, ea quæ facta sunt exponit.

4. Sed de his hactenus ne ab institutæ disquisitionis officio aliena videatur oratio. Non fuit certè negligendum, quas sedes & tanquam domicilia argumentorum sibi vendicet historia, paulò enucleatiùs explicare, vt ex his ad causæ nostræ defensionem, non modò inuenirentur argumentationes, sed & inuenta, meliori ordine, & momento quodam atque iudicio certiori, habeantur disposita.

CAP.

CAPVT XIII.

Primus locus: Ratio ducta ex testimoniis scripturæ, siue Discursus Theologicus.

1. IMplicatus hætere hoc loco mihi videor cum Augustino; & vnde exordiar ambigere. Ab autoritate, an à ratione? *Naturæ quidem ordo ita se habet, vt cùm aliquid discimus, rationem præcedat autoritas, nam infirma ratio videri potest, quæ cùm reddita fuerit, autoritatem postea, per quam firmetur, assumit. Sed quia caligantes hominum mentes, consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorúmque velantur, perspicuitati sinceritatique rationis, aspectum idoneum intendere nequeunt, saluberrimè comparatum est, vt in lucem veritatis, aciem titubantem, veluti ramis humanitatis opacata inducat autoritas. Sed quoniam cum iis nobis res est, qui omnia, contra ordinem & sentiunt, & loquuntur, & gerunt, nihilque aliud maximè dicunt, nisi rationem prius esse reddendam: morem illis geram, & quod fateor in disputando vitiosum esse, suscipiam. Delectat enim me imitari, quantum valeo, mansuetudinem Domini mei Iesu Christi, qui etiam ipsius mortis malo quo nos exuere vellet indutus est.* Aug. lib. 1. de mori. Ecc. c. 2.

2. Ratione igitur, quæremus quemadmodum vnà cum sæculis, ætatibúsque Apostolorum, primùm Massiliæ, per Lazarum & Magdalenam, tum per alios in vniuersa Gallia propagata fuerit Christiana Religio. Priùs tamen quàm confirmamus, eo quòd Euangelij prædicatio ex eorum numero est, quæ Theologi vocant. *Opera Dei ad extra*, id est, quæ Deus libero consilio ex tempore operatur, id primò ponendum est, non posse vlla euidenti ratione probari, cùm Deus articulatim non reuelauerit, neque ex vllis naturalibus causis aut effectibus, quibus naturalem creaturæ cognitionem metimur, demonstrari possit. Colligitur tamen duobus modis. Primò ratiocinatione ex scripturæ testimoniis, probabile aliquid eliciente: secundò per conditionalem & imperfectam notitiam, scilicet argumenta soluendo quæcumque fiunt ad abrogandam mysterij fidem atque autoritatem.

3. Vnum igitur hoc sumo (quod mihi apertum scripturæ testimonium résque manifesta dat) tempore Apostolorum peruenisse ad omnes prædicationem Euangelij Matthæi 24. *Et prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso Orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Matt. hæt. 24. 15. Quamuis enim plerique veteres Patres, atque interpretes, ad sæculi consummationem hæc verba referant vt Hieronymus, Beda in hunc locum. Gregorius, Origenes, S. Thomas, quia putant, eò vsque non fore impletam prædictionem Christi, de prædicando Euangelio, per vniuersum Gregor. 12. in Euang. Orig. in c. 10 ad Roma.

sum Orbem: tamen Hilarius Anselmus, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus in Matthæum, Ambrosius in Lucam, Eusebius in historia Ecclesiastica, & alij non pauci existimant, intelligi posse ac debere, de consummatione siue euersione Hierosolymæ, quæ accidit quadragesimo post Ascensionem Christi anno. In hac eadem opinione est Salmeron noster, vir doctrina atque optimarum artium studiis eruditissimus, hisque rationibus euincit. 1. Quoniam ad hunc sensum cogit, quod subditur ibidem. *Cùm ergo videritis abominationem desolationis.* Et Lucas. *Cùm autem videritis, circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote, quia appropinquauit desolatio.* Quasi prædicatio Euangelij præcedere debeat vrbis Hierosolymæ casum. Hoc etiam ostenditur ex Marco, vbi dicitur. *Ante reges & præsides stabitis propter me, in testimonium illis.* Ac subdit; *& in omnes gentes primùm oportet prædicare Euangelium, & cùm duxerint vos, tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini.* Vbi præcedentia ac consequentia dicta ad Apostolos, testantur, sermonem de prædicando Euangelio per vniuersum orbem ad eos spectare.

S Tho. 1. 2. q. 106. Act. 4. ad 4. Amb lib. 10. c. de signis futuræ destructio. Euse. lib. 3. c. 7. Luc. 21. Salmeron to. 4. tr. 38. in fine.

4. Secundò confirmari potest, ex verbis Apostoli, qui in Epistola ad Romanos scribit. *Sed nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et de se affirmat, quòd ab Hierusalem, vsque ad Illyricum repleuerit Euangelium Christi, & ita in Hispaniam proficisci cogitaret. Nec desunt qui Iacobum fratrem Ioannis, quod hoc loco prædicitur à Dauide, impleuisse asserant, cùm in Hispaniæ peruenit Prouinciam ad Galliciæ locum, cui nomen inditum est, *Fines terræ.* Quod verò ait de præterito, [exiuit,] & apud Prophetam, ob firmitatem prophetiæ, loco futuri, *exibit*, dictum est, certè apud Paulum, manifestè de præterito est intelligendum: illo quippe testimonio probare volebat, vbique gentium, esse iam prædicatum Euangelium.

Ad Coloss. c. 1. 5.

5. Tertiò Colossensibus scribens, affirmat verbum veritatis Euangelij peruenisse ad eos, sicut, *& in vniuerso mundo est, & fructificat, & crescit, sicut in vobis, ex ea die qua audistis & cognouistis gratiam Dei, in veritate.* Quæ verba apertè declarant, tempore Pauli Apostoli prædicationem Euangelicam, ad omnes nationes tunc notas peruenisse & vbique fructum edere cœpisse. Nec quisquam existimet, hoc verbum, *prædicati Euangelij per vniuersam terram*, in die Iudicij tantùm esse implendum.

Act. c. 1. 8.

6. Quartò in Actis, dicit Christus Apostolis. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Quod de personis Apostolorum potissimùm, non de successoribus videtur intelligendum, sicut & illud. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*; subiungitque. *Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Fauet & illa coniectura, si omnibus gentibus prædicatum non fuisset Euangelium, ante excidium Hierosolymitanum, & extremam Iudæorum calamitatem sed

Marci vlt.

post

post eius euersionem duntaxat, videretur à ruina illorum, Euangelium autoritatem suam sumpsisse, & non à veritate ipsa, & creuisse tantùm, quod non essent qui obniti & contradicere possent Iudæi.

7. Denique mirificè congruere ac cohærere cum diuina prouidentia dicitur, quod Augustinus sapienter animaduertit, contra Donatistas, vt Ecclesia institueretur Catholica, & non personarum modò, sed etiam locorum ac regionum amplitudine vniuersalis: non angusta, aut vnius regni tantùm ac Prouinciæ, quemadmodum, de sua Donatistæ Africa iactabant, certis finibus conclusa & circumscripta: similiter Isidorus, in morte Mosis, & mortis loco designari ait, concludendam intra limites angustos legem veterem, nouam proferendam in omnem terram, & in fines orbis terræ. Mortuus enim est Moses in Nebo, monte vno, de montibus Abarim, vnde prospectus terræ promissionis erat, & latè patentes post eos campi, ac Iordanis fluenta. Abarim verò, transitus significat, & Nebo, vt idem interpretatur, est conclusio, vel potius prophetans. Iordanis descensus vsque ad Ioannem lex & Prophetæ: à diebus enim Ioannis in Iordane prædicantis, Regnum Cœlorum cunctis exponitur, violenter diripere sibique comparare volentibus. Huc spectat, quòd Christus, Synagoga superstite, Apostolorum legationes certis terminis definierat. *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne introieritis.* Post mortem verò ac resurrectionem suam, data sibi omni potestate, in Cœlo & in terra, & in omnes homines regnandi acquisito iure, in vniuersum orbem terrarum mittit, declarans, nunc per mortem suam disruptam fuisse maceriam, qua regnum suum intra Iudæorum fines septum continebatur, vt ait D. Paulus, nec alios regni, id est, Ecclesiæ suæ, quàm orbis terræ fines futuros esse, priùs in Iudæa tantùm, notum fuisse Deum, nunc vbique cognoscendum. *Populus, quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi; Quæsierunt me, qui ante non interrogabant. Inuenerunt, qui non quæsierunt me; Et Vocabo non plebem meam, plebem meam.*

August. lib. de vnitate Eccl. c. 10.

Isid. in lib. Num. c. 21. Deut. 34. 5.

Matt. 10. 5.

Ephe. 2. 14. Ps. 17. Isai. 65. 1. Oseæ 2. 23.

8 Ad oppositæ sententiæ argumenta, dicendum est, per vniuersum mundum, & omnem terram, intelligi præcipuas mundi partes & Prouincias, siue terram omnem Romanis subiectam, & nobis, nostróque orbi cognitam, quò Apostolorum famam, & Euangelium penetrasse, nemo de iis qui peritissimi sunt, aut inficiatur, aut ignorat. Aliàs enim, posterioribus temporibus, atque æuo etiam nostro, plures deprehensas esse regiones, quibus illata deinceps fuerit lux, liquidò commonstrant Annales Ecclesiastici; de citerioribus Indis, ad fidem primùm conuersis, tempore Constantini Imperatoris, tradunt Ruffinus, Socrates, Theodoretus, quódque in aliis nonnullis Prouinciis alij historici, testatur de sua ætate Bernardus, item Augustinus disserens cùm Hesychio, scribit, multas suo tempore in Africa fuisse Gentes, quæ Euangelium neque acceperant, neque audiuerant. Patrum verò nostrorum memoria, S. Xauerium de Societate primum in Indiam, in Iaponiam verò omnino primum, lucem Euangelij intulisse, narrat Tursellinus, ac mitata est Europa nuper admodum, teste

Ruff. l. 1. hist. c. 9. Socrat. l. histo. c. 15. Theodor. l. hist. 23. Bern. lib. 3. de consideratione. Aug. ep. 78. & 80. Tursel. l. 4. vitæ S. Xaue. c. 8. Ribad. l. 1. vitæ S. Ignat. c. 19.

Ribadena.l.2. vitæ S Igna. c. 19. teste Ribadenera, Iaponos generis nobilitate imprimis illustres iuuenes, sedes ac parentum consuetudinem & ciuium suorum beneuolentiam, Christi amori posthabentes, ex Iaponia in Hispaniam vsque, anno salutis nostræ 1584. nauigasse, immensis perfunctos laboribus atque periculis, tum Romam ipsam, quasi ad Christianæ religionis arcem profectos esse, vt Summum in ea Pontificem, Christi vicarium, Petri successorem, coram agnoscerent, colerent, venerarentur, eique suo, & Bungi, & Ariniæ, & Fiungi regum consanguineorum suorum nomine, quasi primitiæ Iaponensium Christianorum, debitæ obedientiæ munus offerrent. Regna insuper potentissima, respublicas nobilissimas, maria immensa, regiones inauditas, oras terrarum latissimas, orbem denique alterum, quem arcanum Dei consilium tamdiu occultauerat, hoc nostro sæculo patefecit, eò quod infinita penè sint, neque huius narrationis propria, silentio prætermitto.

9. Neque est, in recensendis Galliæ summis laudibus, quòd diutius hæream. Quæ enim Prouincia orbis, vnquam gloriosior? quæ commendatior hominum memoriæ sempiternæ? Certè olim Massiliæ, studia ingenuarum doctrinarum, adeo floruerunt, vt Romani, pro Attica peregrinatione, Massiliense Gymnasium peterent, ad capessendas disciplinas. Meminit Tacitus in vita Agricolæ, cùm socerum scribit Agricolam, statim paruulum, *sedem ac magistram studiorum Massiliam* habuisse, locum Græca comitate, & Prouinciali parcimonia mistum ac bene compositum.

10. An tu igitur censes? voluisse Deum, tam illustrem honore ac nomine Prouinciam & ciuitates, diuturnis errorum tenebris, & caligine occultate depressas; dum finitimæ regiones susciperentur in lucem, & religionis ac pietatis Christianæ cœlesti spiritu augerentur? Itáne Petrum, cæterósque Apostolos, tam parum æquos ac beneficos, *dispensatores mysteriorum Dei*, vt etiamsi opportunitas commodissimè suppeteret, Massiliensibus, Romanorum sociis, atque amicis fidelissimis, habuerint obstructos atque interclusos fontes Euangelij, patentes alioquin & expositos seruis, ac populis agrestibus lingua, & natione, gentibúsque immanitate Barbaris? Quamuis enim Arelatas Trophimum destinarit Petrus, & in hanc præclarissimam Prouincialium expeditionem Vir sanctissimus, omnibus viribus, totóque pectore incumberet; tamen, tam latè patet hic campus, tam spatiosa, deserta, inculta vinea hæc erat, tam horrida aspectu, vt pluribus adhuc cultoribus indigeret. Adde quòd in Academiis Massiliensibus, quarum magna vis erat, cùm fontes, vnde cæteri Prouinciales haurirent, atque etiam itinera ipsa idololatriæ continerentur, qui fieri potuit, vt medicum nobilissimum atque optimum rantus improprouisò capitis morbus opprimeret, qui in sanandis aliis leuioribus membris scientiam profiteretur.

11. De Paulo & Sila comite, quemadmodum Græcos eruditione ac religiosæ vitæ consuetudine fraudarint, Phrygiáque & Galatiæ regione atque

atque Bithynia profugerint, nimis quidem obscurè memorat scriptura: *Transeuntes Phrygiam & Galatiæ regionem, vetati sunt à Spiritu sancto, loqui verbum Dei in Asia, cùm venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Iesu.* Vetuit Spiritus sanctus illis, prædicare, vt aiunt Beda, & Origenes, quos sciebat contempturos verbum Dei, & voluit illis communicari, quos non ignorabat vtiliter admissutos, inquit, Lyranus. Vnde eidem Paulo iniunxit Dominus. *Festina, & exi velociter ex Hierusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me.* Aut quia præcognouit, vt exponit Oecumenius, πνευματομάχων, id est contra Spiritum sanctum pugnantium hæresim, ibi esse dominaturam. Et S. Gregorius. *Ne grauius, de contempta prædicatione, mali auditores iudicari mererentur.* S. Prosper censet, arcanam hîc fuisse causam, quæ nos latet, ob quam non negata, sed dilata est Asianis gratia prædicationis, sic Paulus ad Romanos, sæpè ait se proposuisse venire ad eos, sed *prohibitus*, inquit, *sum vsque adhuc, vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris gentibus, Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum: ita, quod in me, promptum est & vobis, qui Romæ estis, euangelisare. Non enim erubesco Euangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco.*

Act. 16. — Beda in Act. c. 16. Orig. hom. 9. in Leuiti. — Act. 22. — Prosper. l. 2. de vocatione gentium c. 3. — Rom. c. 1. 13.

12. Vbi Origenes, Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus, alijque Latini & Græci Doctores, omissa expositione de Satana, quem idem Apostolus, ad Thessalonicenses, queritur impedimentum opposuisse profectioni suæ. *Quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, at semel & iterum, sed impediuit nos Satanas.* Dicunt curæ esse Deo, & ab eius nutu pendere, tum verba, tum itinera Prædicatorum suorum.

Thessal. 2. 18.

13. Ac quemadmodum, ne in Bithynia & Asia loqueretur verbum Dei: ita ne Corinthi taceret, Deus ipse iussis suis atque oraculis disertè intercessit. *Noli timere, sed loquere: ne taceas, propter quod ego sum, & nemo apponetur tibi vt noceat te, quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate.* Idque Moyses Abbas apud Cassianum, se expertum fuisse affirmat, vt interdum sibi volenti aliquos exhortari, deficeret sermo: interdum propter aliorum incensum sedulúmque studium audiendi & proficiendi, feruentiori quodam instinctu, afflatúque diuino concitaretur. *Frequenter memini nonnullis huiusmodi sermonem cùm gemitu lachrymisque poscentibus, me quoque aliquid eis doctrinæ conferre cupientem, nullatenus potuisse. Et ita in me non solùm sensus, verùm etiam ipsum eloquium defecisse, vt non inuenirem, quemadmodum eos vel cum leui consolatione dimitterem. Quibus indiciis euidenter agnoscitur, Domini gratiam, pro merito ac desiderio audientium, disputantibus aspirare sermonem.*

Act. 18. 9. 10. — Cass. coll. 1. c. vlt.

14. Quibus omnibus ex locis & autoribus, satis confirmatur sententia, de Magdalenæ aduentu in Gallias & Massiliam appulsu: nam, si in ea, quæ ad fidei propagationem atque amplificationem attinent, oculos intendamus, non poterit sanè quisquam de diuino consilio dubitare, qui fidelissimam Romanos inter atque Massilienses Societatem coniunctionémque

nemque perspexit, ex quo pene contrahendarum rerum vsus esse cœpit inter gentes, commerciúmque ex nauigandi facilitate & commeandi in alias Prouincias opportunitate. Deinde quanta hominum docilitas & memoria semper fuerit, (quæ ferè appellantur vno ingenij nomine) quàm incenso studio atque exquisita diligentia, viri literatissimi, in eam curam incubuerint, vt vitam legibus & institutis excultam constitutámque haberent, ex veterum historiis petat licebit, si quis huiusmodi rerum vberiorem cognitionem desiderat. Ea in vrbe, studia imprimis Græcarum literarum vigebant, vnde dicuntur *Bilingues Massilienses*, à Varrone, apud S. Hieronymum, Isidorum, Midendorpium: quorum rempublicam optimis legibus temperatam laudat Aristoteles, & Valerius Maximus. Idcirco, *Mores Massilienses* interpretantur plerique probos & ingenuos apud Plautum. *Vbi, inquit, tu es, qui colere mores Massilienses postulas.* Vide Manutium, in prouerbio, *Massiliam nauiges.* Adde Massilienses fuisse primos populi Romani socios, teste Polybio, & Iustino. Ideóque fidelissimam & amicissimam ciuitatem Florus appellat, vrbem fortissimorum fidelissimorúmque sociorum Cicero pro Fonteio, cuius laudes sępè alibi attingit. Item Seneca, Strabo, Appianus, Gellius, Plutarchus, Ammianus, Herodotus, Pausanias, Solinus, Suetonius, Liuius interdum, ac præsertim in oratione Rhodiorum, in Senatu Romano habita. Ciceronis hæc sunt grauissima verba & fidelissima in oratione pro Lucio Flacco. *Neque verò te Massilia prætereo, quæ Lucium Flaccum, militem quæstorem cognouisti, cuius ego ciuitatis disciplinam atque grauitatem non solùm Græciæ, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam iure dicam? quæ tam procul à Græcorum omnium regionibus, disciplinis, linguisque diuisa, cùm in vltimis terris iuncta Gallorum gentibus, Barbariæ fluctibus alluatur, sic optimatum consilio gubernatur vt omnes eius instituta laudare facilius possint quàm æmulari.*

Hier. in ep. ad Gala. Isid. l. 15. ... Midendor. ... de Acad. Arist. l. 6. polit. c. 5. Valer. ... 2. c. 6. Plaut. in Cassina Polyb. l b 3. l. 3. Iust. l. 43. Florus l. 3. c. 2. Cic. Phil. 8. & pro Flacc. & 2. off. Liu. l. 5. & 37.

15. Id verò etiam multo magis eminet, atque extat illustrius, ex ipso cursu, atque ex vberrimo & copiosissimo fructu, quem ex Euangelij semente in hoc agro, & natura perbono, & morum cultura diligentiáque meliori, Deus ipse immortalis collegit. Non modò enim faciles se in audiendis Christi discipulis, admittendisque præbuisse, sed eodem ipso tempore cùm in aliis plurimis, atque maximis regionibus, tam furiosè contra Christianos debaccharentur infideles, ac cruces demolirentur, fana diriperent, monasteria incenderent, diuina atque humana iura omnia violarent; longè tamen remissius ac leuius sæuiret persequutio Prouinciæ Magistratuum ac Tyrannorum nec diu seruitute oppressam tenuerit Massiliæ ciuitatem. Constátque, ita generosè fideliterque in cultum veri Dei ac fidem se adiunxisse, vt Deus ipse, qui in Europa, multas passim atque acerbas, ab hæreticis perfert contumelias & opprobria, hanc ab ea labe Prouinciam, singulari prouidentia defenderit atque protexerit; eáque sanctissimorum iuxta, & eruditissimorum virorū propugnacula, in eius florentissimis Academiis excitauerit, qui acerrimè dimicantes, de impietate, vitæ innocentia; de hæresi, fidei integritate; de teterrimis hostibus,

fuso

fuſo pro Euangelio & veritate ſanguine, ampliſſimè atque honeſtiſſimè triumpharint.

16. Hanc ſibi ſuíſque popularibus aſſumit ac ſuo iure quodammodo vendicare videtur Quiqueranus Epiſcopus Senecenſis libro de laudibus Prouinciæ, vbi de Maſſilienſium iucundiſſimo applauſu & gratulatione, in Magdalenæ aduentu, his verbis. Altera, nec parua quidem, ô ſuperi, noſtrorum gloria eſt, proritante quidem eorum animos (fateor) cœleſti Spiritu, cùm nuſquam adduci potuerint, vt hos Sanctos Dei, non obſeruarent religiosè: tantùm aberant ab iniuria, cùm interim Iudæi Stephanum lapidatione peremiſſent, Romanus Nero, Petrum, inuerſis in ſublime pedibus crucifixerit, Paulum ceruice truncati, cæteríque fermè Apoſtolorum, & diſcipulorum, alij alibi crudeliter interierint. Quid dicam de horrenda truculentiſſimâque Hunnorum gente, quæ Agrippinenſium coloniæ mœnibus aſſidens, diuerſa tamen tempeſtate vndecim illa millia Virginum, Vrſula duce, quibus Aphri Leones, Hircanæ Tigres, ac ſi quid eſt toto orbe atrocius (credo) pepercisſent, ſceleſtiſſimè mactarunt? Diis talem terris auertite gentem. Portò Maria quidem Magdalena, non vno miraculo eâque quæ è pulcherrimo illius ore, melle dulcior fluebat, oratione, Maſſilienſes primùm, Chriſto coniunxit, mox eadem benignitate reliquæ Prouinciæ impertita luce, Maſſiliam reuehitur, iíſque Lazarum fratrem Epiſcopum dat. Quiquera. lib. 3. de laudi. Prouin.

17. Hoc igitur tempore tam opportuno, tam neceſſario, Deum admirabili conſilio elegiſſe Magdalenam, & Lazarum, vt crucis Trophæum Maſſiliam, & in vicinas ciuitates inferret, ac gentes Deorum ſacrilegis ſuperſtitionibus contaminatas, depulſis ignorantiæ atque infidelitatis, tenebris Euangelij clariſſima luce perfunderet, tam certum eſt, quàm liquidò conſtat nullam prorſus vel leuem memoriam, vllibi extare, ſiue coniecturam de vllo alio Chriſti diſcipulo, qui fundandæ Maſſilienſis Eccleſiæ officioſam illam prouinciam, vel ſibi mandatam ab Apoſtolis ipſi ſuſceperint, aut depopoſcerint.

CAPVT XIV.

Alter locus: Traditio Eccleſiaſtica, in forma præcepti.

1. QVamuis interdum traditio latè ſumatur, pro doctrina ſiue ſcripta ſiue non ſcripta, quæ ab vno communicatur alteri, vt colligimus ex Apoſtolo. *Tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.* Tamen ſi preſsè & anguſtè definiatur, doctrinam ſignificat, non ſcriptam, ſed voce traditam, & per temporum ſucceſſiones, 2. Teſſalo. 2. 1. Corint. 11.

 memoria

1.Cor.11. memoria retentam & conseruatam. Quo sensu loquitur Apostolus, cùm acturus de Sacramento Eucharistiæ sic ait. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*; scilicet non scripto, vt patet, sed viuæ vocis oraculo. Neque vllus est alius locus, in Epistola ad Corinthios, vbi Paulus de hoc mysterio perscribat, & Cyprianus. *Admonitos autem nos scias, vt in calice Domini offerendo, Dominica traditio seruetur, calicem, qui in commemorationem eius offertur, mixtum vino offerendum esse.* Nusquam enim reperitur in scriptura, quòd vinum simul & aqua offerri debeant.

2. Generatim atque vniuersè tribuitur in diuinam & Ecclesiasticam. Diuina est, quæ originem habet, à veritate Dei docentis per se vel per creaturam, accipientem ab ipso infallibilem doctrinæ autoritatem: & ita Apostolicæ traditiones censentur diuinæ, quia licèt ab ipsis Apostolis institutæ sint, non tamen sine ministerio & instinctu Spiritus sancti, quale est ieiunium Quadragesimale, & ea ferè, quæ ad materiam & formam Sacramentorum pertinent, de quibus pauca explicatè & distinctè scripta habemus in diuinis literis. Ecclesiastica est consuetudo quædam antiqua, vel ab Episcopis vel à populo inchoata, quæ paulatim tacito omnium consensu, vim legis obtinuit; distinguitúrque in traditionem de fide, ad quam pertinent, quòd Beata Virgo semper fuerit Virgo, quòd quatuor tantùm sint canonica Euangelia. Et in traditionem de moribus, nempe, quòd certis diebus ieiunia aut festa sint celebranda, quòd Sanctorum reliquiæ hoc vel illo loco venerandæ & colendæ habeantur. Atque hanc si liberum sit abrogare, traditam dixeris in forma consilij, sin secus, in forma præcepti.

3. Ex his iam ad institutum nostrum, duo quæ vera sunt pro veris probamus. Primùm est, de Magdalenæ aduentu, cum Lazaro, Martha, Maximino in Gallias, veterem haberi traditionem Ecclesiasticam, vt testatur Baronius in suis ad Martyrologium Romanum Annotationibus 22. Iulij: alterum est, vim quamdam obtinere præcepti, ac certas rationes, quæ habent ordinem, & quasdam errare in credendo non patientes vias. Colligitur, ex vniuersali & immemoriali vsu Ecclesiæ, ab eius institutione, vt suprà in Disquisitionis Breuiario demonstratum habes. Si enim consuetudinis aut religionis cuiusquam, diu in tota Ecclesia, obseruatæ originem & principium, nec ad priuatos aliquos autores, nec ad certa Concilia Episcoporum referre possumus; sed ea consuetudo ac religio omnibus retro temporibus, seruata est, conficitur, planè illam ab ipsis principibus Ecclesiæ fundatoribus esse profectam. Quocirca Tertull. de Corona militis. *Si legem* Aug.l.4.c.24. *postulas scripturam nullam inuenies: traditio tibi protenditur auctrix.* Et Augustin. libro de Baptismo contra Donatistas. *Si quisquam in hac re autoritatem diuinam quærat, quamquam quod vniuersa tenet Ecclesia nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica autoritate traditum rectissimè creditur.*

4. Definiuisse verò Ecclesiam ad commune omnium peritorum iudicium, & ad popularem sensum accommodatè, quòd è Palæstina Massiliam Magdalena

Magdalena traiecerit, liquet ex Bullis Pij 5. Clementis 8. Pauli 5. Vrbani 8. & plurium aliorum Pontificum, quos in decurſu operis, ſæpè laudauimus, ſic enim in ſua, De Breuiario Romano ſigillatim autoritate Apoſtolica reſtituto, præfatur Pius 5.

Quod à nobis poſtulat ratio paſtoralis officij, in eam curam incumbimus, vt omnes quantum Deo adiutore fieri poterit, ſacri Tridentini Concilij decreta exequantur, ac multo id etiam impenſius faciendum intelligimus, cùm ea, quæ in mores inducenda ſunt, maximè Dei gloriam, ac debitum Eccleſiaſticarum perſonarum officium, complectuntur. Quo in genere exiſtimamus in primis numerandas eſſe preces, laudes, & gratias Deo ſoluendas, quæ Romano Breuiario continentur. Quæ diuini officij formula, piè olim ac ſapienter à Summis Pontificibus præſertim Gelaſio, ac Gregorio primis conſtituta, à Gregorio autem ſeptimo reformata, cùm diuturnitate temporis ab antiqua inſtitutione deflexiſſet; neceſſaria viſa res eſt, quæ ad priſtinam orandi regulam conformata reuocaretur. Alij enim præclaram veteris Breuiarij conſtitutionem, multis locis mutilatam, alij incertis & alienis quibuſdam commutatam deformarunt: plurimi ſpecie Officij commodioris allecti, ad breuitatem noui Breuiarij, à Franciſco Quignonio tituli ſanctæ Crucis in Ieruſalem Presbytero Cardinali compoſiti confugerunt. Quin etiam in Prouincias paulatim irrepſerat praua illa conſuetudo, vt Epiſcopi in Eccleſiis, quæ ab initio communiter, cùm cæteri veteri Romano more horas canonicas dicere ac pſallere conſueuiſſent, priuatum ſibi quiſque Breuiarium conficerent, & illam communionem, vni Deo, vna & eadem formula preces & laudes adhibendi, diſſimillimo inter ſe ac penè cuiuſque Epiſcopatus proprio officio diſcerperent. Hinc illa tam multis in locis diuini cultus perturbatio, hinc ſumma in Clero ignoratio cæremoniarum ac rituum Eccleſiaſticorum, vt innumerabiles Eccleſiarum miniſtri, in ſuo munere indecorè, non ſine magna piorum offenſione verſarentur. Hanc nimirum orandi varietatem grauiſſimè ferens Feli. memo. Paulus Papa quartus emendare conſtituerat. Itaque prouiſione adhibita, ne vlla in poſterum noui Breuiarij licentia permitteretur, totam rationem dicendi ac pſallendi horas canonicas, ad priſtinum morem & inſtitutum redigendam ſuſcepit. Sed eo poſtea nondum iis, quæ egregiè inchoauerat, perfectis de vita decedente, cùm à pia mem. Pio Papa quarto Tridentinum Concilium antea variè intermiſſum, reuocatum eſſet, Patres in illa ſalutari reformatione, ab eodem Concilio conſtituta, Breuiarium, ex ipſius Pauli Papæ, ratione reſtituere cogitarunt. Itaque quidquid ab eo in ſacro opere collectum elaboratúmque fuerat, Concilij Patribus, Tridentum à prædicto Pio Papa miſſum eſt. Vbi cùm doctis quibuſdam, & piis viris, à Concilio datum eſſet negotium, vt ad reliquam cogitationem, Breuiarij quoque curam adiungerent inſtante iam concluſione Concilij, tota res ad autoritatem iudiciúmque Romani Pontificis, ex decreto eiuſdem Concilij relata eſt, qui illis ipſis Patribus, ad id munus delectis, Romam vocatis, nonnulliſque in Vrbe idoneis viris ad eum numerum adiunctis, rem perficiendam curauit. Verùm illo in viam vniuerſæ carnis ingreſſo: Nos, ita diuina diſponente clementia, licèt immeritò ad Apoſtolatus apicem aſſumpti, cùm ſacrum opus, adhibitis etiam ad illud aliis peritis viris, maximè vrgeremus, magna in nos Dei benignitate (ſic enim accipimus) Romanum hoc Breuiarium vidimus abſolutum

absolutum, cuius ratione dispositionis ab illis ipsis, qui negotio prapositi fuerant, non semel cognita, cùm intelligeremus, eos in rei confectione ab antiquis Breuiariis nobilium Vrbis Ecclesiarum, ac nostra Vaticana Bibliotheca non discessisse, grauésque praterea aliquot eo in genere scriptores secutos esse; ac denique remotis iis qua aliena & incerta essent, de propria summa veteris diuini officij nihil omisisse opus probauimus, & Roma imprimi, impressúmque diuulgari iussimus.

5. Item Gregorius 13. in Bulla, de emendato Romano Martyrologio. *Curauimus*, inquit, *Romanum Martyrologium nonnullis in locis, librariorum typographorúmque negligentia mendosum, per viros eruditos, ad fidem historia, qua rerum gestarum, personarum, locorum, temporum veritate continetur: adhibitis etiam codicibus vetustioribus, atque emendatioribus corrigi, correctúmque multis in locis auctum, proposita etiam atque explicata Epactarum, Lunaque singulis diebus numeranda ratione, edi, vetustissimóque Ecclesia more, in choro legendum proponi, ad Dei gloriam, ad sanctorum ipsorum, quorum memoria celebratur, laudem, ad eorum, qui legunt quique audiunt, fructum.*

6. Sed in vtroque, disertè asseritur, Magdalenam cùm fratre, & sorore & Maximino à Iudæis mari ad certum naufragium commissam, saluis omnibus Massiliam appulisse, ibíque mortem fœlicissimè obiisse: id ergo iam vetus & in officij diuini sacris ritibus maiorum exemplo vsitatum olim ab Ecclesia semper fuisse, necesse est. Præterea quòd viri Ecclesiastici, & graues plerique omnes Doctores, communi sensu affirmant, siue in concilio congregati, siue scribentes seorsim in libris; id sine dubio ex traditione exiisse, atque in vulgus emanasse omnium est fama consentiens; atqui reperire licet autores multos, vel potius innumerabiles, qui accessum Magdalenæ in Gallias certum & constantem habeant; quid igitur plura de traditione minimè loquar dubia? Adde quòd, si pateretur Ecclesia, nos reliquias quas non oportet, vel eo loco quo non decet, publicare aut religioni habere, quamuis fortè superstitionis peccata maxima non inessent, noxias tamen inferret consuetudines, & imprudentiæ notam incurreret, fucosa, & fallacibus interpretibus ac nuntiis constituta, id genus ceremoniæ in Deum ac cœlites exoluendæ, ratio.

7. Dixi promulgatam haberi hanc traditionem, in formâ præcepti, quoniam Pontifex in citato diplomate, statuit Breuiarium ac Martyrologium Romanum, nullo vnquam tempore vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse, neminémque ex iis quibus hoc dicendi psallendíque munus necessariò impositum est, nisi hac sola forma satisfacere posse; de quibus mox fusiùs capite proximo consequenti.

8. Vnus verò ille locus quem ad nauseam ingerit ac regetit Gallus Antidicomagdalenita & quantopere ad rem faciat & vnde sit depromptus, quámque autoritatem habere debeat intelligatur aperiendùm. Breuiarij lectiones ad vsum Græcorum Sacerdotum, de obitu & sepulchro Ephesino Magdalenæ affirmatè pronuntiant, quod Breuiarium, inquit, Romæ Clemente

Clemente VIII. Romano Pontifice (nullum editionis adscribit annum) die 22. Iulij prelo excusum habetur. Profert prætereà pro se parùm vt videtur ingeniosè (cùm hæc inter se pugnent) paucissima quædam MM. SS. Martyrologia è priuatis tabulariis euocata, quorum illud imprimis iactat sibi vt ait Bituricis submissum, vbi ista leguntur. 22. *Iulij. Apud Ephesum S. Mariæ Magdalenæ.* Tum ex alio Remensi recitat in hunc modum. 14. *Calendas Februarij. Hierosolymæ Mariæ & Marthæ sororum Lazari.* In quibus gemina esse affirmat: tria item alia M M. S S. Martyrologia, Andeganense, Trecense in Ecclesia S. Stephani, & Bibliothecæ Thuanæ Parisiis. Hæc inquam & alia id genus tanquam ipsis Solis radiis scripta, & Magdalenæ sepulchri Sanmaximinensis euersionem, quàm ridiculè sperat atque molitur, exhibentia lusciosis & cæcutientibus recentiorum oculis ostentant Gallogræci aduersarij, singulis propè priuatis literis, aut de commentitia dissertatione sua familiaribus sermonibus. Ego nescio profectò risum potius an bilem ciere debeant, inuidiolæ istæ aut maleuolentiæ obtrectationes, adeo inanes sunt, nec nisi mendaciis subnixæ. Non enim plus sanè hìc ab illis deprehenditur Magdalena nostra in citatis Martyrologiorum testimoniis, quàm Susanna ab impiis senibus, falsisque iudicibus in pomario; cùm in ipso capite quæstionis secum pugnent, & non modò non cohærentia inter se dicant, sed maximè disiuncta atque contraria; nempè Magdalenam Ephesi simul & Hierosolymæ diem obiisse & sepultam esse. Sed de his pluribus infrà cap. 33.

9. In Breuiarij Græci lectionibus reperit foueam Ericius, idque planè mihi demonstrauit non ita pridem vnus aliquis de societate nostra, vir ingenio, doctrina, & virtute præstans, qui Romæ per literas à me rogatus vt de Græcorum Breuiario tum iis Romanis typis excuso, tum aliis diligenter inquireret à Græcis ipsis Sacerdotibus, quibus ex ritu Græcæ Ecclesiæ vetus ac verus eius vsus intercedit. Respondet, Græcos, communis inter Latinos de vna Magdalena doctrinæ principia, funditus conuellere, ac veterem inter ipsos, de tribus Magdalenis, sententiam tueri, quarum vnam scilicet peccatricem & de qua eiecit Christus septem Dæmonia Ephesi sepultam esse, maiorum verbis duntaxat mandata traditione affirmant, diuersam planè, vt aiunt, à nostra Magdalena, quæ soror Lazari & Marthæ fuisse dicitur & conuincitur. Quo sensu Cedrenus, Zonaras, aliique siue in Martyrologiis siue alibi Græcos sequuti de Magdalena Ephesina scripserunt. Hanc à Græcis Sacerdotibus factam responsionem, ad verbum hìc inserendam existimauimus, vt quàm testata certáque sit Gallogræcorum nostrorum confutatio æquè, atque confusio magis appareat.

Ex literis S.?? P. Ioan. Ellioe datis Romæ 16. Nouem. 1641.

La Legenda che legge la Chieza Græca nella 3. Dominica dopo la Pasqua di Resurrectione, nella quale si fa mancione delle Sante Done, alla quali appari Christo resuscito, espressamente dice, che S. Maria Magdalena della quale Christo scaccio i sette Demonij, dopo esser venuta à Roma, andò in Efeso, doue mori, e fù sepolta da S. Gio Euangelista. Il suo

I capo

capo fù poi transportato dal sapiente Leone Imperatore à Constantinopoly. Addit insuper in Breuiariis Græcorum preces Horarias & Canonicas psalmis penè vniuersas constare, neque diuidi Nocturna, quemadmodum ex ritu Latinorum, per Lectiones, siue ex homiliis Patrum siue ex vitis Sanctorum. Sed moris esse duntaxat vt Horarum penso persoluto, de historiis Sanctorum aliquid Lectitent, quas nemine autore, nudique verbi testimonio consignatas habere se aiunt. Eas verò approbasse aut approbare Romanum Pontificem saltem in forma præcepti, sicut approbatum habemus Romanum Breuiarium, tam falsum est quàm quod falsissimum; sed eas, vt & alias scripturas Apocryphas, & Græcorum eorumdem alios ritus & mores Ecclesiasticos, cum tolerantia tantùm permittit.

10. Extrema huius capitis criminatio Gallogræcorum est, quòd lectiones de sancta Marth, aquas in Romano Breuiario legimus è fontibus Apocryphis hauserint eiusdem Breuiarij concinnatores, nempe ex vita sanctæ Marthæ à sancta Marcella eius famula & filiola, in Hebræo prius edita. Greg. lib. 16. moral. c. 7. Sed in hoc, iure illud Gregorij reponi posset. *Arrogantes viri habere hoc proprium solent, vt dum in nimia inuectione prodeunt, etiam inuehendo mentiantur. Et cùm non possint reprehendere iustè, quæ sunt, reprehendunt mentiendo, quæ non sunt.* Perspicuè enim, & conceptis verbis Pius V. in Bulla approbationis Breuiarij Romani testatur, quòd ratione dispositionis, ab illis ipsis, qui negotio præpositi fuerant, non semel cognita, cùm intellexisset, eos in rei confectione ab antiquis Breuiariis nobilium Vrbis Ecclesiarum ac Vaticanæ Bibliothecæ non discessisse, grauésque præterea aliquot eo in genere scriptores sequutos esse, denique remotis iis quæ aliena & incerta essent, de propria summa veteris diuini officij nihil omisisse, opus probauerit, & Romæ imprimi, impressúmque diuulgari iusserit.

CAPVT XV.

Autoritas Romanorum Pontificum.

1. CVm Ecclesia, vniuersum conplectatur cœtum fidelium, sub vno pastore, vicario Christi, qui seruet *vnitatem fidei ac morum, in vinculo pacis*; diuiditur argumentandi ratio, ex eius autoritate, tripartitò. 1. ratione capitis. 2. ratione corporis totius sub eodem capite, vbique terrarum diffusi. 3. in generali Concilio legitimè congregati, in quo est tota Ecclesia, non quidem reipsa, sed repræsentatione.

2. Nunc primùm tractamus atque agimus causam fidei nostræ, quam olim Patres à forma veritatis, & à Romani Pontificis regula abesse nunquam voluerunt, vt Cyprianus docet, & ob eius contemptum, natas

hæreses

hæreses conqueritur, his verbis. *Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri Cœlestis doctrina seruatur.* Et Concilium Tarraconense, in Epistola ad Hilarium Papam. *Ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, vnde nihil præsumptione sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* Causam reddit Basilius in Epistola ad Romanum Pontificem per Sabinum. *Quia pietati tuæ,* inquit, *datum à Domino est, quod adulterinum est à legitimo ac puro discernere, ac fidem Patrum, sine vlla subtractione prædicare.* Cypr.lib.1.ep. 3.

3. Vrget in hoc genere, & maximè instat & perficit Breuiarij, æquè atque Martyrologij Romani autoritas, quod ex decreto sacrosancti Concilij Tridentini restitutum, & quidem Gelasij, Gregorij primi, Gregorij septimi, Pauli quarti, Pij quarti priùs autoritate editum: deinceps Pii V. Gregorij XIII. Clementis VIII. Pauli V. & S. D. N. Vrbani VIII. iussu recognitum, hæc de rebus gestis Magdalenæ nostræ, censet inter Agiographa, quæque inter diuinas laudes ab vniuersa Ecclesia, pro Choro cantari possint, ac debeant.

Martha nobilibus & copiosis parentibus nata, sed Christi Domini hospitio clarior, post eius ascensum in Cœlum; cum fratre, sorore, & Marcella pedissequa, ac Maximino, vno ex septuaginta duobus discipulis Christi Domini, qui totam illam Domum baptisauerat, multisque aliis Christianis comprehensa à Iudæis; in nauem sine velo, ac remigio imponitur, vastissimóque mari ad certum naufragium committitur: sed nauis Deo gubernante saluis omnibus Massiliam appulsa est. Eo miraculo & horum prædicatione primùm Massilienses, mox Aquenses, ac finitimæ gentes in Christum crediderunt, Lazarúsque Massiliensium, Maximinus Aquensium Episcopus creatur. Magdalena verò assueta orationi & pedibus Domini, vt optima parte contemplandæ Cœlestis beatitudinis, quam elegerat, frueretur, in vastam altissimi montis speluncam se contulit, vbi triginta annos vixit ab omni hominum consuetudine disiuncta, quotidiéque per id tempus ad audiendas Cœlestium laudes in altum ab Angelis elata. Martha autem mirabili vita sanctitate, & charitate, omnium Massiliensium animis in sui amorem & admirationem adductis, in locum à viris remotum, cum aliquot honestissimis fœminis se recepit, vbi summa cum laude pietatis & prudentia, diu vixit, ac demum morte sua multo ante prædicta, miraculis clara, migrauit ad Dominum, quarto Calendas Augusti. Cuius corpus apud Tarascum magnam habet venerationem.

4. Contrariam ergo sententiam, damnari tanquam Apocrypham, & in vsu sacrorum, atque ab autenticorum scriptorum ordine, ac numero expellendam, exterminandam, eiiciendam ex eo colligere potes, quòd eiusdem Breuiarij confirmandi ac restificandi causa, de certo suo sensu ac vero subiicit, Pius V. in Bulla citata, de diuini officij formula. *Omni itaque alio vsu, quibuslibet vt dictum est interdicto, hoc nostrum Breuiarium, ac precandi psallendíque formulam, in omnibus vniuersi orbis Ecclesiis, monasteriis, Ordinibus & locis etiam exemptis, in quibus officium ex more & ritu dicta Romana Ecclesia dici debet, aut consueuit, salua prædicta institutione vel cõsuetudine,*

prædictos ducentos annos superante, præcipimus obseruari, statuentes Breuiarium ipsum nullo vnquam tempore, vel totum vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse, ac quoscumque qui horas canonicas ex more & ritu ipsius Romanæ Ecclesiæ iure vel consuetudine dicere, vel psallere debent, propositis pœnis per canonicas sanctiones, constitutis in eos qui diuinum officium quotidie non dixerint, ad dicendum & psallendum posthac in perpetuum horas ipsas diurnas & nocturnas, ex huius Romani Breuiarij præscripto, & ratione, omnino teneri, neminémque ex iis quibus hoc dicendi psallendíque munus necessariò impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse. Iubemus igitur omnes & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & cæteros Ecclesiarum prælatos, vt omissis quæ sic suppressimus & aboleuimus, cæteris omnibus, etiam priuatim per eos constitutis, Breuiarium hoc in suis quisque Ecclesiis, monasteriis, conuentibus, Ordinibus, Militiis, Diœcesibus, & locis prædictis introducant, & tam ipsi quàm cæteri omnes Presbyteri & Clerici, sæculares & regulares, vtriusque sexus, necnon milites & exempti, quibus officium dicendi & psallendi quomodocumque, sicut prædicitur, iniunctum est, vt ex huius nostri Breuiarij formula, tam in choro quàm extra illum dicere & psallere procurent. Et infrà. *Quoscumque verò qui illud secus impresserint, proposuerint, vel receperint excommunicationis sententia eo ipso innodamus.*

5. Cùm verò progressu temporis typographorum negligentia & incuria, & nimia aliorum etiam, ea quæ ad ipsos non pertinent, temerè sibi assumentium audacia ac licentia, multi errores in illud irrepsissent; ac tum in sacra scriptura & lectionibus Patrum, tum in vitis Sanctorum, sine Romanorum Pontificum autoritate, pro cuiusque arbitrio addita, & immutata fuissent, ita vt vix vlla reperirentur Breuiaria, quæ à prima editione eiusdem Pij Pontificis, in multis non discreparent atque dissentirent, & aliqua recognitione non indigerent, decreto altero ibidem sanciuit ac suffragio confirmauit, Clemens VIII. in hunc modum. *Nos qui pro Pastorali nostra sollicitudine in eam curam præcipuè incumbimus, vt ea quæ à prædecessoribus nostris sanctè ac piè instituta sunt perpetuò integra & inuiolata conseruentur, quæ verò hominum culpa immutata sunt atque corrupta & quæ recognitionem exigunt, in pristinum statum restituantur, reformentur: mandauimus nonnullis piis & eruditis viris, quorum consultatione & opera in huiusmodi rebus frequenter vtimur, vt idem Breuiarium noua adhibita diligentia accuratiùs inspicerent, atque examinarent, & ea quæ deprauata esse & recognitione indigere animaduerterent, pro sua doctrina & pietate restituerent. Quod cùm ab iis exactè ac profectò non mediocri cum emolumento præstitum sit, ita vt, ex superiori illo incommodo, per occasionem non parum vtilitatis prouenerit. Nos illud in nostra Typographia Vaticana, quàm emendatissimè imprimi ac diuulgari iussimus, vt autem illius vsus in omnibus Christiani orbis partibus, perpetuis futuris temporibus conseruetur, ipsum Breuiarium in alma Vrbe nostra, in eadem Typographia tantùm, & non alibi, imprimi posse decernimus: extra Vrbem verò iuxta exemplar in dicta Typographia nunc editum, & non aliter, hac lege imprimi posse permittimus, vt nimirum Typographis quibuscumque illud imprimere volentibus,*

lentibus, id facere liceat, requisita tamen priùs & in scriptis obtenta dilectorum filiorum Inquisitorum hæreticæ prauitatis, in iis locis in quibus fuerint, vbi verò non fuerint, Ordinariorum locorum licentia: alioquin si absque huiusmodi licentia dictum Breuiarium, sub quacumque forma, de cætero ipsi imprimere, aut Bibliopolæ vendere præsumpserint, Typographi & Bibliopolæ, extra statum nostrum Ecclesiasticum existentes, excommunicationis latæ sententiæ, à qua nisi à Romano Pontifice præterquam in mortis articulo constituti absolui nequeant; in alma verò Vrbe, ac reliquo statu Ecclesiastico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis librorum, & Typorum omnium, Cameræ prædictæ applicandorum pœnas, absque alia declaratione irremissibiliter incurrant eo ipso.

6. Martyrologium item Romanum, in sententiæ nostræ laudem & commendationem ita habet 22. Iulij. *Apud Massiliam, natalis S. Mariæ Magdalenæ, de qua Dominus eiecit septem dæmonia, & quæ ipsum Saluatorem à mortuis resurgentem prima videre meruit.* In quibus interpositam eiusdem sententiæ autoritatem sustinet contra inuidiam atque defendit Gregorius XIII. in Bulla, *emendato iam Calendario*, quæ, singulari Pontificis cura prouisum testatur, vt Romanum Martyrologium nonnullis in locis Librariorum, Typographorúmque negligentia mendosum, per viros eruditos, vt suprà monuimus, corrigeretur, correctúmque & multis in locis auctum vetustissimo Ecclesiæ more in Choro legendum proponeretur. Postremò addidit.

Mandamus igitur omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, cæterísque Ecclesiis, Monasteriis, Conuentibus, Ordinibus, siue sæcularibus siue regularibus quibuscumque præfectis, vt in peragendo diuino in choro officio, omni alio Martyrologio amoto, hoc tantùm nostro vtantur, nulla re addita, mutata, adempta. Si quos alios habuerint Sanctos in suis Ecclesiis aut locis celebrari solitos, eos in hunc librum ne inferant, sed separatim descriptos habeant, eúmque illis locum atque ordinem tribuant, qui regulis, hic descriptus traditur. Eadem etiam iis, qui in horis Ecclesiasticis priuatim Martyrologio vti voluerint (quod quidem magnopere cuperemus, vt omnes facere vellent) mandamus omnibúsque, aliorum Martyrologiorum omnium, publicè priuatímque in Ecclesiasticis horis vsu interdicimus. Typographis etiam prohibemus, ne in posterum, hoc nostrum, vlla in re minutum, auctum, mutatum edere audeant. Si quis aliter quàm hoc nostro decreto comprehensum est fecerit: nouerit se in Dei omnipotentis, Beatorúmque Apostolorum Petri & Pauli indignationem incursurum.

Similia horum Pauli V. & Vrbani VIII. diplomata proposita & propalam collocata, in eodem ipso habentur primo aditu, vestibulóque Breuiarij.

7. Ego me ad eorum Pontificum rationes, ita libenter adiungo, vt in vita S. Mariæ Magdalenæ, quod pij & eruditi viri quorum consultatione & opera vsi sunt Pontifices, adhibita, diligentia acuratius inspexerunt, atque examinarunt; & in iis, quæ deprauata esse, au recognitione indi-

gere animaduerterunt, ac pro sua doctrina & fidelitate restituerunt: ne vllo vnquam tempore, totum, vel ex parte, quidquam mutatum aut aliquid additum, vel omnino detractum velim. Quódque Hieronymus, in persimili controuersia, de nomine *Hypostasis*, ad Damasum Papam. *Ego*, inquit, *Beatitudini tuæ, id est, Cathedra Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio: quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit; id est, qui Christi non est, Antichristi est.* Et Irenæus aperiè dicit, *ad Romanam Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse esse omnes conuenire*, id est, eos, qui vndique sunt fideles.

Hier. Ep. ad Damasum.

Iren. l. 3. c. 3.

8. Audio quod reponunt Antidicomagdalenitæ, quia nulla est tam liquida veritas, quin eam nebulæ aliquæ difficultatum ex aduerso venientium offundant. Etsi Ecclesiæ placita, quoad vsus Breuiarij, de gestis Sanctorum, clara illa quidem & certa sint, tamen ab adiunctis interdum, & consequentibus difficultatibus, videri possunt obtenebrescere non nihil. Si quando igitur illucere mundo incipiat noua aliqua veritas & detegatur sententia, quam amplexari omnes abiecta vetere, firmis & valentibus rationibus astringerentur, non aduersantur Pontifices, in ea discussione, Criticorum laborem, neque detrectant restituere ac corrigere deprauata. Quod mecum recognoscet, quisquis ad ea, quæ non ante exactum sæculum, de vita S. Brunonis & aliorum, vitiosa & corrupta semel iterúmque, puris & incorruptis lectionibus emendarunt, aduertet animum. At in præsenti de Magdalena nihil tale accidit.

9. Volo nilominus tecum quàm liberaliter agere. Demus licere illam officiosam criticorum explorandi curam. Sed in rebus dubiis duntaxat, & inexploratis hactenus, aut minus accurati perpensis, vt in exemplo quod profers de lectionibus S. Brunonis & aliis id genus; verùm si autoritate Ecclesiæ, iam iterum ac sæpius definitas habemus, per destinatos ex officio exploratores, te quidem, & aliis, qui temerè se ingerunt, dignitate longè præstantiores, & magis æquos æstimatores, quod non diffiteris opinor. Nunquid volet Marsyas post Apollinem tibiis canere? Et quis tandem erit explorandi modus? Accedit, quòd in dubiis, præsertim quæ ad publicos Ecclesiæ ritus ac mores emendandos spectant, homines frugi & modesti, non solent importunè se ipsi inferre atque ingerere, aut, nisi lecti legatíque à Principe causæ disceptatores, agendi census præfecturam sibi arrogare. At verò, Tu quis es? quem te ipsum facis? quid dicis de te ipso? vt responsum demus his, qui te nesciunt, vnde sis, & vnde traditionis huius nostræ literas scis, cùm non didiceris? *Et, quis te constituit principem & iudicem super nos?* Num Magdalenam configere tu vis, sicut heri configere voluisti, Galliæ Dionysium Areopagitam, & ad reliquos sanctissimos Præsules, quos traditione habemus, Ecclesiæ Gallicanæ fundatores, & instructores deinceps configendos, tibi est grauis operæ pretium constitutum, & parata incredibilis quædam expectatio. Nam,

Nam, quid agas vel recognoscas in nostra Magdalena, siue in aliis; aut quibus nominibus audaciæ tuæ fidem facias, ex iure vel ex mandato & autoritate delegata non habes. Iudicatum est id, de quo iam sententia lata est, aut decretum interpositum, & re iudicata in his, stari, hactenus Ecclesia ostendit placere. At demus iterum licere critico, rem iudicatam, & sæpius coctam, atque excoctam, provt libuerit, etiam recoquere. Dum tamen recèns ortum, atque singulare aliquod, rationis hactenus incognitæ lumen affulgeat, ne vel imprudenter actum agere, vel impudenter arare in vitula videaris aliena. Sed nihil noui fers, ô Africa. Tua enim illa veterum codicum, rancorem viriata testimonia, tua illa græcanicarum traditionum & scriptorum commenta multis retro sæculis vulgaria & publicata, despuerunt, non modò priores quos laudauimus disquisitionis huius nostræ exploratores, in recognitione Breuiarij, sed Latini pene omnes, qui hoc argumentum tractarunt tū veteres tum recentiores historici. Præterea, vide ne lumē quòd in te est (aut esse iactitas) tenebræ sint. Cæcum & omnibus consiliis præceps ac deuium hæreticorum genus, quibus si fatuus ignis aliunde affulgeat, pro sole habere semper diligunt, in tenui illa & erratica luce exultantes ad horam, mox densissima caligine opprimendi. Neque aliter in historiarum, quàm morborum corporis curatione, res habere videtur, de qua ex sacris literis didicerat Gregorius, exemplo Apostoli, qui obiurgaturus grauiter Corinthios, ità eos ante laudauit, vt post plurimas laudes intulerit. *Ita vt nihil nobis desit in vlla gratia. Sic enim*, inquit Gregorius, *superborum prius brachia studuit, per blandimentorum vincula religare, vt postmodum potuisset vulnus superbiæ, ferro correctionis intercidere. Erant profecto in Corinthiis, quæ laudari debuissent, erant & ea quæ argui. Peritus itaque medicus, prius sana membra, quæ circa vulnus erant, laudando palpauit, & postmodum, putridum sinum vulneris, feriendo transfixit.* Intelligit aduersarius quid dicam. Non secus accidit in præsentia. Non enim, quia historiæ vulnus Ecclesiastico styli Censorij mucrone suffigitur, quæ circa illam sunt reliqua membra, quæque medicus palpando laudauit, ideò suspecta sunt: imò sana omnia, & bona & beata sunt. De his plura c. 35.

Greg. lib. 14. moral. c. 9.

CAPVT XVI.

Manuscripti codices & ad Ecclesiastici officij ritum perantiquæ Breuiariorum lectiones.

1. QVod fictis fabulis, non sine causa, sapientissimi homines prodiderunt, Heroas, numero amplius quinquaginta, è flore inuentutis

tutis Græciæ, vnà cùm Iasone in Colchida nauigasse, vellúsque aureum à Medea adiutos, in patriam reportasse; id à nobis, in isto opusculo, non vt à poëta, sed vt ab historico Ecclesiastico, aut teste religioso, de sanctissimis illis heroibus ex Hebræorum Christianorum flore collectis, Hierosolymæ, qui vnà cum Magdalena in oram Prouinciæ maritimam adnauigarunt, secundùm rem & veritatem exigitur.

Cice. 1. Tusc. Orpheus lib. 1 Appoll. in catal. Herouum Flaccus in Argonautis.

2. Baronius antiquitatis, scriptorúmque veterum literatè peritissimus, tabulis hoc manuscriptis historiæ Anglicanæ, quæ habentur in Vaticana Bibliotheca, citantúrque ac probantur à Pio V. & Clemente VIII. in Bullis suprà allegatis, tum memoria multorum, ex Actis ipsius Magdalenæ firmat & docet, anno 35. his verbis. *Insuper colligere possumus, hoc quoque tempore Lazarum, Mariam Magdalenam, Mattham, & Marcellam pedissequam, in quos Iudæi maiori odio exardescebant, non tantùm Hierosolymis pulsos esse, sed vnà cum Maximino discipulo, naui absque remigio impositos, in certum periculum mari fuisse creditos: quos diuina prouidentia Massiliam tradunt appulisse: comitémque ferunt, eiusdem discriminis Iosephum ab Arimathia nobilem Decurionem, quem tradunt ex Gallia in Britanniam nauigasse, illícque diem clausisse extremum.*

Bar. an. 35. n. 4.

Ann. 44. n. 27.

3. Anno item 44. refellens eorum commenta, quæ asserunt Magdalenam Ephesi vixisse, atque ibidem quieuisse: *Ioannes, inquit, Zebedæi filius, frater Iacobi, migrauit in Asiam minorem, vnà verò cum Ioanne profectam esse sanctissimam Dei genitricem Mariam Virginem, & Ephesi apud eum habitasse, sacrosancti Concilij Ephesini Synodica Epistola, ad Clerum Constantinopolitanum data, non obscurè significatur. Sed & Magdalenam ac Lazarum Ephesi egisse, aliqui tradiderunt. Verùm his de Magdalena repugnant, quæ superius dicta sunt.* In annotationibus ad illa Romani Martyrologij verba *vndecimo Calendas Augusti. Apud Massiliam natalis S. Magdalenæ.* De accessu eius, inquit, cum Martha & Maximino in Gallias, *cùm vetus traditio, tum etiam antiqui Manuscripti codices edocent*, quibus adde ea, quæ nouissimè scripta sunt à Syluestro Prierate Dominicano, in Aurea Rosa, in expositione Euangelij, feriæ quintæ infra octauas Paschæ, quæ recitat Surius tomo 4. hac die 11. Calen. Augusti. In hunc sensum allicitur, & totidem verbis, vtrumque ex Annalibus locum transfert Spondanus in suam Epitomen.

4. Acta verò Magdalenæ, seu Manuscriptos codices alios præter Vaticanum, quem sequitur Baronius, dabimus aliquos iuxta vetustatem, quantum quidem conijcere licebit, vel ex origine tam antiqua, vt eius principium ignorent, huius sæculi mortales: vel ex charactere, quo solent antiquarij, certissima indicia atque vestigia temporum, colligere.

5. Aquense Manuscriptum è celeberrimo Aquensis Ecclesiæ metropolitanæ tabulario, valde vetustum, in folio, membrana, de Maximino eiusdem Ecclesiæ conditore, & instructore sic habet. *Post sequutionis procella*

cella sæuiente, dispersi credentes, petierunt diuersa terrarum regna, à Domino delegata, verbum salutis gentibus propinando: erat tunc temporis, cum Apostolis Beatus Maximinus vnus ex 72. discipulis vir vniuersa morum probitate conspicuus, doctrina pariter & miraculorum virtute præclarus. Huius religionis sanctitudini Beata Maria Magdalena se contulit, beatitudinis contubernio illi coniuncta, veluti Virgo semper Maria sancto Euangelistæ Ioanni, vtpote à Domino ipsi commissa. Quapropter vt præfata dispersione Beata Maria Magdalena illi sociata est tunc in itinere, vsque ad mare. Ascendentes nauim prospero cursu peruenerunt Massiliam, ibique nauim relinquentes, Domino annuente Aquensem aggressi sunt Comitatum, vbi cunctis, verbi semina erogantes die noctúque prædicationibus, ieiuniis, & orationibus insistendo, vt populum ipsius regionis incredulum, fonte baptismatis innouatum ad agnitionem & cultum Dei omnipotentis perducerent. Rexit autem Aquensem Ecclesiam Beatus Maximinus confessor & Pontifex annis ferè quadraginta, verbo prædicationis inhærendo, dæmones pellendo, mortuos suscitando, cæcis lumen reddendo, claudis gressum restituendo, omniúmque infirmitatis langores curando. Tum de Magdalena ibidem. *Post passionem Domini lapsis aliquot annis, fugatis Apostolis, lapidato Stephano, Iudæi insurgentes contra Mariam, Martham & Lazarum fratrem, Marcellam Marthæ pedissequam, Cedonium, quem à Natiuitate Christus illuminarat, Maximinum vnum ex 72. discipulis Christi, & plures alios naui imposuerunt, sine gubernaculo, pelago exponentes, vt quàm citissimè submergerentur. Sed diuino nutu Massiliam incolumes peruenerunt, & de naui egressos cùm nullus hospitio reciperet, posuerunt se in quadam porticu templi Deorum illius regionis. Venientibus autem ad immolandum Idolis, Maria Magdalena cœpit Christum prædicare, & de cultu Deorum arguere. De cuius sapientia & eloquentia mirabantur omnes, vnde multi corporis speciem & linguæ facundiam admirantes conuersi sunt.*

6. M. S. aliud minus, item Aquense, ex publici Iuris monimentis scripto consignatis, in quarto, membrana, notæ non inferioris à maiori: simillimè vt mihi videtur, atque in supradictis, Magdalenæ nauigationem describit.

7. M. S. Arelatense, in quarto, pergameno, quod ex Latino codice antiquo & pene obsoleto Gallicè redditum, se in aspectum lucémque protulisse testatur Vincentius Philipponus, genere Auenionensis, Ciuis verò popularis ac municeps Arelatensis in instrumenti publici Tabulis, quibus ex officio subscripsit anno 1621. Recognoscemus tandem ac conferemus cum aliorum testimoniis, sequenti proximo capite 18. & aliis.

8. M. S. Narbonense & Breuiarium ad vsum sanctæ Narbonensis Ecclesiæ, vetusta etiam manu, historiam exhibet Magdalenæ, in qua dum agitur de reliquiarum eius translatione verba sequentia reperiuntur. *Quoniam diuinæ placuit miserationi, vt præsentia corporis B. Mariæ Magdalenæ Occidentalis plaga illustraretur, largiente Domino Saluatore aggrediemur exponere, qualiter eiusdem Dei dilectricis sanctissima gleba, ex Aquensi territorio*

K *Prouincia*

Prouinciæ ad locum, in quo hodie pia fidelium deuotio eam veneratur, à viris religiosis translata sit. De his c. sequenti 37. & 38.

9. M. S. Sanctæ Balmæ, in membrana, bonæ notæ; in folio, continet officium S. Magdalenæ, in cuius Ecclesiasticis lectionibus hæc sunt verba. *Cùm verò post missionem Spiritus Paracleti, crescente numero fidelium, cresceret infidelis crudelitas Iudæorum. Interim, vt eos multis modis affligerent per mare, sine velis, & aliis alimentis expulerunt. Beatus verò Maximinus cum Lazaro & aliis multis transfretantes regente Domino deuenerunt Massiliam. Postmodum cùm Aquensem ciuitatem cum adiacente Prouincia, verbis & miraculis conuertissent, B. Maria Magdalena soli Deo vacare cupiens, in quadam rupe excelsa, quatuordecim ferè milliaribus à Massilia, plus quàm triginta duobus annis hominibus ignota permansit.*

10. M. S. Sanctæ Domus regalis Beatæ Mariæ Magdalenæ in ciuitate regia S. Maximini, Ordinis Fratrum Prædicatorum, sine nomine autoris, in quo describitur miraculum gloriosæ Mariæ Magdalenæ de fundatione & constructione Conuentus S. Maximini, per inclytum Regem Carolum secundum, quamquam hîc excutere omnem eius dubitationem & obscuritatem mihimet radicitus noluerim. De his enim alius posterior tractandi locus.

Mirabilis & gloriosus Deus in Sanctis suis, maximè in gloriosa eius Apostola, & secretaria Beata Maria Magdalena, cui dimissa peccata plurima quia dilexit multum, *ac maxima dona gratiæ collata in vita & in morte famosæ peccatrici, sed pœnitenti, à Domino fuere* qui dat affluenter omnibus & non improperat. *Quis enim sanctæ peccatricis & Dominum nostrum Iesum Christum valde diligentis auxilium, & patrocinium implorauit, & ad eam deuotè confugit? qui non fuerit exauditus, & à quibuscumque angustiis citissimè liberatus, & profectò nunc planè rem equidem nouam & commendatione dignam ad Dei omnipotentis gloriam & sanctæ Mariæ Magdalenæ laudem ac singularem deuotionem referam, ac miraculum maximum pandam. Cùm enim anno* 1279. *Carolus secundus, Ierusalem & Siciliæ Rex inclytus, & Comes Prouinciæ, à Rege Aragonum captiuus, in bello nauali deuictus, Barchinoniæ in tristega ferrea sanctissimè teneretur, nec prece, nec pretio alio humano suffragio eius liberatio, & à tam diris vinculis absolutio speraretur, vigilia gloriosæ Mariæ Magdalenæ adueniente, à suo confessore Magistro Guillelmo de Tonay, sacræ Theologiæ Professore persuasus, diuina gratia spirante, quam summa inedia ac cordis deuotione & puritate, præmissa Sacramentali & saluberrima confessione, Rex ieiunauit. De loco vbi sacratissimum illud caput, videlicet Villa Lata (nunc Sanctus Maximinus) vocata, vt & de loco pœnitentiæ Balmæ, in sua Prouincia existente, & de translatione dicti sanctissimi corporis ad Ducatum Burgundiæ, memoratus Rex cum præfato Patre spirituali sermonem, & collationem longam habuit. De cuius meritis oppidò fretus, eo maximè quòd suam pœnitentiam in Comitatu Prouinciæ egerat, ac vitæ prædicationis exhortationi vacans fuerat: eidem se totum dedit atque deuouit, ex toto corde; & pura conscientia eius adiutorium & suffragium implorans. Tandem somno soporatus, media nocte, dum omnia silentium tenerent* piissima

piissima sancta Magdalena, suum deuotum, sua dulcissima praesentia consolans à somno illum excitans, & voce sonora & amoena alloquens, inquit: O deuote mi, quid à me petis aut quid à me tibi fieri exposcis? cui ille O clementissima, & suauissima Domina, cùm omni humana spe sim destitutus, & sub crudelissima custodia in hoc ergastulo carceris detentus, in te, sola mea est confidentia, O dulcis patrona, libera me; omnia enim apud Deum tibi possibilia sunt. Cui Beatissima Maria Magdalena, ait. Exaudita est oratio tua, surge velociter, & sequere me. Cui inclytus Rex: ô Domina veneranda, ora pro familia sub captiuitate constituta. Cui Magdalena. Preces tue sunt exaudita, & manum eius apprehendens ab ergastulo carceris, eum cum suis seruitoribus liberauit, atque absoluit. Et paulopòst gloriosa Magdalena, eumdem Regem interrogauit vbinam esset, & cùm arbitraretur adhuc Barchinonia in palatio esse, ait Sancta. Tu es prope Narbonam, ad tria milliaria, vbi requiescit corpus Beati Pauli Sergij, discipuli Beati Pauli Apostoli. Vnde Rex de sua suorúmque liberatione & restauratione exhilaratus, an à Beatissima Magdalena eum alloquente vel ab alia liberatus foret, certior fieri optans, vt sua patrona sanctissima dignas gratias ageret, sciscitatus fuit eamdem: An Beata Maria Magdalena esset? Qua respondit. Sum etenim & tuam liberationem à Domino nostro obtinui. Cui Rex immensas gratias egit, & his verbis dulcibus alloquutus fuit. O dulcissima Iesu Christi secretaria, & Apostola, qua mortalium prima, Christum à mortuis resurgentem videre meruisti. O exemplum pœnitentia, qua lachrymis crebris pedes eius lauisti, & capillis capitis tersisti. O dulcissima Domina, O spes mea vnica, O patrona Sanctissima, quas laudes tibi offeram? quid ad tui gloriam agam? sanè de tam innumeris beneficiis à te benignè acceptis condignas gratiarum actiones tibi referre, me imparem haud dubiè arbitror. Me tamen tibi totum dedo, atque deuoueo. Tunc sancta Magdalena ait. Hoc tibi impono, & à te exigo, quatenus credas & Pontifici ac populo Christiano significes, corpus meum, in Villa Lata, qua nunc Sanctus Maximinus appellatur, & non in Burgundia existere. Quod comperies in Ecclesia sancti Maximini, secus altare magnum, ad dexteram altaris in monumento, iuxta quod requiescunt, in eadem Ecclesia corpora sanctorum Maximini, Blasij, Sifredi, & Beatarum Marcella, & Susanna: corpus verò Beati Cedonij caci à natiuitate, loco mei, expulsis infidelibus à Prouincia, translatum fuit per Girardum Comitem Burgundia, ad Prouinciam Burgundia, opinantem corpus Cedonij, quod in meo monumento quiescebat, meum fore, & vt certior fias, corticem arboris reperies, & nunquam putrefiet, supra meum monumentum, & infra corticem scriptum Beati Maximini inuenies, huius tenoris. Requiescit hîc corpus Mariæ Magdalenæ. *Reperies etiam ossa mea carne destituta, nisi in illa parte capitis mei, vbi Dominus noster Iesus Christus tetigit me dicendo post suam resurrectionem.* Noli me tangere. *Etiam secus maxillam meam sinistram reperies, Amphoram paruam cristallinam, vbi est terra, madefacta sanguine Christi, quam collegi tempore Passionis sua, ob cuius memoriam iugiter mecum illam portaui: vbi etiam reperies pilos capitis mei in cinerem conuersos, prater illos, qui tetigerunt pedes sanctissimos Domini nostri Iesu Christi, quando lacrymis lacrymando & capillis capitis sui tergendo, remissionem peccatorum meorum*

rum obtinui. Pariter inuenies palmitem vitis, cum foliis viridibus ex ore meo procedentem. Hæc omnia nota populo Christiano Deus vult fieri, & in loco de Sancto Maximino fidelium deuotionem, vbi corpus meum quiescit, augeri & quia Ecclesia angusta est, cultus diuinus ibi minus decenter celebratur, Conuentum & Ecclesiam, ob mei reuerentiam, de Ordine Prædicatorum, cùm fuerim Apostola, construi & ædificari facies atque dotabis, & magnificabis cum antro de Balma, vbi meam peregi pœnitentiam. Quæ quidem Cœnobia regi & gubernari, per Fratres Ordinis Prædicatorum, amotis Monachis, Deus disposuit & ordinauit; illáque Cœnobia per Pontificem vniri, & Ordini Prædicatorum aggregari, ac festum meæ Translationis celebrari & solemnisari facies, officiúmque meum, per eosdem Fratres dicendum ordinari statues. Quibus per gloriosam Sanctam, Regi inclyto impositis & ordinatis, sancta Magdalena disparuit, eúmque plurimùm consolatum dimisit. Et Rex cum sua societate, aurora rutilante, præfatam ciuitatem Narbonensem nobilissimam vidit, à loco, vbi erat, duobus milliaribus distantem; vbi votum vouit se signum crucis in illo biuio, ad quod Beata Magdalena adduxerat eumdem Regem, & suos, erigere: quod & fecit, & vsque nunc vocatur, Crux de leuca. Et perueniente ad notitiam Domini Archiepiscopi Narbonensis & eius Cleri, & Clarissimi Vicecomitis Narbonensis & totius ciuitatis, processionaliter Regi obuiam venerunt, & infrà ciuitatem & palatium honorificè receperunt. Quibus seriosè rem gestam, & tam grande miraculum narrauit, atque in præfato palatio Capellam in honorem sanctæ Mariæ Magdalenæ ædificauit: Demum secum assumptis, Reuerendissimis Antistitibus Narbonensi, Arelatensi, Aquensi, & Episcopis Auenionensi, Massiliensi, Sistaricensi, ac plurimis aliis Prælatis, suóque confessore prænominato, ad cuius promotionem & excitationem, gloriosæ Mariæ Magdalenæ se deuouerat, ad Sanctum Maximinum concito gradu peruenerunt, & applicatis in loco, præmissis orationibus, & ieiuniis, pius Rex, cum Prælatis in dicto monumento & loco memorato, & Regi reuelato foderunt, & tandem sacratissimum Corpus Sanctæ Mariæ Magdalenæ cum signis præscriptis, compererunt, cum maxima odoris fragrantia. Vbi plurima signa & miracula maxima ad laudem & gloriam suæ Apostolæ & dilectæ Secretariæ Dominus ostendit & demonstrauit prout limpidiùs atque seriosiùs in Bulla sua reuelationis apparet, & sigilla Reuerendissimorum Pastorum ex commissione Pontificis præsentis edocent. Quomodo sacratissimo Corpore reuelato ac Summi Pontificis voto, & beneplacito eius habito, expulsis Monachis, à sancto Maximino, & sancta Balma, Fratres Prædicatores prædicationi Euangelicæ deditos, & Apostolorum vitam sectantes, Rex, sequendo diuinam voluntatem, à Beata Maria Magdalena sibi reuelatam, in dictis locis posuit, & Ordini Prædicatorum vniuit, & pro illis locis illa tempestate angustis, & tenuibus, dignam compensam Monachis sancti Victoris Massiliensibus & Monialibus Sancti Zachariæ, clementissimus Rex dedit: in Sancto autem Maximino Ecclesiam, miræ structuræ & sumptuosæ & regalis operæ, cum Conuentu incepit, & maiorem partem perfecit, vasáque aurea & argentea & alia ornamenta offerendo, Priori & Fratribus dicti Conuentus, & reditus & prouentus amplissimos, pro sustentatione Fratrum Prædicatorum, & complemento Eccle-

siæ,

siæ, & Conuentus super gabellam Niciæ, & in diuersis aliis locis Prouinciæ elargiendo, ac numerum Fratrum sub Priore viuentium de Ordine Prædicatorum instituendo, & ordinando, Summi Pontificis autoritate, quibus laudabiliter, sanctè, & religiosè primus præfuit Prior, memoratus Confessor, tanquam diuinitùs electus & præordinatus; Dicto Priori & fratribus præsentibus ac futuris ipse sanctus Rex imponens, quatenus officium sanctæ Magdalenæ per ipsum ordinatum, & per Summum Pontificem approbatum, tam in dormitorio, quàm in choro, noctè diéque deuotè & piè diceretur, ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, & honorem sanctæ Mariæ Magdalenæ, cuius meritis & precibus ad cælestia regna peruenire valeamus. Amen.

11. M.S. Celebrat Bzouius anno Christi 1283. & 1370. charactere vetusto, ex quo historiam & dialogum suum exceptserit Syluester Prierius. Narrabat ea omnia Syluester Prierius Dominicanus, ex libello quem à Fratre Petro Veronensi, Priore Britiano, & à Fratre Ioanne Fabrianensi, diuini verbi præcone, & ij duo à Fratre Honorio Florentino acceperant; hunc verò quidam Mercator Tuscus, qui ad visitandum antrum D. Magdalenæ venerat, metro conscripserat.

12. M.S. Auenionense, è celeberrimo Fratrum Prædicatorum Monasterio, membranaceum, in folio, vetusta manu, quippe characteribus capitalibus inscriptus, ante annos prope quadraginta supra trecentos, autore Bernardo Guidonis, Episcopo Lodouense Ordinis Prædicatorum, quem meritò, testem omni exceptione maiorem appello; tum quia Tolosæ, officio Inquisitoris fungebatur in Albigenses, cùm ista præscriberet, cuius officij est, non modò acutè arguteque scrutari omnia falsa, sed etiam colligere argumenta Causarum, atque in iudiciis, veritatem diligenter expendere atque æstimare: tum quia nihil dixit pro testimonio, nisi quod Berengarij Magistri Generalis Ordinis sui, quo iubente opus inchoarat, vel oculis notum: aut Ioannis Papæ 22. cuius auspiciis ac nomini iam perfectum inscripserat, approbatione testatum ac firmatum habuerit. Id adeo ipsemet legi, quod in fronte codicis, Ioannes 22. & Manuscripti autor, reciproca gratulatione sibi præfantur. *Sanctissimo in Christo Patri Domino Ioanni diuina prouidente Clementia, sanctæ Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Frater Bernardus Dei & Apostolicæ sanctitatis gratia, Ecclesiæ Lodouensis Minister humillimus, se ipsum modicum id quod est, ad deuota pedum oscula cum obsequio debitæ seruitutis.*

Primitias laboris, dudum mihi impositi & iniuncti per vniuersalem Patrem Dominum Berengarium tunc Magistrum Ordinis Fratrum Prædicatorum, nunc verò, diuina gratia, Archiepiscopum Compostellanum, opus Speculi sanctoralis, iure vobis offero, tanquam Summo Principi Sacerdotum; post priores tres, nunc quartæ eius operis adiicio corrigendam, & elimandam tam lima vestri excellentis ingenij, quàm libra iudicij eminentis, sciens quia quidquid probaueritis in ea boni, erit melius; & quod correxeritis, erit rectius. Suscipiat itaque obsecro benedicta Sanctitatis Vestræ manus, hanc quartam partem eiusdem Speculi sanctoralis, prout in Præfatione sequente totius operis describitur, quasi manipulum quartum de

de Confessorum violis, & Virginum liliis candidatum.

Quibus hanc, perquàm breuiter scripto gratiam reponit Pontifex. *Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili Fratri Bernardo Episcopo Lodouensi salutem & Apostolicam Benedictionem. Librum intitulatum, quartam partem Speculi sanctoralis, quem nobis tua fraternitas destinauit, animo lato suscipimus, sollicitudinis studium, laboriosis vigiliis adhibitum, in opere dicti libri, plurimùm in Domino commendantes, & tam de isto opere, quàm de aliis tribus partibus prioribus, eiusdem Speculi, per te similiter nobis missis, eidem fraternitati tua gratiarum actiones vberes exoluentes. Datum Auenione* IIX. *Calendas Augusti Pontificatus nostri anno tertio decimo, Dominica verò Incarnationis* 1329. Tum in aditu operis ad Lectorem. *Impulit quoque me ad hoc ipsum obedientia meritum, & astrinxit autoritas superioris mei Pralati, Magistri Ordinis Pradicatorum Reuerendi in Christo Patris, Fratris Berengarij, qui dum adhuc in Ordine Magisterio fungeretur; à quo deinceps in Compostellanum Archiepiscopum est assumptus viua vocis oraculo, id ipsum mihi imposuit & iniunxit: absens quoque cohortatus est me sapius, literis iteratis.*

De Magdalena igitur scribit in hunc modum. *Hac persequutionis procella sauiente dispersi sunt discipuli per diuersas regiones ac Prouincias scilicet à Domino delegatas, verbum salutis gentibus pradicando: erat autem tunc temporis cum Apostolis, Beatus Maximinus, vnus ex* 72. *Domini discipulis, vir vniuersa morum honestate conspicuus, doctrina pariter & miraculorum virtute praclarus, huius religioni & beatitudinis contubernio Beata Maria Magdalena se contulit cui à Beato Petro Apostolo commendata fuerat: in hac quoque dispersione, B. Maximinus, Lazarus, & Maria Magdalena & Martha sorores Lazari, & Marcella ancilla Martha, & Cedonius cacus natus, qui à Christo fuerat illuminatus, & plures alij cum eis nauem ascendentes, prospero cursu diuina prouidentia gubernante, ad ciuitatem Massilia peruenerunt.* Vixit Bernardus Guidonis anno 1300.

13. M.S. Auenionense aliud vidi, cuius titulus hic est, *Incipit gloriosissima Martha, Christi hospita vita, à B. Marcella eius famula, & filiola in Hebrao prius edita & postea in Latinum sermonem de Hebrao translata.* Quam Mombritius refert, tomo 2. & Petrus Equilinus breui compendio, in Catalogo. Sed reuera magis recentiorem aliquem prę se ferre scriptorem existimat Baronius: licèt, inquit, multa contineat quæ non tantùm scriptis, sed & traditione firmentur, quo in genere ista censet, vt suprà vidimus, quæ de traiectione Magdalenæ simul & eiusdem Marthæ in Gallias narrantur ibidem.

Equil. lib. 6. c. 151.

Bar. in annot. Martyrol. 29. Iulij.

Beato Maximino Aquensi Antistiti, & castissimo viro, qui fuit vnus ex 72. *discipuli, sicut Dominus gloriosam matrem suam S. Ioanni Euangelista, sic Beatam Martham & sororem suam Mariam Magdalenam Spiritus S. sociauit; vt qui olim baptisauerat, ita bona conuersationis exemplo ad regnum Cœlorum eas perduceret. Qui nanim ingressi cum multis aliis prospero cursu, ad portum Massilia Domino ducente peruenerunt. Tunc territorium Aquense adeunt, & ieiu-*

niis

niis & precibus insistentes, populum incredulum signis & prædicationibus ad Christi fidem conuertunt.

14. M.S.Tolosanum è celeberrimo item Fratrum Prædicatorum Cœnobio, conuenit optimè Sanmaximinensi, in recensenda fundatione Conuentus eiusdem Sanmaximinensis vt aiunt.

15. Iam de Breuiariis, in quibus eadem, quæ in supradictis codicibus de Magdalena nostra leguntur, non omnia dicit, & leuiter tangit aliqua Robertus in Gallia Christiana, vbi de S. Lazaro Massiliensi Episcopo. *S. Lazarus, de quo Martyrologium 17. Decembris & ibidem Baronius, & Galesinus, & quædam Breuiaria Galliæ, vt Bituricense & Genebrardus in Calendario Romano, & alia quædam Cal. Septembris, vt Æduense, Lingonense, Cabilonense.*

Franciscus Biuarius Commentariis in Lucij Dextri Chronicon. Adstipulantur his, inquit quæ à Dextro de Magdalenæ appulsu Massiliam, referunt, antiqui Manuscripti codices, veteráque Hispaniæ Breuiaria, è quibus legi Asturicense, & Palentinum.

16. Pauca ipse in manu teneo, quæ sic habent. Massiliense in solemnitate S. Lazari Episcopi Massiliensis & Martyris. Celebratur die 31. Augusti, in octaua eiusdem solemnitatis, & Breuiarium secundum vsum Ecclesiæ sancti Victoris Massiliensis, in Sanctorali proprio. Die 29. Iulij in quo de aduentu Magdalenæ sententiarum totidem genera sunt, quot in priori leguntur esse laudum.

Beatissima igitur venerabilis hospita Christi Martha, pago Hierosolymitano, oppido Bethanico, egregiis Heroibus Syro patre, Eucharia matre, regalis prosapia extitit oriunda. Eius vterini fuere Beata Maria Magdalena, & Lazarus quem ab Orco & busto suscitauit eorum vetus hospes & suscitator omnium seculorum Christus. Hæc itaque à B. Petro Apostolo, Beato Maximino Aquensi Antistiti, qui fuit vnus ex septuaginta discipulis, commendata, cum prædictis vterinis suis, & multis aliis, persequutionis tempore nauem ascendentes, cursu prospero, ad portum Massiliæ peruenerunt. Tunc Aquense territorium adeunt, ieiuniis & precibus instantes, populum incredulum, miraculorum signis, & prædicationibus continuis ad fidem Christi conuerterunt.

17. Arelatense non admodum dispar superiorum atque dissimile ait.

Ex mulieribus, quæ Christum egregia pietate coluisse in historia Euangelica referuntur, Maria Magdalena in primis celebratur, de qua tamen non parua est doctissimorum & grauissimorum virorum controuersia, quibusdam res aliquas gestas, de quibus est in Euangelio, ad vnam mulierem referentibus aliis ad plures. Vt vtcunque sit, traditum est à maioribus, Mariam Magdalenam, Lazari Marthaque sororem cum ipsis & Maximino, aliisque sanctis hominibus, post Christi Ascensionem, naui, quæ sine velis & remis fuerant à Iudæis, vt naufragio perirent, impositi, ope diuina Massiliam tandem applicuisse, eamdémque potissimum Massiliensibus & vicinis populis Euangelium prædicasse & plerisque ad fidem Christi conuersis, in præaltum montem secessisse, ibique solitariam vitam multos

multos annos transegisse, in frequenti tamen Angelorum consuetudine, à quibus iam moritura in Ecclesiam vrbis Aquensis, cuius erat Episcopus sanctus Maximinus, deportata fuerit; vbi accepta Eucharistia migrauerit ad Dominum. XI. Cal. Augusti.

19. Aptense Die 22. Iulij in 1. lectione, & sequentibus vsque ad sextam, tam primi quàm secundi nocturni.

Licèt à plerisque relationis series prolixiori materia stylo sit mandata. Qualiter Maria Magdalena, diuina ordinante clementia, cum sancto Maximino mare transierit, & in Aquensem Regni Prouinciæ regionem peruenerit, veluti in ipsius sancti Præsulis vita diggestum in promptu habetur: tamen hanc nostræ paruitatis schedam edere curauimus, vt ad quorum notitiam maiora non peruenerunt, saltem veritatis indaginem quærentibus hac nosse sufficiat. Post Dominica igitur resurrectionis gloriam, Ascensionisque triumphum, ac Spiritus Paracleti de supernis missionem qui discipulorum corda, temporalis pœnæ adhuc formidine trepidantia repleuit, scientiam omnium linguarum tribuendo, erant omnes sedentes simul, cum mulieribus & Matre Iesu (vt Lucas narrat Euangelista) & verbum Dei disseminabatur, crescebátque numerus credentium Deo, vt multa millia, per prædicationem Apostolorum, verbo fidei obedirent, suarum rerum contemptores effecti. Nullus enim inter eos proprium habebat; sed erant illis omnia communia, habentes cor vnum & animam vnam. Inuidia ergo facibus accensi Sacerdotes Iudæorum, cum Pharisæis & Scribis, concitauerunt persequutionem in Ecclesia, interficiendo Prothomartyrem Stephanum, & ferè à finibus suis Christi testes omnes procul pellendo. Hac igitur persequutionis procella sæuiente dispersi credentes, petierunt diuersa regna terrarum à Domino sibi delegata, verbum salutis Gentibus propinando. Erat autem tunc temporis Beatus Maximinus, cum Apostolis, vnus ex septuaginta duobus discipulis, vir vniuersa morum probitate conspicuus, doctrina pariter, miraculorum virtute præclarus. Huius religionis sanctitudini Beata Maria Magdalena se contulit, Beatitudinis contubernio illi coniuncta, veluti Beata semper Virgo Maria sancto Euangelistæ Ioanni, vtpote à Domino ipsi commissa. Quapropter in præfata dispersione Beata Maria Magdalena illi sociata, iter vsque ad mare deduxerunt, ascendentésque nauim prospero cursu peruenerunt Massiliam. Ibique vegetationes nauis relinquentes, Domino annuente Aquensem ingressi sunt Comitatum, diuini verbi semina cunctis largiter erogantes, die noctúque prædicationibus, ieiuniis, & orationibus insistendo, vt populum ipsius regionis incredulum, nondúmque fonte baptismatis innouatum ad agnitionem & cultum omnipotentis Dei perducerent. Rexit Aquensem Ecclesiam Beatus Maximinus confessor Pontifex diebus multis, verbo prædicationis inhærendo, dæmones pellendo, mortuos suscitando, cæcis lumen reddendo, claudis gressum restituendo, omnium infirmitatum langores curando.

20. Tricastrense totidem verbis transfert, easdem lectiones à superiori, quamquam alio ordine, his enim, tertiam lectionem ex Euangelio, septimam ex homilia S. Gregorij Papæ, intermedias interiicit. Nonam verò istam addit, atque affert, de suo. *Sed Antequam B. Maria Magdalena carnis ergastulo solueretur, vidit Christum, cui se omni deuotionis studio mancipauerat*

mancipauerat, ad Cœlestis regni gloriam se misericorditer vocantem, vt cui temporaliter interdiu in figura nostri corporis apparenti, subsidium fideliter ministrauerat, ab ipso cœlestis vita pabulum sine fine gratulabunda perciperet.

21 Non prætermitto aliud bona fide citare, quod Auenione aliàs reperi chartaceum, & Manuscriptum, vetustissimæ notæ, in quarto, tacito licèt Ecclesiæ nomine. Cùm libellus, & pars Breuiarij potius, seu Lectionarium, vt vocant, quàm vniuersum Breuiarij opus ipsum esset: de appulsu in Prouinciam Phocensem Sanctarum Mariæ Iacobi, & Salomæ sic ait.

Igitur post mortem sanctissimi Stephani, miseri Iudai commoti inuidia, vnde debuerant melius proficere ad salutem, videntes Christi populum Deo fauente, crescentem, & exultantem, & protectum diuino auxilio, miraculis coruscantem præsumere non sunt ausi, in eius necem manus iniicere violentas, timentes ne ob intentatam Sanctorum necem miracula acciderent quæ facta fuerant in transitu S. Stephani, ex quibus eorum plures Iudai in Dominum Iesum Christum crediderunt. Sed inito consilio, eas cum quibusdam Christi discipulis in quadam rate in mari sine remige & gubernatore posuerunt. Attamen Dominus Iesus Christus qui vniuersorum est gubernator, & præsto est in se sperantibus, ipsas direxit & ad littus vsque perduxit. Exeuntes autem de mari intrauerunt terram, quæ antiquitus Sthœcados dicebatur, nunc autem Camarquia nuncupatur. Ibique attendentes locum fore idoneum orationi & contemplationi hunc elegerunt ista SS. Mulieres. Discipuli verò quibus per Christum preceptum fuerat, vt irent per vniuersum mundum prædicare Euangelium, istas sanctas, sub his verbis reuerendissimè alloquuntur. O Christi amica deuota, ecce hic locus aptus est pro vobis, si placet vobis ædificabimus oratorium hic in quo possitis laudes extollere creatori, nos autem vt à Deo preceptum habemus prædicationi & gentium conuersioni insistemus. Placuit his sororibus, vt fieret iuxta pium discipulorũ conceptum. Ædificato igitur paruo oratorio, construxerunt in eo altare, in cuius quoque cornu caput vnius Christi Martyris sub terra posuerunt, in modum crucis, caput B. Iacobi Minoris quod secum tulerant, in medio sub altare deuotissimè aptauerunt.

21. Ex Narbonensi, hoc legi Auenione Manuscriptum exceptum, in festo S. Pauli Sergij Narbonensis Episcopi. *Consecrauit autem hic vir Domini Paulus cum sanctis Præsulibus Maximino Aquensi, Trophimo Arelatensi, Saturnino Tholosano, Frontone Petragoricensi, Martiali Lemouicensi, Eutropio Sanctonensi, duo Cœmeteria illis temporibus valde præcipua; vnum apud Arelatem in Alescampis & apud Burdegalam.* Quibus consonat in officio Translationis S. Trophimi, Sanctorale proprium Arelatense.

Auenionense in officio S. Agricoli Auenionensis Episcopi, Cauallicense in officio S. Verani Lectione 4. Nemausense in festis Sanctarum Marthæ, & Magdalenæ etsi de appulsu coloniæ illius Hebrææ in Gallias non omnia dicunt, tamen leuiter vnumquodque tangunt. Aquense & Tarasconense dedimus in tabulis superioribus MM. SS. hæc enim omnia ex eodem fonte fluxerunt.

22. Extat Breuiarium Romanum Lugduni impressum anno 1518. autore

L tore

tore Fratre Francisco Quignone Ordinis Minorum, Hispano, Protectore Ordinis Minorum, & Presbytero Cardinale, titulo sanctæ Crucis in Hierusalem, S. Pancratij, mox S. Praxedis, & demum Episcopo Prænestino, à quo dum Generalis Ministri officio fungeretur, compositum registrum recitat VVadingus in Annalibus Minorum, vbi Cardinalis sanctissimi ac religiosissimi vitam fusè disertéque scriptam accipies. Hæc, inter Matutini lectiones, assignantur decantanda in officio S. Magdalenæ. *Ex mulieribus*, & cætera, quæ suprà iam excerpsimus ex Breuiario Arelatensi. Damnat porrò Pius quintus nouam huius Breuiarij constitutionem audaciæ, ac temeritatis coarguit magis, quàm falsæ vllius opinionis ac mendacij, vt colligere licet ex verbis Bullæ, cap. superiori 15. citatæ.

23. Idem istud, in pluribus aliis perantiquis Italiæ Breuiariis vulgatum haberi apertè indicant, Pontifices ibidem, cùm aiunt in confectione Breuiarij Romani, quod approbant, illos ipsos, qui negotio præpositi fuerant, *ab antiquis Breuiariis, nobilium Vrbis Ecclesiarum ac Vaticanæ Bibliotheca non discessisse, grauésque aliquot eo in genere scriptores sequutos esse.*

CAPVT XVII.

Historici, & interpretes sacri.

1. QVoniam res gestæ Maximini, Lazari, Marthæ, atque aliorum è municipio illo atque colonia exulum Hebræorum, propter communem nauigationem intextæ habentur, cum actis Magdalenæ, vt animaduertit Baronius, in Annotationibus ad Martyrologium. Qui Galliam Lazaro aliisque stabilem sedem & domicilium præbuisse affirmant, non possunt ab iis Magdalenam seiungere, cum quibus eam, non modò cognationis vincula, sed etiam omnia summa necessitudinis ac pietatis officia coniunxerint. Neque vlla in historiis fingitur aut fingi potest, præter nauigationem alia via, qua è Palæstina in Galliam singuli transmiserint. Certè enim de aduentu Lazari aliorúmque, id genus argumenta quæ in decursu capitis identidem proferemus, ad faciendam fidem pro illorum aduentu, ea similiter ad firmandum Magdalenæ aduentum, rationem coniecturámque facilè reuocabunt.

Bar. in Marty. 8. Iunij & 17. Decemb.

2. S. Cæsarius ex Monacho Lerinensi, ad nobilissimæ totius Galliæ, Ecclesiæ Arelatensis administrationem euectus, ob eximiam claritudinem, tam ex doctrina quàm ex vitæ sanctitate comparatam, cui, vt testatur Baronius nec profuere latebræ sepulchrales quin inde traheretur inuitus ad regimem Episcopatus: subrogatus nimirum in locum Leontij, qui sederat post Eonium, Rauennio Hilarij successori substitutum. Floruit hic,

eo

eo tempore, quo & Faustus Anastasio rempublicam gubernante, anno salutis 502. Extant res eius præclarè gestæ, ab ipsius discipulo Cypriano, scriptæ, ad S. Cæsariam illius sororem, Virginem Deo dicatam: quam idem Cæsarius primùm in Massiliensi Monasterio excoli voluit Monasticis institutis; inde verò Arelatensi à se constructo, præfecit Monasterio Virginum, & ad eam etiam, reliquúmque Clerum Ecclesiæ Arelatensis, conscriptum reperitur, per modum Epistolæ, ipsius Cæsarij testamentum, in quo perquàm breuiter perstrinxit, atque attigit Magdalenæ ac sociorum nauigationem & appulsum in oras Prouinciæ maritimas, his verbis.

Agellum igitur Ancharianum, vnde paruam particulam Monasterio dedimus, multa seruamus cura, nam plus minus centum Aripennes vineæ, & trecentorum modiorum campos reseruauimus. Ita quod supradictum Monasterium tantùm modiatas, de terra, quam ego plantaui habeat modiatas quadraginta, & de vetere vinea, vix triginta Aripennes contulimus. Et infrà *Agellum Ornedum & Agellum Martinatis, & Agellum Syluanum, (in quo est sita Ecclesia sancta Maria de Ratis) & Agellum Mitiamanum, cum omnibus sibi pertinentibus pascuis, & paludibus, cum omni iure & termino suo, sancta Ecclesia tua reseruauimus in stipendiis earum.*

Ecclesia S. Mariæ *de Ratis*, dicitur, à rate seu naui, qua delecti è Iudæa viri, vecti vnà cum Magdalena & Maximino, primùm ad ostia secundi ac interioris aluei Rhodanini, in territorio Arelatensi, ac deinceps Massiliam penetrarunt; Indicat atque innuit Eisingrenius mox allegandus. Hinc Arelatæ celebritas indicta Mariæ Iacobi, & Salomæ, eadem nauigatione ad illud ostium appulsis, de quibus meminit Andreas de Saussay vir clarissimus in supplemento Martyrologij ad 3. Nonas Decembris.

Arelata reuelatio sanctarum Mariæ Iacobi, & Salomæ, in puellari Monasterio sancti Petri Montis maioris quiescentium, vbi agitur speciale festum sanctæ Mariæ Salomæ die 22. Octobris cum octaua, & sanctæ Mariæ Iacobi die 25. Maij. Propria verò festi vtriusque celebritas ibidem fit magna cum solemnitate. Easdem verò colit ambas beatas, Burdigalensis Ecclesia sub ritu duplici, die 25. Maij.

3. Flauius Lucius Dexter in Chronico, quod dedicat S. Hieronymo, fuit enim ipsi coæuus, vt ipse Hieronymus testatur in catalogo. *Dexter Paciani filius, clarus apud sæculum, & Christi fidei deditus, fertur ad me omnimodam historiam texuisse, necdum legi.* De Magdalena scribit in hunc modum anno Christi 48.

Hierosolymitani Iudæi vehementer infensi Beato Lazaro, Magdalenæ, Marthæ, Marcellæ, Maximino, Iosepho ab Arimathia nobili Decurioni, & aliis plurimis, naui sine remigio velísque ac sine gubernatore eos *imponunt, & exulare mandant, qui per vastum mare diuinitus delati ad Massiliensem portum incolumes appellunt.*

De obitus tempore ostendit equidem paulò post, quis sit eius sensus. *Anno Christi 88. Maria Magdalena miraculis clara, mirificè diuinis laudibus,*

contemplationique dedita, in Gallias migrat. Recentissima exemplaria, quæque sunt correcta, & emendata maximè, legunt. *In Galliis migrat.* Quamquam in ratione temporis, paulo tardius migrationem hanc retulisse suprà demonstrauimus. Ex his tamen acutè argutéque coniicere licet, qua de re dubitare nemo possit, iam tum afflasse rumoris auram, de Massiliensi aduena Magdalena, quam studiosè Dexter exciperet, & ad Hieronymum, non linguæ solùm, verùm etiam animi ac virtutis Magistrum suum referret. Cuius sententiæ fautorem eumdem Hieronymum, non inconsultè ac temerè dixerim, quoniam in Catalogo quem deinceps, perlecto Dextri Chronico eidem inscripsit, non modò ipso tacente nihil eorum qui ità putarunt refellitur; sed fidei & historiæ Ecclesiasticæ autores ad cœlum laudibus extollit & ab æmulorum calumniis diligentissimè tuetur, atque defendit.

Hortaris, Dexter, vt Tranquillum sequens, Ecclesiasticos scriptores in ordinem digeram, & quod ille in enumerandis Gentilium literarum viris illustribus, ego in nostris faciam, id est, vt à Passione Christi, vsque ad decimum quartum Theodosij Imperatoris annum, omnes qui de Scripturis sanctis memoria aliquid prodiderunt, tibi breuiter exponam.

Tum infrà. *Discant ergo Celsus, Porphyrius, Iulianus, rabidi aduersus Christum canes, discant eorum sectatores qui putant Ecclesiam nullos Philosophos, & eloquentes, nullos habuisse Doctores, quanti & quales viri eam fundauerint, extruxerint, & ornauerint, & desinant fidem nostram rustica tantùm simplicitatis arguere, suámque potius imperitiam agnoscant.*

Cæterùm recentiorum numerosam cateruam autorum, qui Dextri Chronicon recognoscunt, & argumenta fortissima, quæ omnimodam hanc Historiam, germanum, & non suppositítium, vt aliqui comminiscuntur, Dextri fœtum esse conuincant, ex consulto prætermitto. Ne tædium lectoribus afferam, & vt ex Apologiæ quam Biuarius edidit, vberrimis fontibus potius hauriat, qui satiari abundantiùs in hoc doctrinæ genere, & quasi diuturnam sitim explere cupiat.

4. Iulianus Petri, de quo antiquitatis collector studiosus, ex Bibliotheca Oliuarensi, edito opere, Lutetiæ Parisiorum apud Laurentium Sonnium anno 1628. Iulianus, inquam, Petri Archypresbiter S. Iustæ, è nobilium Equitum Barrosorum Muzarabum familia oriundus, qui Domino Bernardo Archiepiscopo Toletano, fuit à secretis, & floruit ætate Regis Adefonsi VI. acerrimi vrbis Toleti debellatoris, hoc est anno Christi 1100. Autor certè non contemnendus, variarum linguarum notione instructus, multorum voluminum antiqua lectione doctus, ætate proficiens & prouectus. Chronicum composuit, in quo non minus eruditè quam succinctè sanctorum Martyrum Hispaniæ, tam sui æui, quàm diu anteacti gesta memorat notatu digna, vsque adeo tamen situ obruta, vel iniuria temporum pene abolita fide recenset. Opus sanè omnigenum, ab omnibus magnopere expetitum, laudatum à multis, & à fulgenti totius orbis lumine, Domino Antonio Augustino Tarraconensi quondam Præsule, pretio habitum

tum, cui exſcriptum exemplar miſit Abbas Abis ex ipſius Iuliani Autographo, quod ea tempeſtate Ticini aſſeruabatur teſte Franciſco Portacarrero è Societate Ieſu Presbytero, in libello, Hiſpano idiomate ſcripto, de deſcenſu Deiparæ Virginis ad ſanctam Toletanam Eccleſiam, quamuis Doctor Salazar de Mendoza, in Monachorum S. Benedicti Fuldenſi apud Germanos Bibliotheca hodie extare teſtatur. Huiuſmodi aliud habuit Hieronymus De la Higuera è Societate Ieſu religioſus, quem in hoc chronicum commentaria ſcripſiſſe legi, vti additiones concinuaſſe Fratrem Ægidium Zamorenſem è D. Franciſci familia alumnum hiſtoriographum illuſtrem, tempore & iuſſu Regis Ferdinandi III. ſancti apud omnes nuncupari.

In illo igitur chronico ſuo, Iulianus de Magdalena Maſſilienſi aduena ad annum Chriſti 254. *Hoc anno reperta ſunt corpora S. Mariæ Magdalenæ Maximini, & Marcellæ Virginis in vrbe Aquenſi Galliæ, quæ Marcella S. Marthæ pediſſequa anno 94. prædicauerat per decennium in ciuitatibus illorum cuius corpus ex Illyrico Aquas aduectum eſt.* Quæ poſtrema verba emendanda eſſe liquidò conſtabit ex huius hiſtoriæ noſtræ decurſu.

5. Sigebertus Monachus Gemblacenſis in ſuis Chronographicis ab anno Chriſti 381. vſque ad annum 1113. vna mente conſentit, & conſpirat nobiſcum, niſi quod, de tranſlatione Magdalenæ reliquiarum, ad oppidum Burgundiæ Viceliacum, quæ ſubiicit, æquè atque fictam, & commentitiam fabulam refellimus. *Perſequutione*, inquit, *poſt lapidationem Stephani Prothomartyris mota, Maximinus vnus de ſeptuaginta duobus diſcipulis ad Gallias tranſiens, Mariam Magdalenam ſecum adduxit, & eam apud Aquenſem vrbem, cui præſidebat, ſepeliuit defunctam. Aquenſi verò vrbe à Sarracenis deſolatâ, corpus eius à Gerardo comite Burgundiæ, ad cœnobium Viceliacum à ſe conſtructum transfertur.*

6. In hoc etiam ſibi conſtat, & ſuperioribus aſſentit iudiciis S. Hegeſippus ex Iudæo Chriſtianus factus, Theologorum erudititiſſimus, ac ſcriptor celeberrimus, qui vicinus Apoſtolicorum temporum, (floruit enim anno Chriſti 167. Aniceto Papa, qui decimus poſt Petrum Epiſcopus numeratur) omnes à Paſſione Domini vſque ad ſuam ætatem Eccleſiaſticorum actuum texens hiſtorias, multáque alia ad vtilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros compoſuit, ſermone ſimplici, vt quorum vitam ſectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem. Sed & idem, apud Euſebium, & Hieronymum, Apoſtolicas traditiones quinque libris comprehendit, quæ tamen modò non extant. Plura de eo Frecnlphus Epiſcopus Lexouienſis, in Chronico. Planè & apertè loquitur de Magdalenæ, in portum Maſſilienſem, ex longa nauigatione, appulſu. Recitat è verbo ad verbum Bergomenſis, quem appellat etiam Eiſingrenius centenario primo. De cultoribus Monaſticæ Philoſophiæ Aquenſibus, parte 3. diſtinctione 6. anno Chriſti 35.

Euſ. lib. 4. hiſt. c. 8. Hiero. de Script. Eccleſiaſt.

Bergomenſis l. 8.

7. Magnum Chronicum Belgicum quod recens in lucem editum inſcribitur. *Rerum Germanicarum veteres, nunc primùm publicati ſcriptores ſex,*

ex magno Chronico Belgico, de inuentione reliquiarum Magdalenæ Sanmaximini multa commemorat de quibus nos sequenti cap.38.

8. Anno Christi circiter nonagesimo supra quadringentesimum, Marthæ sacras reliquias, iam regnante Clodouæo inclytas & religioni habitas extitisse in Gallia, tradit Molanus in notationibus super Martyrologium, ad 4. Calendas Augusti, vbi autore Gaguineo de Francorum gestis, refert Clodouæum ad sepulchrum Marthæ sanatum. Et Baronius ibidem. *Ad eius sepulchrum in Gallia Regem Clodouæum curatum, & incolumitati restitutum, aliaque complura miracula ibi fieri solita, eadem acta testantur.* Meminit præterea Claudius à Rota, *in legenda sanctorum, capite de B. Martha*, & Vincentius Bellouancensis. Rem verò accuratè magis, & copiosiùs describit Anonymus in vetere Manuscripto, quod Auenione me reperisse ac perlegisse iam monui. Ibi enim de Clodouæi Regis curatione ad sepulchrum S. Marthæ Tarasconense, ista leguntur.

Gaguin. lib.3.

Bellou. lib.9. c.107.

Quot, vel quantæ multitudinis languentium nobilium & ignobilium, claudorum, surdorum, lunaticorum, dæmoniacorum, & omnium morborum generum, ad eius Mausoleum, tunc & post aduenientes petita accipiebant, nullus est qui enarrare queat. Res mira, quidquid petit, accipit omnis, inter quos Clodouæus qui primus Rex Theutonicorum vel Allemanorum extitit Christianus, baptisatus à Beato Remigio Archiepiscopo, & dictus est Ludouicus. Auditis Diuæ hospitæ Christi rumoribus, grauem morbum passus, ad locum eius venit, mox vt sacrum eius tumulum tetigit, sanitatem illius morbi, à quo olim nullam poterat inuenire medelam, se recepisse lætatus est. Quapropter Beatæ Marthæ & loco eius, annuli sui chirographo, trium milliariorum spatio in giro ex vtraque parte Rhodani, terram, & villas & castra dedit; & fecit locum illum & Ecclesiam liberam, scribens ne alicui potestati laicæ quandoque subderetur.

Tum infrà. *De cætero est vnum quid, quod non est bonum reticeri: tempore namque eius & citra, si quis furtum vel raptum vel falsum iudicium vel falsum iusiurandum, vel adulterium vel aliquam insaniam in loco eius fecit, vel res eiusdem loci fraudauit, tempore breui, diuina vltio quoquo modo vindicauit. Quod si postea non contigit fieri, idcirco non contigit, quoniam diuina dextera vindictam suam, quod peius est, reseruat eis in futuro. Quia nec bonum irremuneratum, nec malum impunitum erit ante Dei vultum, nil pertransibit inultum. Paueant ergo habitantes in illo loco.*

9. Anno 840. Hamularius Fortunatus Archiepiscopus Treuerensis, Germanus Monachus Luxouiensis S.R.E. Cardinalis Græcè ac Latinè disertus, floruit tempore Ludouici Pij Imperatoris, ad quem libellum primò scripsit, de officiis Ecclesiasticis, postea de eodem argumento iterum tractaturus, ordinem & caussas eorum, quatuor libris planiùs digessit; atque adeo composuit de Missæ Mysteriis librum, vt testatur Sigebertus de viris illustribus. Habet hunc locupletissimum autorem, ex iis quos lectitasse, & sequi se ait Eisingrenius mox citandus, qui dicant Lazarũ Massiliam appulisse cum Magd. ibique primùm ordinatũ fuisse Episcopum.

Eisingrenius cētenario par. 1. dist. 1. de Sũmis Pont. ann. Christi 840.

10. Michaël Glycas quemadmodum Cedrenus & Curopolates Græcam

Græcam suorum temporum historiam texuit : quia verò habet, quæ ad Ecclesiæ eius temporis statum aliquo modo pertinent, hoc eum ponimus loco, etsi non tanto habendus sit in pretio, quoniam Schismaticis sui æui adhærens. Refert in 3. parte suorum Annalium, Medicum nòn solum nobilem, sed etiam notum, ex Pergamo Asiæ vrbe Galenum, accepto nuntio insperati Mariæ Magdalenæ ad Prouinciam appulsus, vt ab illa, de miraculis, quæ patrata à Christo dicebantur pleniùs instrueretur, & quod animo firmiter inhærebat, de cæci nati curatione, dubium solueretur. Quod nimirum miraculum, ei parum verisimile videbatur, intellectis omnibus quæ ad rei gestæ veritatem spectabant, & præsertim, quod Christus non alio quam luti aut saliuæ præsidio illud perpetrasset; cùm id antea metallorum virtute vel alia vi naturali factum credidisset, perniciosissimam hanc in figura Galeni conclusionem elicuit, aut miraculum huiusmodi inter fabulas esse referendum, aut certè maximam Christi fuisse cum Cacodæmone consuetudinem. Quæ etsi plerique omnes, à veris reiicere, atque aspernari videantur, tamen iam audiuisse Glycam communi fama, & sermone apud Græcos, de Magdalenæ Massiliam appulsu, planè & perspicuè ostendunt, & traditionis nostræ antiquæ signa patefaciunt. Quod verò ex his colligunt aduersarij, quadraginta ferè supra centum ætatis annos Beatæ Mariæ Magdalenæ tribui oportere, non liquet tanto ipsos temporum interuallo, vt aduersarij opinantur inter se dissentire, cùm floruerit Galenus Traiano regnante, hoc est Christi anno 99. & vixisse dicatur annos quadraginta circiter supra centum, ad vsque Antonini Pij tempora, & Christi annum centesimum trigesimum nonum, aut quadragesimum; Magdalena verò plures supra Christi annum quadragesimum quartum atque etiam quinquagesimum, Massiliæ exegerit.

11. Gulielmus Eisingreinius *in Catalogo testium veritatis*, quo per ordinem temporum, vt Trithemius, non per Alphabeti seriem, quod fecit Sixtus Senensis, Patrum & illustrium virorū Ecclesiasticorum vitam ac mortem describit, de Magdalena ipsa refert, ad annum Christi 35. *S. Maria Magdalena post Christi ad Cœlos Ascensum fidei signis pulcherrimis ab Apostolis sumptis, post separationem Apostolorum, prius in Iudæa efficacissimis sermonibus prædicauit : deinde rebus amplissimis pro Christo Magistro suo, pientissimè erogatis, domúque sua in Ecclesiam consecrata, vt Iudæorum persequutionem declinaret, vale dicens B. Virgini Mariæ, cum Martha sorore sua, Lazaro, Maximino sanctissimo, & optimo viro, ex 72. discipulis, atque aliis plurimis Christi fidelibus consociata, nauigio post multas tempestates actis, Massiliam nobilem Galliarum vrbem applicuere.* Et alibi de Lazaro. (Eising. centena 1. pa. 5. distinct. vita c. 7. de mirac. sanctorum Asiæ.)

S. Lazarus Christi discipulus frater Marthæ & Magdalenæ, quem Dominus suscitauit à mortuis Ioann. 11. in Iudæorum persequutione cum sororibus Massiliam applicans, Episcopus constitutus est in Catholicæ veritatis defensione, cursum vitæ beatæ compleuit, cuius ibidem in Cathedrali Basilica & caput & vestes in quibus Missam celebrabat, adhuc hodie conseruantur & monstrantur.

Hunc

Hunc autorem ex eo maxime commendat Posseuinus, quòd plus mille commemorat se legisse scriptores, quàm Sixtus pro ratione sui consilij attulerat. Laborabat quippe illo ipso eodem tempore in Germania, quo Sixtus Senensis condebat Bibliothecam suam sanctam in Italia. Hic enim exegematicos duntaxat diuinæ scripturæ susceperat proponendos, & quidem ipse Guillelmus Germanos præsertim, inter quos & Gallos atque Anglos, producit: quos vt Germanus & vir pius, conquirere ac certè pleniùs potuit, quàm Trithemius fecerat, cùm & is multos ante annos ante huius Guillelmi laborem decessisset, cui plures qui hac ætate scripserunt, Eisingrenius adtexuit.

Bergom.lib.8. 12. Iacobus Philippus Forestus Bergomensis, Ordinis Eremitarum S. Augustini in opere historiarum ab initio mundi vsque ad annum 1436. quod prænotauit. *Supplementum Chronicorum.*

Maria Magdalena insignissima Christi Apostola, per hoc tempus vt aiunt, haud longè à Massilia Galliarum ciuitate, migrauit ad Dominum. Hac quippe ab adolescentia sua, vt sacra eius est historia, cùm esset cunctis Iudæorum puellis pulchritudine prælata, ex Martha sororis, Lazarique germani sententia in Magdalum Castellum marito tradita fuit. Post verò Domini nostri Ascensionem, vt Hegesippus ad verbum scribit, domo eius in Ecclesiam consecrata, asperrimam Eremum petiit, & in loco Angelicis manibus præparato per 30. annos incognita mansit, vt & qualibet die septem horis canonicis, ab Angelis in æthera eleuabatur, & cælestium agminum gloriosos concentus audiens, corporalibus etiam auribus reficiebatur. Vnde diebus singulis suauissimis satiata conuiuiis, per sanctos Angelos, ad locum proprium inde reuocata, alimentis corporalibus nullatenus indigebat. Atque ita, cum à Deo bonis delectata corporalibus, aliquando discessisset, ad eum denique per hanc pœnitentiæ amaritudinem fragranti desiderio 11. Kal. Augusti redire curauit. Eius autem corpus apud Masiliam vrbem, nunc vsque conditum habetur, cuius natalitius dies 11. Kal. Aug. celebratur. Tum alibi de Lazaro.

Lazarus Marthæ & Mariæ Magdalenæ sororum germanus, Masiliensis Episcopus. Huius S. Viri reliquiæ, & sororis Magdalenæ apud vrbem Masiliæ præcipuo venerantur obsequio.

13. Petrus Malonius eiusdem Ordinis Eremitarum S. Augustini, Theologus, & Concionator egregius, tres de conuersione S. Mariæ Magdalenæ libros edidit, in quibus vniuersè, tum articulatim eius solitudinem, & à Massiliensium frequentia in speluncam S. Balmæ secessum, diuinis laudibus ornat.

14. Fasciculus temporum, autore VValtero Rolleuinch Cartusiano quemadmodum in nupera editione VVecheliana constat, in Magdalenæ iudicio, diligentissimè sententiam nostram pro testimonio laudauit. *Sub Cleto an. 11. men. 1. D. 11. Maria Magdalena & soror eius Martha, migrauerunt ad Dominum in partibus Masiliæ, Marcella pedissequa. Lazarus earum frater fuit Episcopus Marsiliensis, & B. Maximinus Episcopus Aquensis. Hic viaticum*

viaticum dedit Magdalena. Iulianus qui & Simon Leprosus, Episcopus Cenomanensis.

15. Consule Marianum Scotum in Chronico, quem pene in omnibus sequutus, non interpretatus videtur idem qui suprà VValterus.

16. Laurentius Surius, Germanus, Ordinis eiusdem Carthusiani, Coloniæ, vir eximiæ pietatis in propagando cultu diuino, vitas Sanctorum collectas primùm à Metaphraste,& ab aliis,recognitas verò & auctas à se emitti curauit, in quibus Syluestri Prieratis narrationem de Magdalena, tanquam in proprium & legitimum fœtum adoptauit, Fastorúmque suorum in ordinem adscripsit.

17. Idem attigit Martinus Polonus Ordinis Cistertiensis & Archiepiscopus Cosentinus in historia seu Chronico breui,quod à mundo condito ad sua tempora scripsit. Vixit anno 1250. & Martiniana Chronica à quibusdam vocantur.

18. Franciscus Biuarius ex Obseruantia S. Bernardi, Cistertiensis Monachus, eiúsque in Romana curia Procurator Generalis ac Theologiæ & Philosophiæ Magister in suis supra Lucium Dextrum commentariis Apodicticis adstipulatur iis, quæ à Dextro paulò ante adduxit, firmátque scriptorum veterum autoritatibus ac testimoniis. Solùm discrepat à Petro de Natalibus quem pro nostra sententia laudauerat, quoad Iosephum ab Arimathia, de eo enim refert idem Petrus, quòd à Iudæis muro inclusus, vt fame & tenebris interiret,cœlesti cibo refectus, & lumine superno illustratus fuerit, vsque ad euersionem Hierosolymorum, & quod eo tempore muro rupto inde exclusus sit,& Tito se præsentauerit & post hæc vixerit cum discipulis, placidè vsque ad diem mortis suæ. Cæterùm, cùm de re tam notabili nullum proferat autorem, assentimur magis Dextro qui eum Magdalenæ comitem facit.

Biuar. Commenta. in Dextrum an. 48.

19. Richardum Cistertiensem dabimus infra, cùm de inuentione reliquiarum Magdalenæ. in oppido Sanmaximinensi disceptabitur.

20. Dabimus, & Ioannem Laziardum Ordinis Cœlestinorum, qui de eadem inuentione, eamdem pene sub Nicolao III. texit historiam.

21. Philippus Ferrarius, Alexandrinus Ordinis Seruorum, in Tabula Geographica Martyrologij, sic habet, Verbo *Massilia* 22. Iulij. *Maria Magdalena in proximo M. Cat.* Ibidem 17.Decembris.*Lazarus Maria Magdalena, & Martha frater Episcopus primus.*

22. Primulus Cabilunensis Episcopus ac Theologus,in Topographia sanctorum Christi Martyrum. *Aquasextia ciuitas Narbonensis Galliæ. Hic Maximinus Episcopus ex numero septuaginta duorum discipulorum migrat Confessor. Hic Chelidonius Episcopus, qui cæcus ille natus, à Christo illuminatus dicitur fuisse, migrat Confessor. Item Magdala Galilea, oppidum in Palæstina, hic Magdalena & Martha, Syro & Eucharia parentibus exorta, qua in Gal-*

M *liam*

liam post Christi Ascensionem nauigarunt. Et alibi, de Martha Taruscon Galliæ Narbonensis ciuitas. Hic sancta Martha Mariæ, & Lazari soror migrat Virgo, sepulta per Maximinum Aquensem Episcopum.

23. Molanus sacræ Theologiæ, Louanij Regius Professor, in additionibus ad Martyrologium Vsuardi sexto Idus Iunij. *In Galliis ciuitate Aquensi, depositio B. Maximini primi ciuitatis Episcopi & confessoris.* De Magdalena verò quamuis disertè non asserat, Massiliam adnauigasse, in suis tamen annotationibus ad vndecimum Calendas Augusti sermonem laudat, vnáque voce & consensu approbat, Syluestri Prieraris Pedemontani, qui argumenta, & signa de aduentu Magdalenæ in Gallias ita illustrat, vt ab omnibus perspici possint.

24. Odo Treuerensis Episcopus, in vetere Martyrologio, quod inscribitur. *Ad vsum Romanæ Ecclesiæ* quarto Calendas Augusti. *Eodem die festum sanctæ Marthæ Virginis, sororis sanctæ Mariæ Magdalenæ & S. Lazari, & hospitæ Saluatoris nostri, quæ iuxta Rhodanum, & vrbem Auenionem obiit.* Rursum sexto-decimo Calendas Ianuarij. *Marsiliæ B. Lazari quem Dominus suscitauit à mortuis. Item B. Marthæ sororis eius.*

25. Andreas de Saussay in Martyrologio Gallicano, ad 11. Calen. Augusti. *Apud Massiliam, transitus ad Cœlos gloriosus Beatissimæ pœnitentis Mariæ Magdalenæ Christo dilectæ, Apostolis coæquandæ, quæ in dispersione discipulorum quæ post sancti Stephani necem contigit, Hierosolymis à Iudæis pulsa, cum fratre Lazaro, necnon Maximino Christi discipulo ac Martha sorore, & Marcella pedissequa, nauique absque remigio in certum periculum imposita, Phocensem in Prouinciam deducta, diuino auxilio Massiliam appulit. Quo cognito miraculo, Euangelica quoque succedente præfatorum prædicatione, primùm Massilienses, mox Aquenses ac finitimæ gentes cùm in Christum credidissent, Lazarus Massiliensium, Maximinus Aquensium Episcopus creatus est, Martha quoque Massiliæ degens mirabili sanctitate & charitate, ciuium omnium animos in sui amorem adduxit: atque in remoto à virorum frequentatione loco, piarum fœminarum collecto cœtui, iis præcepta pietatis, & exempla præbuit, donec demum fœlicem vitæ attigit metam. At verò Magdalena assueta orationi & pedibus Domini, vt optimæ parte cœlestis contemplandæ beatitudinis, quam elegerat, frueretur, in vastam præcelsi montis, qui altitudinem passuum trium ferè millium assurgit, speluncam se contulit; vbi triginta annos vixit, ab omni hominum consuetudine disiuncta, vnde & quotidie per id tempus ad audiendas cœlestium laudes in altum ab Angelis deferebatur. Demúmque, vt plenè tanti amoris, quo in Christum feruebat, desiderio potiretur, è monte hoc, ad supernam cœli arcem fœlicissimo efflatu purissimi spiritus euolauit, diuinaque magnificentia coruscationibus in tumulo clarificata est, vt mirabilia quæ in vtraque eius translatione refulserunt, & insignia adoranda quæ adhuc in eius reliquiis nitent, etiamnum testantur.*

26. Sequutus videtur in hac quæstione, potissimum Ecclesiæ Romanæ iudicium vniuersus Franciscanorum Ordo sanctissimus & eruditissimus, in cuius Martyrologio cum aliis multis, scriptum etiam illud est

de

de Magdalena 10. Calendas Augusti. *Apud Massiliam, Natalis S. Mariæ Magdalenæ, quæ post Christi Ascensionem nauigio in Galliam diuinitus delata, illic sancto fine quieuit.* Et ibidem quarto Kalend. Augusti. Tarasci in Gallia Narbonensi, S. Marthæ Virginis hospitæ Saluatoris, & sororis B. M. Magdalenæ, & Lazari, cum quibus post Christi Ascensionem diuino nutu commigrans in Gallias, Prouinciam Phocensem incoluit, vbi vitæ Regularis prima dedit specimina, & post piorum laborum perfectum cumulum, gloriosa transiit in cœlum.

27. Quæ verba ita interpretando explanat, venerabilis Pater Arturus à Monasterio Rothomagensi Recollectus, in suis supra Martyrologium Franciscanum commentariis.

Huius Beatissimæ pœnitentis, Christo dilectæ & Apostolis coæquandæ, festum præcipua deuotione seruatum est à Fratribus Minoribus maximè Gallis, vnde in Capitulo Tolosano Generali, anno 1496. sancitum est, vt huiusmodi festiuitas ageretur, fieretque duplex. Deinde anno 1565. in Capitulo Generali Valisoletano institutum fuit, celebrandum fore imposterum sub ritu duplicis Maioris. Porrò extat in Gallia, Prouincia Recollectorum, erecta anno 1619. sub titulo S. Mariæ Magdalenæ. Nec abs re, quandoquidem in dispersione Discipulorum Christi, quæ post necem S. Stephani contigit, Hierosolymis à Iudæis pulsa, cum fratre D. Lazaro, B. Martha sorore, & aliis, nauique sine remigio in certum periculum imposita, Phocensem in Prouinciam deducta, cælitus Massiliam appulit. Mox intima regionis penetrans, in locum solitarium secessit, vbi admirabili sanctitate Domino famulata est, ac fœliciter obiit. Cuius reliquiæ & sepulchrum adhuc inibi prostant, capútque eius integrum patenter cernitur ac veneratur, pia Regum, Principum & aliorum fidelium deuotione, vti latius erunt à nobis explicanda in rebus Neustriacis prope diem edendis, quibus palam hoc ipsum probabimus, tum ex antiquioribus venerandæ antiquitatis monimentis, tum ex grauiorum autorum probata autoritate. Vide Firmamentum trium ordinum *parte 3.* Speculum Fratrum Minorum *tractatu 3. circa diuinum officium.*

28. Arnoldus Mirmannius, Belga Alostamus, Prouinciæ inferioris Germaniæ, Theologiæ in Cœnobio Louaniensi Professor, Ordinis Minorum, in Theatro conuersionis gentium totius orbis. Massilienses, inquit, religionis prima elementa acceperunt, industria Lazari, Maximini, Mariæ Magdalenæ, Marthæ, & Marcellæ, suis sedibus & bonis exutorum, sæuiente persecutione quæ sanctum Stephanum abstulit, Tiberio Imperatore. Aquensibus præfuit Episcopus Maximinus, qui Lazari domnum baptisauerat.

29. Cistercienses non modò fautores sententiæ nostræ, sed etiam amplificatores, cognosces in Annalibus Ordinis editis anno 1642. vbi Magdalenæ nostræ reliquiæ Sanmaximinenses Viceliacum translatæ celebrantur ad annum Christi 1145. capite 5. numer. 7. sed quantùm vacillet vel iaceat potius translatio illa, demonstrabimus infrà capite 38. & vltimo.

30. Vniuersi quoque Ordinis clarissimi, & religiosissimi Fratrum

Prædicatorum testimonio & autoritate celebrior clariórque esse cœpit, de Magdalena communis iste omnium persuasus & inductus. Quod testimonium, ab erroris periculo ac suspicione, eò longiùs abesse existimandum est, quo huius familiæ Patres, Magistri sacri Palatij, & Quæsitores, vt plurimum, de rebus fidei, in explorandis Christianæ doctrinæ, & Ecclesiasticæ historiæ capitibus, diligentiores esse solent ac paratiores. Fertur ab iis, communi consilio & frequenti conuentu statutum, quod in veneratione S. Mariæ Magdalenæ singulare habere possent, vt in omnibus feriis quartis hebdomadæ, per annum, semper fieret officium de ipsa, eò ferè modo ac ritu, quo Ecclesia officium de Beata, singulis Sabbathis per annum, recitandum perscribit. Eius verò in Gallias appulsum, & reliquiarum Sanmaximinensium certitudinem, nescio quomodo pleniore ore laudant.

Vinc. lib. 9. c. 194. 31. Vincentius, Bellouacensis Episcopus, natione Burgundus, ex Ordine Prædicatorum. In speculo historiali.

Exardescente igitur sicut præmisimus, Iudæorum persecutione contra fideles, ab ipsis B. Martha cum aliis Christo credentibus à propriis finibus exterminata est, & facultatibus priuata. Ipsam S. Maximino, vni scilicet ex 72. Christi discipulis cum sorore sua Maria Spiritus sanctus sociauit, vt qui eas olim baptisauerat, ipse bonæ conuersationis exemplo ad Regnum Cœlorum eas perduceret. Igitur nauim ingressi cum multis aliis, prospero cursu ad portum Massiliæ peruenerunt.

Claruit sub Friderico Imperatore II. anno Domini 1240.

Anton. par. 1. tit. 6. c. 19. §. 1. 32. Hæc ferè omnia excipit Antoninus Archiepiscopus Florentinus, vt similiter, & vno modo dici videantur.

Nam post Passionem, inquit, *Domini, lapsis aliquot annis, Iudæi fugatis Apostolis de partibus illis, insurgentes contra Mariam, Martham, Lazarum fratrem & Marcellam pedissequam Marthæ, quæ Christo disputante contra Pharisæos clamauerat,* Beatus venter qui te portauit &c. *& Celidonium, quem à Natiuitate cæcum Christus illuminauerat, & Maximinum vnum ex septuaginta duobus discipulis Christi, & plures alios fideles naui imposuerunt, sine gubernaculo pelago exponentes, vt quàm citissimè submergerentur. Sed diuina prouidentia Massiliam incolumes peruenerunt, & de naui egressos cum nullus hospitio eos reciperet, posuerunt se in quadam porticu templi Deorum illius regionis. Venientibus autem ad immolandum Idolis, Maria Magdalena cœpit prædicare & de cultura Deorum arguere, de cuius sapientia & eloquentia mirabantur omnes.*

Obiit Antoninus anno 1459. à Clemente VII. in numerum sanctorum relatus; vir sanctitate & doctrina insignis, qui olim apud Romanos Pontifices Calixtum III Pium II. & Nicolaum V. sæpe legationis Reipublicæ Florentinæ munere functus est.

33. Simillima & maximè gemina sunt Bernardi Guidonis Lodeuensis Episcopi verba, quem inter fautores huius sententiæ nostræ, censuimus capite superiori 16.

S. Vincen

34. S. Vincentius Ferrarius Ordinis eiusdem Prædicatorum Sermone de S. Maria Magdalena. *Dicatur de persecutione Christianorum in Hierusalem post Christi Ascensionem, aliquos occidendo, exulando, & quia Magdalena & Martha, & Lazarus erant nobiles, noluerunt publicè eos occidere, sed miserunt eos in quandam barcam, sine prouisione aliqua, sine velo, siue remis, vt sic submergerentur, sed B. Maria Magdalena facto signo Crucis pro arbore dicendo,* In nomine patris *&c. subitò de portu Iaffa, venerunt ad portum Marsiliæ, & inceperunt prædicare per Prouinciam, & habuit tantam gratiam in labiis suis propter hoc, quod tot vicibus osculata fuit Christi manus & pedes, quòd conuertit ad Christum totam Prouinciam.*

35. Vincentius Iustinianus, Antistius, eiusdem item Ordinis Theologus Doctor, dum eiusdem S. Vincentij opera recenset, Lectorem admonet S. Vincentium pollicitum fuisse infanti Martino, se conciones suas in vnum corpus redactas, ei cum Epistola dedicatoria nuncupaturum: quamquàm, vtrùm id postea præstiterit incertum est, & illas quidem quæ tribus voluminibus comprehensæ sub eius nomine circumferuntur, etsi negare nemo possit eas non à Beato Vincentio conscriptas, sed ab eius discipulis passim excerptas, tamen asserit ipsas doctrinam illius omnino continere & eo nomine approbat, & ad legendas, vt ratio postulat, hortatatur. *Nec te*, inquit, *contemptibilis sermo offendat, nec persuasibilia humanæ sapientiæ verba à Pauli discipulo flagites, sed Spiritum & virtutem perpende, si diuino cupis amore calescere, aut potius vri.*

36. Thomas de Trugillo Ordinis Prædicatorum ex Prouincia Aragoniæ, priorem S. Vincentij sermonem transtulit totidem pene verbis, *In Thesauros suos concionum.* Sermone item de B. Magdalena.

37. Syluester Prieras, siue vt vocant de Prierio, Pedemontanus, vitam Mariæ Magdalenæ copiosissimè scripsit, vt refert Surius & alij passim, quam, & autoritatem nobis afferre oportere ac fidem, nemo dubitabit, qui ipsum, quasi testem religiosissimum & rerum multarum spectatorem optimè norit. Fuit enim primò sacri Palatij Magister, ac deinceps sui Prædicatorum Ordinis Generalis Magister. Quàm multùm verò, & quàm luculenter scripserit, vir cùm institutus optimè, tum etiam perfectè eruditus, produnt eius monumenta, quibus prœla diu plurimúmque desudarunt, ad posteritatis memoriam. Surius t. 4. 22. Iulij.

38. Ptolemeus Lucensis scripsit magno volumine historiam Pontificum Romanorum, & breuiter attigit viros qui temporibus singulorum claruerunt, vsque ad Cœlestinum quintum. Magdalenæ reliquiarum inuentionem cuius esse potuit testis viuus ac præsens, narrat sub Nicolao tertio, ita vt narratio aperta sit, & breuis, simplicémque ac dilucidam expositionem cum attenuatione suspicionis habeat.

39. Abrahamus Bsouius Polonus sacræ Theologiæ Doctor, id quod superiores tradunt, vel etiam inculcat in suis Annalibus, vt si quis sit tardior, possit percipere. Profert sigillatim vniuersa loca, cùm dignitatem & opportunitatem habuerint.

40. Sebastianus Michaelis, eiusdem Ordinis, vir eruditus & doctrina excultus, qui tum Quæsitoris de rebus fidei, Magistratum habebat, cùm libellum edidit singularem, quo Magdalenæ & Mariarum Iacobi & Salomes aduentum in Gallias vel seuerissimis disceptatoribus, firmissimè probar.

Ioan. à S. Maria to. 2. lit. M. 41. Ioannes à S. Maria, in historia recenti, qua Virgines sigillatim eiusdemOrdinis sui sanctitate conspicuas, aut virtutum fama illustres complectitur, euoluit accuratiùs quod inuolutum est, & quæ contra Magdalenæ aduentum eiúsque inuentionem reliquiarum dici possunt, extenuat & diluit argumenta.

Claud. à Rota c. 90. 42. Petit hanc historiam, vltrà quàm satis est, ac repetit Claudius à Rota Ordinis S. Dominici, sacræ Theologiæ Professor, in *Legenda Sanctorum*, quam ad veterum exemplarium fidem, accuratè castigasse, & non mediocri diligentia se concinnasse affirmat. Mitto recensere, ne cuipiam hoc nimis infinitum videatur.

Similiter se dant & sua sponte, quò impellimus, inclinant atque propendent, docti atque eruditi Patres nostræ Societatis.

Cornel. in Act. c. 8. 43. Cornelius à Lapide Commentariis in Acta Apostolorum, vbi de dispersione discipulorum per regiones Iudææ, & Samariæ. *Multi*, inquit, *censent hoc tempore sanctam Magdalenam cum sorore S. Martha, fratre Lazaro, Maximino, Marcella, & Iosepho ab Arimathia (qui deinde in Britanniam traiiciens, ibi Euangelisans Christum, in pace quieuit) à Iudæis naui sine velis & remis impositos, Dei ductu Massiliam appulisse, ibique Christi fidem propagasse.*

44. Ioannes Lorinus ibidem, ac de eadem prima persecutione Hierosolymis.

Tunc etiam fortasse accidit, vt Lazarus cum sororibus, & Marcella atque Maximino, impositi nauigio, sine remis in certum periculum expositi sint, & cum iisdem præterea Ioseph ab Arimathia, qui ex Gallia nauigans in Britanniam ibi mortuus est. Habet hoc vltimum historia Manuscripta Vaticana Bibliotheca citata à Baronio: illud verò Acta Magdalenæ & sociorum, ex quibus Baronius commemorat, omnes Massiliam diuina gratia appulisse. Quam in nobilissimam etiam Gallorum Prouinciam Apostolicos plures alios viros, siue per eam occasionem, siue postea missos ab Apostolis, præsertim à Petro docet Claudius Espensæus in, Catalogo de Gallia Apostolis. Legendus quoque de his Petrus Cluniacensis, dictus Venerabilis, & Genebrardus in Chronologia. Ex quibus liquet verba illa. *Tunc etiam fortasse accidit*, intelligenda esse de dubio circa tempus nauigationis Magdalenæ in Gallias, non circa ipsam nauigationem quam narrat Lorinus affirmatè.

45. Petrus Canisius, vir sanctitate notum, & doctrina eximius, plura scripsit, quæ sæpissime & quidem variis idiomatibus edita, vberes in Ecclesia Christi Domini fructus edidere. Extat eius Martyrologium emendatum, & auctum, Germanicè conscriptum, & Typis mandatum Bilingæ ann. 1547. in quo Martham, & Magdalenam decessisse ex Palæstina

Massiliam

Maſſiliam, non modò habet ipſe, quod ſentiat, ſed quod ego ipſi quoque aſſentiar.

46. Iacobus Gordonus in opere Chronologico, ad annum Chriſti 35. *Hoc*, inquit, *eodem anno facta diſperſione putantur Magdalena & ſocij iuiſſe Maſſiliam & Ananias Damaſcum.* Sicut ergo nemo dubitat Ananiam iuiſſe Damaſcum: ita etiam iuxta Gordoni mentem quiſque putare debet ſine dubio, Magdalenam & ſocios Maſſiliam iuiſſe.

47. Iacobus Gaulterius in tabula Chronologica, ſæculo 1. *Sancta Maria Magdalena inſigne pœnitentiæ ſpeculum. De eius appulſu Maſſilienſi, cum Lazaro Martha, & Marcella pediſſequa anno 35. Sancta Martha, Magdalenæ ſoror, Baron. an. 31. num. 79. eam diſtinguit ab Hæmorrhoiſſa. Sanctus Lazarus, Magdalena, & Marthæ ſororum frater, Epiſcopus Maſſilienſis, quem Chriſtus ex mortuis ſuſcitauit.*

Sanctus Maximinus, vnus ex ſeptuaginta duobus diſcipulis, primus Aquenſis Epiſcopus. Demochares in Catalogo Epiſcoporum Aquenſium.

48. Ribadeneira in accuratis, & meditatis commentationibus ſuper vitas & geſta Sanctorum, totam huius generis rationem ita tandem concludit, atque definit, in vita S. Magdalenæ 22. Iulij. *Quod tamen ſcripſi de Magdalena appulſu Maſſiliam, id mihi conſtanter conuenienterque dico, cuius etiam nunc ſacra Lipſana ſpectanda, & veneranda proponuntur, in iis Galliæ locis, in quibus & vitam coluit cum virtute, & ſanctiſsimè depoſuit, vti ſuprà diximus.*

49. Nicolaus Cauſſinus ea quæ modò expreſſa à Syluestro Prierate, ad verbum Gallicè dixit, in *Aula ſancta*, Axiomate *de vindicta.* Cauſſi. To. Axioma. 12.

50. Balduinum Cabillianum, poëtam noſtrum adduxi, priori capite 8. & 9. Magdalenæ res geſtas narrantem, grauiter ſanè & probè.

51. Franciſcus Portacarretus è Societate noſtra Presbyter in libello Hiſpano idiomate ſcripto, de Deſcenſu Deiparæ Virginis Mariæ ad ſanctam Toletanam Eccleſiam fol. 2. pagin. 2. & folio 48. & 91. affirmat de aduentu Magdalenæ in Gallias quod Iulianus Petri in Chronico ſuprà citato.

52. Hieronymus de la Higuera item è Societate noſtra, Hiſpanus non ſolùm eiuſdem Iuliani Chronicon laudibus ornat, ſed commentariis etiam auxit eruditiſſimis.

53. Editus in lucem libellus qui inſcribitur, *Vitæ ſanctorum ad Breuiarij modum, & vſum perquàm decenter accommodatæ*, per Ioannem Maldonatum, Lugduni anno 1561. vbi à ſuperioribus ſcriptoribus de Magdalenæ aduentu in Gallias eoſdem illos ſermones, autor traducit.

54. Quod ad Lazarum ſpectat de eius Maſſilienſi ſede & ſanctimonia commemorat Martyrologium Romanum, 17. Decemb. *Maſsiliæ in Gallia B. Lazari Epiſcopi quem Dominus in Euangelio à mortuis ſuſcitaſſe legitur.* Et ibi, Baronius, & Galeſinus, adde & Genebrardum in Calendario Romano.

Robertus

55. Robertus in Gallia Christiana, titulo *Massilienses Episcopi* & titulo *Aquenses Archiepiscopi. Primus*, inquit, *S. Maximinus vnus de 72. discipulis & comes S. Lazari & S. Magdalenæ, alter S. Cedonius vel Chelidonius cæcigenus ille, qui à Christo lucem accepit.*

Petrus Equil. lib.6.c.124. 56. Petrus de Natalibus, Episcopus Equilinus. *Post Ascensionem igitur Domini, anno 14. post Stephani lapidationem & discipulorum dispersionem, Iudæi Magdalenam cum pluribus Christianis rapientes, inter quos erat Beatus Maximinus, vnus ex 72. discipulis, cui à Beato Petro, ipsa Magdalena fuerat specialiter commendata, Lazarus frater eius, & Martha soror ipsius, atque Marcella, Marthæ pedissequa, necnon Beatus Cedonius, qui fuerat cæcus à natiuitate quem Dominus illuminauerat & alij plures, omnes istos naui impositos & pelago sine remo expositos, vt in puncto necarentur Iudææ finibus propellunt, qui Deo duce, ad Massiliam appulerunt.*

Consonant his ea quæ prius dixerat de Beata Martha, de Marcella, Maximino, idem Petrus Equilinus de Beato Lazaro, quòd videlicet anno 14. Episcopus Massiliensis fuerit constitutus.

Equil.l.1.c.72. lib.6 c.151. li. 5.c.101.

Rober.Cœna. li.1. perioche. 13. 57. Robertus Cœnalis Episcopus Arboricensis in Gallica historia dabitur infra capite 37.& 38.

Delben.l.3 pag. 152. 58. Alphonsus Delbene Episcopus Albiensis, De regno Burgundiæ Transiuranæ & Arelates.

His rebus peractis VVillermus dimisso exercitu Arelatem proficiscitur: hinc cùm rex abesset, is erat Massilia, in itinere antrum in quo Diua Magdalena pœnitentiam egit & animum efflauit (vt fert eius historia) visere statuit, ibique summas Deo gratias agere ob res prosperè gestas. Hoc autem situm est in magno monte & saxoso, qui ab Oriente Niciam spectat, ab Occidente verò Massiliam, à Meridie mare Gallicum, à Septentrione versus Auenionem, in altitudinem tres mille passus habet, in longitudinem, quæ ab Occidente in Orientem extenditur, decem millia passuum: huius montis vndique aditus perdifficiles sunt, ob rupes præruptas, in cuius radicibus antrum illud pœnitentiæ positum conspicitur, tamen non prope terram, nam ab ea ad lapidis iactum eleuatum est. Huius ingressum, altæ rupes, instar turrium erectæ & muri natura incisi prohibere videntur, cuius fornix, versus spectat Occidentem. Ad ingressum verò, exigua planities est. In antro ad læuam, spectatur lapis è rupe emanans, & inter hunc & extremitates antri pellucidus fons in quo aqua frigidissima, sed ad potum salubris & perennis scaturit; super lapidem, Beatam Magdalenam quieti sese dedisse ferunt, & pro lecto habuisse, dum à somno corriperetur. Etiam nunc effigies oculis apertis inspicitur, ibi à Diuo Maximino (vt ferunt) collocata. Sed quod omnibus aduenientibus maximam admirationem mouet, est, quod vndequaque antrum, aqua stillante, humectatur: & locus vbi situs est lapis, nullo humòre contaminatur. Eo cùm venisset Rex suas Deo fudit preces, summásque gratias agit, ob patriam à prædonibus liberatam.

59. Petrus Quiqueranus Episcopus Senecensis in laudibus Prouinciæ, pro appulsu Magdalenæ, celeberrima populum Massiliensem gratulatione auget, de qua iam suprà diximus capite 13.

Franciscus

60. Franciscus de Sales Gebennensis Episcopus vir dignus memoria, & pietate atque doctrina maximè insignis. S. Magdalena cùm Ioannis mansisset in antro, quod adhuc hodie visitur in Prouincia rapta, & in aërem septies quotidie Angelorum ministerio sublata, ac si septem horas Canonicas in eorum Choro decantatura fuisset; tandem die sacra Domino, venit in Templum, in quo charissimus ipsius Episcopus S. Maximinus eam contemplationi vacantem reperiens, oculis lachrymarum imbre suffusis, brachiisque sursùm elatis, sacra Synaxi tanquam viatico muniuit, mox enim Spiritum emisit, qui iterum ad pedes sui Seruationis conuolauit, optima scilicet parte quam dudum in hoc sæculo elegerat, fruiturus.

De Sales lib. 7. de Amore Dei c. 11.

61. Marcus Antonius Coccius Sabellicus. *Maria*, inquit, *Magdalena fato defuncta est. Triginta hac post Christi Ascensum fuit annos in Eremo: quantùm autem mulier mundo indulsit, tantùm deinceps pœnitentia, castimonia, & Religioni. A Magdalo oppido, vbi matrimonio locata fuit, illi cognomen inditum.*

Cocc. Ennea 61.7. lib. 2.

62. Antonius Monchiacenus Demochares, Theologus Parisiensis, in historica propugnatione Christianæ religionis, institutionisque Domini nostri Iesu Christi, & Apostolicæ traditionis, aduersus Misoliturgorum blasphemias, ac nouorum huius temporis sectariorum imposturas, facit contra aduersarios, & causam nostram defendit, his verbis, *Titulo Aquensis Archiepiscopi.*

Primus S. Maximinus Christi discipulus, qui cum S. Lazaro, Maria Magdalena, Martha sororibus, & Cedonio, post Ascensum Christi in Cælum, classe Massiliam appulit. Hunc Missam celebrasse & celebrare consueuisse discimus, quod morienti S. Magdalena post Missarum solemnia, Sacrosanctam Eucharistiam administrasse legimus. Secundus S. Cedonius, Christi discipulus, qui cæcus natus, Christi beneficio lumen recepit, hunc à superioris & Apostolorum vestigiis in Missæ traditione nemo rectè dicet abscessisse. Lege si places, et si mihi parum credis, quæ scribit de iis Petrus de Natalibus in Catalogo sanctorum. Ex his duobus primis, statim agnoscunt me tacente quàm antiquum fuerit, Aquensibus Missæ sacrificium. Et Titulo Massilienses. *Massiliensis autem Cathedræ Episcopi moderatores fuerunt. Primus B. Lazarus SS. Magdalenæ & Marthæ sororum frater, cuius & vestes in quibus Missam celebrabat, adhuc hodie conseruantur & monstrantur.*

Democha. c. 32. Aquens. Archiep.

Pet. de Natal. lib. 5. c. 101. & 104.

63. Christianus Adrichomius Delphus, in Chronico historiarum vtriusque testamenti, ad annum Christi 74. vbi de S. Martiale Lemouicensi Episcopo.

Anno, inquit, *Christi 48, Claudij VI. Lazarus, Maria Magdalena, & Martha cum Marcella pedissequa, & Maximino ex 72. discipulis qui totam illam domum baptisauerat, & Cedonio qui cæcus natus erat, aliisque multis fidelibus in persequutione Christianorum à Iudæis comprehensi; vetusta naui, sine remige, sine viatico impositi, mari committuntur, vt omnes vel inedia, vel naufragio perirent, sed Deo gubernante nauis in Massilia portum incolumis appel-*

tis, qua miraculis & sua prædicatione, Massilienses primùm, deinde vicinos populos ad fidem Christi conuertunt; hoc loco dum biennium exegissent, S. Lazarus ibi Episcopus subsistit. Cæteri Aquense territorium adeunt, vbi Maximinus Episcopum se continuit.

Volaterra. lib. 64. Raphaël Volaterranus, in Anthropologia. *Maximinus præsul Aquensis in Gallia, vnà cum Maria, & Martha Massiliam adnauigauit.*

65. Ioannes Hispanus in Annotationibus super historiam sanctæ Vualburgensis, ita sentit. *Historici non pauci affirmant Iosephum ab Arimathia, simul cum Magdalena & aliis ad Galliæ portum Massiliensem, adnauigasse, quem in Britanniam destinarat Philippus Apostolus, aut vt alij probabilius dicunt, S. Petrus, ad propagandam Christi fidem, vbi constructam ab eo Ecclesiam à memoria nostra, vetustate remotam, & collapsam instaurauit Dionysius Episcopus S. Dauidis, quam iterum male materiatam & ruinosam restituit Inas Rex Occidentalium Saxonum, in honorem SS. Petri, & Pauli, cuius limen superius hac Epigraphe insigniuit.*

Anglia plaude lubens, mittit tibi Roma salutem.
Fulgor Apostolicus Glasconiam irradiat.
A facie hostili duo propugnacula surgunt,
Quæ fidei turres, Vrbs caput orbis habet.

66. Camdenus eidem adstipulatus historiæ, de Iosepho Britannorum Apostolo, hos adiunctos se legisse ait versiculos.

Cælorum porta, lati duo lumina mundi:
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apostolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitis, celsior ille gradu.
Corda per hunc hominum reserantur, & astra per illum.
Quos docet iste stylo, suscipit ille polo.
Pandit iter Cœlis hic dogmate, Clauibus alter
Est via cui Paulus, Ianua fida Petrus.

Thom. à Iesu l. 2. c. 3. 67. Thomas à Iesu Bratiensis, Hispanus Ordinis Carmelitarum Discalceatorum in Belgio superiore, *In Thesauro sapientiæ ad gentium omnium salutem procurandam.*

Gallis, inquit, *adiacet angusto mari diuisa Britannia: ad hanc dicitur appulisse primus Ioseph ab Arimathia ciuitate, Christianaque religionis in ea semina sparsisse. Sed anno 182. Lucius Britannorum Rex petiit ab Eleuterio Papa, vt mitteret qui plenè Insulam totam Christo possent conciliare, missique Fugatius & Damianus, institutique tres Archiepiscopi, & Episcopi viginti octo, & Christi cultus latè disseminatus, itavt Origenes, Tertullianus, & Irenæus scribant suis temporibus Britanniam, eiúsque incolas Christianos fuisse. Cælestinus deinde Papa misit ad eos Palladium, quod Prosper testatur, vt hæresim Pelagianam profligaret, sed cum succedentibus temporibus Angli in Insulam traiecissent, eámque occupassent, ideoque nomen Christianum in iis locis ferè esset deletum, Gregorius Magnus eò misit Augustinum, qui cunctos ad Christum traduxit.*

Baptista

68. Baptista Mantuanus, Theologus idem ac Poëta egregius, item Ordinis Carmelitarum, in libris de sacris diebus ad Leonem X. Pontificem Maximum, nauigationis Magdalenæ cursum non omittit.

Ipsa triumphato vidit Phlegetonte Magistrum
Prima resurgentem, lachrymis quæ gaudio obortis;
Cùm mala iam Christo sors in sua regna reuerso
Christigenas premeret, patriis de finibus ipsa,
Et soror & frater, ventis ad regna secundis
Gallica venerunt, vbi curuo in littore quondam
Mœnia Phocenses noua fundauere coloni.
Magdalena ferens sese in deserta, sub altis
Delituit cryptis, mansitque incognita longo
Tempore, & Angelicis habuit conuiuia diuis
Cum quibus assiduè, septem quas dicere mos est,
Canonicas modulis celebrasse suauibus horas
Dicitur, & dulci resonasse per aëra cantu.
Tandem vbi finito venit lætabile tempus
Exilio, positis fiuit uper æthera membris.

69. Michaël Naueus, Iuris vtriusque consultissimus, Canonicus, & Archidiaconus Tornacensis. *In Chronico Apparitionum, & gestorum S. Michaëlis Archangeli* De S. Michaëlis apparitione D. Magdalenæ facta in Eremo S. Balmæ. Mich. Naueus c. 12.

Diua, inquit, *Magdalena, magni nostri Domini Iesu Christi fidelis amatrix, sicut erga Christum & ante mortem, & post passionem impensè fuit sollicita, sic etiam Angelorum, dum viueret, meruit solatia. Apparitionem autem D. Michaëlis ipsi factam, refert in eius vita Surius, ex Syluestro Prierate in Rosa aurea, & relatione S. Patris Heliæ Ordinis Prædicatorum, qui cùm per 56. annos in sancta Bauma seu Balma, Diuæ Magdalenæ mira deuotione continuò seruisset, & ea ab ipsa didicisset reuelante, paulò ante mortem ad gloriam Dei accidisse memorauit. Nempe quod B. Dei amatrix Magdalena cùm mirabiliter ad Massiliensium portum delata, cum sorore, fratre, & aliis, loci incolas ad Christi cultum & fidem prædicatione diuini verbi & miraculis conuertisset, humanum postmodum fauorem & inquietudinem pertæsa, demum diuinitus rapta fuerit, & sub antri, seu spelunca ora deposita, vbi ipsa à Dracone & Viperea multitudine deterrita cùm fuisset & inde Draco cum ore suo degluttiendam attraxisset, inuocato nomine Iesu Christi ab Angelo inde deducta fuit, qui calce Draconem percutiens, eum inde & viperas simul egredi iussit. Quo facto Michaël Angelus spiritum efflauit odoriferum, qui in flammam conuersus, totam Baumam lambens, immundas ac fœtidas viperarum fæces absumpsit, & locum omnem mundum & redolentem effecit.*

70. Renatus Chopinus, homo omnium, disciplina Iuris ciuilis eruditissimus, sententiam nostram eligit in suo Monastico. *Haud diu post dirapassum Christum, Ruffus Hebræus de quo Euangelium Marci cap. 15. fertur relicto patrio crudeli solo, in Massiliensem Prouinciam appulisse cum B. Magda-* Chop. in Monast. lib. 1.

 lena,

lit, quo miraculo & sua prædicatione, Massilienses primum, deinde vicinos populos ad fidem Christi conuertunt; hoc loco dum biennium exegissent, S. Lazarus illic Episcopus subsistit. Cæteri Aquensi territorium adeunt, vbi Maximinus Episcopus se continuit.

Volaterra. lib. 17. 64. Raphaël Volaterranus, in Anthropologia. *Maximinus præsul Aquensis in Gallia, vnà cum Maria, & Martha Massiliam adnauigauit.*

65. Ioannes Hispanus in Annotationibus super historiam sanctæ Vualburgensis, ita sentit. *Historici non pauci affirmant Iosephum ab Arimathia, simul cum Magdalena & aliis ad Gallia portum Massiliensem, adnauigasse, quem in Britanniam destinarat Philippus Apostolus, aut vt alij probabilius dicunt, S. Petrus, ad propagandam Christi fidem, vbi constructam ab eo Ecclesiam à memoria nostra, vetustate remotam, & collapsam instaurauit Dionysius Episcopus S. Dauidis, quam iterum male materiatam & ruinosam restituit Inas Rex Occidentalium Saxonum, in honorem SS. Petri, & Pauli, cuius limen superius hac Epigraphe insigniuit.*

Anglia plaude lubens, mittit tibi Roma salutem.
Fulgor Apostolicus Glasconiam irradiat.
A facie hostili duo propugnacula surgunt,
Quæ fidei turres, Vrbs caput orbis habet.

66. Camdenus eidem adstipulatus historiæ, de Iosepho Britannorum Apostolo, hos adiunctos se legisse ait versiculos.

Cælorum porta, lati duo lumina mundi:
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apostolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitis, celsior ille gradu.
Corda per hunc hominum reserantur, & astra per illum.
Quos docet iste stylo, suscipit ille polo.
Pandit iter Cœlis hic dogmate, Clauibus alter
Est via cui Paulus, Ianua fida Petrus.

Thom. à Iesu l. 2. c. 3. 67. Thomas à Iesu Bratiensis, Hispanus Ordinis Carmelitarum Discalceatorum in Belgio superiore, *In Thesauro sapientia ad gentium omnium salutem procurandam.*

Gallis, inquit, *adiacet angusto mari diuisa Britannia: ad hanc dicitur appulisse primus Ioseph ab Arimathia ciuitate, Christianaque religionis in ea semina sparsisse. Sed anno 182. Lucius Britannorum Rex petiit ab Eleuterio Papa, vt mitteret qui plenè Insulam totam Christo possent conciliare, misique Fugatius & Damianus, instituti que tres Archiepiscopi, & Episcopi viginti octo, & Christi cultus latè disseminatus, itavt Origenes, Tertullianus, & Irenæus scribant suis temporibus Britanniam, eiusque incolas Christianos fuisse. Cœlestinus deinde Papa misit ad eos Palladium, quod Prosper testatur, vt hæresim Pelagianam profligaret, sed cum succedentibus temporibus Angli in Insulam traiecissent, eámque occupassent, ideoque nomen Christianum in iis locis ferè esset deletum, Gregorius Magnus eò misit Augustinum, qui cunctos ad Christum traduxit.*

Baptista

68. Baptista Mantuanus, Theologus idem ac Poëta egregius, item Ordinis Carmelitarum, in libris de sacris diebus ad Leonem. X. Pontificem Maximum, nauigationis Magdalenæ cursum non omittit.

Ipsa triumphato vidit Phlegetonte Magistrum
Prima resurgentem, lachrymis que gaudio obortis;
Cùm mala iam Christo sors in sua regna reuerso
Christigenas premeret, patriis de finibus ipsa,
Et soror & frater, ventis ad regna secundis
Gallica venerunt, vbi curuo in littore quondam
Mœnia Phocenses noua fundauere coloni.
Magdalena ferens sese in deserta, sub altis
Delituit cryptis, mansitque incognita longo
Tempore, & Angelicis habuit conuiuia diuis
Cum quibus assiduè, septem quas dicere mos est,
Canonicas modulis celebrasse suauibus horas
Dicitur, & dulci resonasse per aëra cantu.
Tandem vbi finito venit latabile tempus
Exilio, positis fiuit uper æthera membris.

69. Michaël Naueus, Iuris vtriusque consultissimus, Canonicus, & Archidiaconus Tornacensis. *In Chronico Apparitionum, & gestorum S. Michaëlis Archangeli* De S. Michaëlis apparitione D. Magdalenæ facta in Eremo S. Balmæ. Mich. Naueus c. 12.

Diua, inquit, *Magdalena, magni nostri Domini Iesu Christi fidelis amatrix, sicut erga Christum & ante mortem, & post passionem impensè fuit sollicita, sic etiam Angelorum, dum viueret, meruit solatia. Apparitionem autem D. Michaëlis ipsi factam, refert in eius vita Surius, ex Syluestro Prierate in Rosa aurea, & relatione S. Patris Heliæ Ordinis Prædicatorum, qui cùm per 56. annos in sancta Bauma seu Balma, Diua Magdalena mira deuotione continuò seruisset, & ea ab ipsa didicisset reuelante, paulò ante mortem ad gloriam Dei accidisse memorauit. Nempe quod B. Dei amatrix Magdalena cùm mirabiliter ad Massiliensium portum delata, cum sorore, fratre, & aliis, loci incolas ad Christi cultum & fidem prædicatione diuini verbi & miraculis conuertisset, humanum postmodum fauorem & inquietudinem pertæsa, demum diuinitus rapta fuerit, & sub antri, seu spelunca ora deposita, vbi ipsa à Dracone & Viperea multitudine deterrita cùm fuisset & inde Draco cum ore suo degluttiendam attraxisset, inuocato nomine Iesu Christi ab Angelo inde deducta fuit, qui calce Draconem percutiens, eum inde & viperas simul egredi iussit. Quo facto Michaël Angelus spiritum efflauit odoriferum, qui in flammam conuersus, totam Baumam lambens, immundas ac fœtidas viperarum fæces absumpsit, & locum omnem mundum & redolentem effecit.*

70. Renatus Chopinus, homo omnium, disciplina Iuris ciuilis eruditissimus, sententiam nostram eligit in suo Monastico. *Haud diu post diram passum Christum, Ruffus Hebræus de quo Euangelium Marci cap. 15. fertur relicto patrio crudeli solo, in Massiliensem Prouinciam appulisse cum B. Magdalena,* Chop. in Monast. lib. 1.

lit, quo miraculo & sua prædicatione, Massilienses primùm, deinde vicinos populos ad fidem Christi conuertunt; hoc loco dum biennium exegissent, S. Lazarus illic Episcopus subsistit.Cæteri Aquense territorium adeunt,vbi Maximinus Episcopus se continuit.

Volaterr. lib. 17.

64. Raphaël Volaterranus, in Anthropologia. *Maximinus præsul Aquensis in Gallia, vnà cum Maria, & Martha Massiliam adnauigauit.*

65. Ioannes Hispanus in Annotationibus super historiam sanctæ Vualburgensis, ita sentit. *Historici non pauci affirmant Iosephum ab Arimathia, simul cum Magdalena & aliis ad Gallia portum Massiliensem, adnauigasse, quem in Britanniam destinarat Philippus Apostolus, aut vt alij probabilius dicunt, S. Petrus, ad propagandam Christi fidem, vbi constructam ab eo Ecclesiam à memoria nostra, vetustate remotam, & collapsam instaurauit Dionysius Episcopus S. Dauidis, quam iterum male materiatam & ruinosam restituit Inas Rex Occidentalium Saxonum, in honorem SS. Petri, & Pauli, cuius limen superius hac Epigraphe insigniuit.*

Anglia plaude lubens, mittit tibi Roma salutem.
Fulgor Apostolicus Glasconiam irradiat.
A facie hostili duo propugnacula surgunt,
Quæ fidei turres, Vrbs caput orbis habet.

66. Camdenus eidem adstipulatus historiæ, de Iosepho Britannorum Apostolo, hos adiunctos se legisse ait versiculos.

Cælorum porta, lati duo lumina mundi:
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apostolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitis, celsior ille gradu.
Corda per hunc hominum reserantur, & astra per illum:
Quos docet iste stylo, suscipit ille polo.
Pandit iter Cœlis hic dogmate, Clauibus alter
Est via cui Paulus, Ianua fida Petrus.

Thom. à Iesu l.2.c.3.

67. Thomas à Iesu Bæatiensis, Hispanus Ordinis Carmelitarum Discalceatorum in Belgio superiore, *In Thesauro sapientiæ ad gentium omnium salutem procurandam.*

Gallis, inquit, *adiacet angusto mari diuisa Britannia: ad hanc dicitur appulisse primus Ioseph ab Arimathia ciuitate, Christianaque religionis in ea semina sparsisse. Sed anno 182. Lucius Britannorum Rex petiit ab Eleuterio Papa, vt mitteret qui plenè Insulam totam Christo possent conciliare, missique Fugatius & Damianus, institutique tres Archiepiscopi, & Episcopi viginti octo, & Christi cultus latè disseminatus, itavt Origenes, Tertullianus, & Irenæus scribant suis temporibus Britanniam, eiúsque incolas Christianos fuisse. Cælestinus deinde Papa misit ad eos Palladium, quod Prosper testatur, vt hæresim Pelagianam profligaret, sed cum succedentibus temporibus Angli in Insulam traiecissent, eámque occupassent, ideoque nomen Christianum in iis locis ferè esset deletum, Gregorius Magnus eò misit Augustinum, qui cunctos ad Christum traduxit.*

Baptista

68. Baptista Mantuanus, Theologus idem ac Poëta egregius, item Ordinis Carmelitarum, in libris de sacris diebus ad Leonem X. Pontificem Maximum, nauigationis Magdalenæ cursum non omittit.

Ipsa triumphato vidit Phlegetonte Magistrum
Prima resurgentem, lachrymis quæ gaudio obortis;
Cùm mala iam Christo sors in sua regna reuerso
Christigenas premeret, patriis de finibus ipsa,
Et soror & frater, ventis ad regna secundis
Gallica venerunt, vbi curuo in littore quondam
Mœnia Phocenses noua fundauere coloni.
Magdalena ferens sese in deserta, sub altis
Delituis cryptis, mansitque incognita longo
Tempore, & Angelicis habuit conuiuia diuis
Cum quibus assiduè, septem quas dicere mos est,
Canonicas modulis celebrasse suauibus horas
Dicitur, & dulci resonasse per aëra cantu.
Tandem vbi finito venit latabile tempus
Exilio, positis iuit uper æthera membris.

69. Michaël Naueus, Iuris vtriusque consultissimus, Canonicus, & Archidiaconus Tornacensis. *In Chronico Apparitionum, & gestorum S. Michaëlis Archangeli* De S. Michaëlis apparitione D. Magdalenæ facta in Eremo S. Balmæ. **Mich. Naueus c. 12.**

Diua, inquit, Magdalena, magni nostri Domini Iesu Christi fidelis amatrix, sicut erga Christum & ante mortem, & post passionem impensè fuit sollicita, sic etiam Angelorum, dum viueret, meruit solatia. Apparitionem autem D. Michaëlis ipsi factam, refert in eius vita Surius, ex Syluestro Prierate in Rosa aurea, & relatione S. Patris Heliæ Ordinis Prædicatorum, qui cùm per 56. annos in sancta Bauma seu Balma, Diua Magdalena mira deuotione continuò seruisset, & ea ab ipsa didicisset reuelante, paulò ante mortem ad gloriam Dei accidisse memorauit. Nempe quod B. Dei amatrix Magdalena cùm mirabiliter ad Massiliensium portum delata, cum sorore, fratre, & aliis, loci incolas ad Christi cultum & fidem prædicatione diuini verbi & miraculis conuertisset, humanum postmodum fauorem & inquietudinem pertæsa, demum diuinitus rapta fuerit, & sub antri, seu spelunca ora deposita, vbi ipsa à Dracone & Viperea multitudine deterrita cùm fuisset & inde Draco cum ore suo deglutiendam attraxisset, inuocato nomine Iesu Christi ab Angelo inde deducta fuit, qui calce Draconem percutiens, eum inde & viperas simul egredi iussit. Quo facto Michaël Angelus spiritum efflauit odoriferum, qui in flammam conuersus, totam Baumam lambens, immundas ac fœtidas viperarum fœces absumpsit, & locum omnem mundum & redolentem effecit.

70. Renatus Chopinus, homo omnium, disciplina Iuris ciuilis eruditissimus, sententiam nostram eligit in suo Monastico. *Haud diu post diram passum Christum, Ruffus Hebræus de quo Euangelium Marci cap. 15. fertur relicto patrio crudeli solo, in Massiliensem Prouinciam appulisse cum B. Magda-* **Chop. in Monast. lib. 2.**

lit, quo miraculo & sua prædicatione, Massilienses primùm, deinde vicinos populos ad fidem Christi conuertunt; hoc loco dum biennium exegissent, S. Lazarus illic Episcopus subsistit. Cæteri Aquense territorium adeunt, vbi Maximinus Episcopus se continuit.

Volatera. lib. 17. 64. Raphaël Volaterranus, in Anthropologia. *Maximinus præsul Aquensis in Gallia, vnà cum Maria, & Martha Massiliam adnauigauit.*

65. Ioannes Hispanus in Annotationibus super historiam sanctæ Vualburgensis, ita sentit. *Historici non pauci affirmant Iosephum ab Arimathia, simul cum Magdalena & aliis ad Gallia portum Massiliensem, adnauigasse, quem in Britanniam destinarat Philippus Apostolus, aut vt alij probabilius dicunt, S. Petrus, ad propagandam Christi fidem, vbi constructam ab eo Ecclesiam à memoria nostra, vetustate remotam, & collapsam instaurauit Dionysius Episcopus S. Dauidis, quam iterum male materiatam & ruinosam restituit Inas Rex Occidentalium Saxonum, in honorem SS. Petri, & Pauli, cuius limen superius hac Epigraphe insigniuit.*

Anglia plaude lubens, mittit tibi Roma salutem.
Fulgor Apostolicus Glasconiam irradiat.
A facie hostili duo propugnacula surgunt,
Quæ fidei turres, Vrbs caput orbis habet.

66. Camdenus eidem adstipulatus historiæ, de Iosepho Britannorum Apostolo, hos adiunctos se legisse ait versiculos.

Cælorum porta, lati duo lumina mundi:
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apostolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitis, celsior ille gradu.
Corda per hunc hominum referantur, & astra per illum.
Quos docet iste stylo, suscipit ille polo.
Pandit iter Cælis hic dogmate, Clauibus alter
Est via cui Paulus, Ianua fida Petrus.

Thom. à Iesu l.2.c.3. 67. Thomas à Iesu Bratiensis, Hispanus Ordinis Carmelitarum Discalceatorum in Belgio superiore, *In Thesauro sapientiæ ad gentium omnium salutem procurandam.*

Gallis, inquit, *adiacet angusto mari diuisa Britannia: ad hanc dicitur appulisse primus Ioseph ab Arimathia ciuitate, Christianaque religionis in ea semina sparsisse. Sed anno 182. Lucius Britannorum Rex petiit ab Eleuterio Papa, vt mitteret qui plenè Insulam totam Christo possent conciliare, missique Fugatius & Damianus, instituti que tres Archiepiscopi, & Episcopi viginti octo, & Christi cultus latè disseminatus, itavt Origenes, Tertullianus, & Irenæus scribant suis temporibus Britanniam, eiúsque incolas Christianos fuisse. Cælestinus deinde Papa misit ad eos Palladium, quod Prosper testatur, vt hæresim Pelagianam profligaret, sed cum succedentibus temporibus Angli in Insulam traiecissent, eámque occupassent, ideoque nomen Christianum in iis locis ferè esset deletum, Gregorius Magnus eò misit Augustinum, qui cunctos ad Christum traduxit.*

Baptista

68. Baptista Mantuanus, Theologus idem ac Poëta egregius, item Ordinis Carmelitarum, in libris de sacris diebus ad Leonem X. Pontificem Maximum, nauigationis Magdalenæ cursum non omittit.

Ipsa triumphato vidit Phlegetonte Magistrum
Prima resurgentem, lachrymis quæ gaudio obortis;
Cùm mala iam Christo fors in sua regna reuerso
Christigenas premeret, patriis de finibus ipsa,
Et soror & frater, ventis ad regna secundis
Gallica venerunt, vbi curuo in littore quondam
Mœnia Phocenses noua fundauere coloni.
Magdalena ferens sese in deserta, sub altis
Delituit cryptis, mansitque incognita longo
Tempore, & Angelicis habuit conuiuia diuis
Cum quibus assiduè, septem quas dicere mos est,
Canonicas modulis celebrasse suauibus horas
Dicitur, & dulci resonasse per aëra cantu.
Tandem vbi finito venit lætabile tempus
Exilio, positis fiuit uper æthera membris.

69. Michaël Naueus, Iuris vtriusque consultissimus, Canonicus, & Archidiaconus Tornacensis. *In Chronico Apparitionum, & gestorum S. Michaëlis Archangeli* De S. Michaëlis apparitione D. Magdalenæ facta in Eremo S. Balmæ. Mich. Naueus c. 12.

Diua, inquit, *Magdalena, magni nostri Domini Iesu Christi fidelis amatrix, sicut erga Christum & ante mortem, & post passionem impensè fuit sollicita, sic etiam Angelorum, dum viueret, meruit solatia. Apparitionem autem D. Michaëlis ipsi factam, refert in eius vita Surius, ex Syluestro Prierate in Rosa aurea, & relatione S. Patris Heliæ Ordinis Prædicatorum, qui cùm per 56. annos in sancta Bauma seu Balma, Diuæ Magdalenæ mira deuotione continuò seruisset, & ea ab ipsa didicisset reuelante, paulò ante mortem ad gloriam Dei accidisse memorauit. Nempe quod B. Dei amatrix Magdalena cùm mirabiliter ad Massiliensium portum delata, cum sorore, fratre, & aliis, loci incolas ad Christi cultum & fidem prædicatione diuini verbi & miraculis conuertisset, humanum postmodum fauorem & inquietudinem pertæsa, demum diuinitus rapta fuerit, & sub antri, seu spelunca ora deposita, vbi ipsa à Dracone & Viperea multitudine deterrita cùm fuisset & inde Draco cum ore suo deglutiendam attraxisset, inuocato nomine Iesu Christi ab Angelo inde deducta fuit, qui calce Draconem percutiens, eum inde & viperas simul egredi iussit. Quo facto Michaël Angelus spiritum efflauit odoriferum, qui in flammam conuersus, totam Baumam lambens, immundas ac fœtidas viperarum fæces absumpsit, & locum omnem mundum & redolentem effecit.*

70. Renatus Chopinus, homo omnium, disciplina Iuris ciuilis eruditissimus, sententiam nostram eligit in suo Monastico. *Haud diu post diram passum Christum, Ruffus Hebræus de quo Euangelium Marci cap. 15. fertur relicto patrio crudeli solo, in Massiliensem Prouinciam appulisse cum B. Magda-* Chop. in Monast. lib. 2

 lena,

55. Robertus in Gallia Christiana, titulo *Massilienses Episcopi* & titulo *Aquenses Archiepiscopi. Primus*, inquit, *S. Maximinus vnus de 72. discipulis & comes S. Lazari & S. Magdalenæ, alter S. Cedonius vel Chelidonius cæcigenus ille, qui à Christo lucem accepit.*

Petrus Equil. lib.6.c.124.

56. Petrus de Natalibus, Episcopus Equilinus. *Post Ascensionem igitur Domini, anno 14. post Stephani lapidationem & discipulorum dispersionem, Iudæi Magdalenam cum pluribus Christianis rapientes, inter quos erat Beatus Maximinus, vnus ex 72. discipulis, cui à Beato Petro, ipsa Magdalena fuerat specialiter commendata, Lazarus frater eius, & Martha soror ipsius, atque Marcella, Marthæ pedissequa, necnon Beatus Cedonius, qui fuerat cæcus à natiuitate quem Dominus illuminauerat & alij plures, omnes istos naui impositos & pelago sine remo expositos, vt in puncto necarentur Iudæa finibus propellunt, qui Deo duce, ad Massiliam appulerunt.*

Equil.l.1.c.72. lib.6 c.151. li. 5.c.101.

Consonant his ea quæ prius dixerat de Beata Martha, de Marcella, Maximino, idem Petrus Equilinus de Beato Lazaro, quòd videlicet anno 14. Episcopus Massiliensis fuerit constitutus.

Rober.Cœnal. li.1. perioche. 13.

57. Robertus Cœnalis Episcopus Arboricensis in Gallica historia dabitur infra capite 37. & 38.

Delben.l.3 pag.152.

58. Alphonsus Delbene Episcopus Albiensis, De regno Burgundiæ Transiuranæ & Arelates.

His rebus peractis VVillermus dimisso exercitu Arelatem proficiscitur: hinc cùm rex abesset, is erat Massilia, in itinere antrum in quo Diua Magdalena pœnitentiam egit & animum efflauit (vt fert eius historia) visere statuit, ibique summas Deo gratias agere ob res prosperè gestas. Hoc autem situm est in magno monte & saxoso, qui ab Oriente Niciam spectat, ab Occidente verò Massiliam, à Meridie mare Gallicum, à Septentrione versus Auenionem, in altitudinem tres mille passus habet, in longitudinem, quæ ab Occidente in Orientem extenditur, decem millia passuum: huius montis vndique aditus perdifficiles sunt, ob rupes præruptas, in cuius radicibus antrum illud pœnitentiæ positum conspicitur, tamen non prope terram, nam ab ea ad lapidis iactum eleuatum est. Huius ingressum, altæ rupes, instar turrium erectæ & muri natura incisi prohibere videntur, cuius fornix, versus spectat Occidentem. Ad ingressum verò, exigua planities est. In antro ad læuam, spectatur lapis è rupe emanans, & inter hunc & extremitates antri pellucidus fons in quo aqua frigidissima, sed ad potum salubris & perennis scaturit; super lapidem, Beatam Magdalenam quieti sese dedisse ferunt, & pro lecto habuisse, dum à somno corriperetur. Etiam nunc effigies oculis apertis inspicitur, ibi à Diuo Maximino (vt ferunt) collocata. Sed quod omnibus aduenientibus maximam admirationem mouet, est, quod vndequaque antrum, aqua stillante, humectatur: & locus vbi situs est lapis, nullo humore contaminatur. Eo cùm venisset Rex suas Deo fudit preces, summásque gratias agit, ob patriam à prædonibus liberatam.

59. Petrus Quiqueranus Episcopus Senecensis in laudibus Prouinciæ, pro appulsu Magdalenæ, celeberrima populum Massiliensem gratulatione auget, de qua iam suprà diximus capite 13.

Franciscus

60. Franciscus de Sales Gebennensis Episcopus vir dignus memoria, & pietate atque doctrina maximè insignis. S. Magdalena cùm 30. annis mansisset in antro, quod adhuc hodie visitur in Prouincia rapta, & in aërem septies quotidie Angelorum ministerio sublata, ac si septem horas Canonicas in eorum Choro decantatura fuisset; tandem die sacra Domino, venit in Templum, in quo charissimus ipsius Episcopus S. Maximinus eam contemplationi vacantem reperiens, oculis lachrymarum imbre suffusis, brachiisque sursùm elatis, sacra Synaxi tanquam viatico muniuit, mox enim Spiritum emisit, qui iterum ad pedes sui Seruationis conuolauit, optima scilicet parte quam dudum in hoc sæculo elegerat, fruiturus. De Sales lib. 7. de Amore Dei c. 11.

61. Marcus Antonius Coccius Sabellicus. *Maria*, inquit, *Magdalena fato defuncta est. Triginta hac post Christi Ascensum fuit annos in Eremo: quantùm autem mulier mundo indulsit, tantùm deinceps pœnitentia, castimonia, & Religioni. A Magdalo oppido, vbi matrimonio locata fuit, illi cognomen inditum.* Cocc. Ennea 61. 7. lib. 2.

62. Antonius Monchiacenus Demochares, Theologus Parisiensis, in historica propugnatione Christianæ religionis, institutionisque Domini nostri Iesu Christi, & Apostolicæ traditionis, aduersus Misoliturgorum blasphemias, ac nouorum huius temporis sectariorum imposturas, facit contra aduersarios, & causam nostram defendit, his verbis, *Titulo Aquensis Archiepiscopi.*

Primus S. Maximinus Christi discipulus, qui cum S. Lazaro, Maria Magdalena, Martha sororibus, & Cedonio, post Ascensum Christi in Cœlum, classe Massiliam appulit. Hunc Missam celebrasse & celebrare consueuisse discimus, quod morienti S. Magdalena post Missarum solemnia, Sacrosanctam Eucharistiam administrasse legimus. Secundus S. Cedonius, Christi discipulus, qui cæcus natus, Christi beneficio lumen recepit, hunc à superioris & Apostolorum vestigiis in Missa traditione nemo rectè dicet abscessisse. Lege si placet, et si mihi parum credis, quæ scribit de iis Petrus de Natalibus in Catalogo sanctorum. Ex his duobus primis, statim agnoscunt me tacente quàm antiquum fuerit, Aquensibus Missæ sacrificium. Et Titulo Massilienses. *Massiliensis autem Cathedræ Episcopi moderatores fuerunt. Primus B. Lazarus SS. Magdalenæ & Marthæ sororum frater, cuius & vestes in quibus Missam celebrabat, adhuc hodie conseruantur & monstrantur.* Democha. c. 31. Aquens. Archiep. Pet. de Natal. lib. 5. c. 101. & 104.

63. Christianus Adrichomius Delphus, in Chronico historiarum vtriusque testamenti, ad annum Christi 74. vbi de S. Martiale Lemouicensi Episcopo.

Anno, inquit, *Christi 48, Claudij VI. Lazarus, Maria Magdalena, & Martha cum Marcella pedissequa, & Maximino ex 72. discipulis qui totam illam domum baptisauerat, & Cedonio qui cæcus natus erat, aliisque multis fidelibus in persequutione Christianorum à Iudæis comprehensi, vetustæ naui, sine remige, sine viatico impositi, mari committuntur, vt omnes vel inedia, vel naufragio perirent, sed Deo gubernante nauis in Massilia portum incolumis appel-*

lit, quo miraculo & sua prædicatione, Massilienses primùm, deinde vicinos populos ad fidem Christi conuertunt; hoc loco dum biennium exegissent, S. Lazarus illic Episcopus subsistit. Cæteri Aquense territorium adeunt, vbi Maximinus Episcopus se continuit.

Volaterra. lib. 17. 64. Raphaël Volaterranus, in Anthropologia. *Maximinus præsul Aquensis in Gallia, vnà cum Maria, & Martha Massiliam adnauigauit.*

65. Ioannes Hispanus in Annotationibus super historiam sanctæ Vualburgensis, ita sentit. *Historici non pauci affirmant Iosephum ab Arimathia, simul cum Magdalena & aliis ad Galliæ portum Massiliensem, adnauigasse, quem in Britanniam destinarat Philippus Apostolus, aut vt alij probabilius dicunt, S. Petrus, ad propagandam Christi fidem, vbi constructam ab eo Ecclesiam à memoria nostra, vetustate remotam, & collapsam instaurauit Dionysius Episcopus S. Dauidis, quam iterum male materiatam & ruinosam restituit Inas Rex Occidentalium Saxonum, in honorem SS. Petri, & Pauli, cuius limen superius hac Epigraphe insigniuit.*

Anglia plaude lubens, mittit tibi Roma salutem.
Fulgor Apostolicus Glasconiam irradiat.
A facie hostili duo propugnacula surgunt,
Quæ fidei turres, Vrbs caput orbis habet.

66. Camdenus eidem adstipulatus historiæ, de Iosepho Britannorum Apostolo, hos adiunctos se legisse ait versiculos.

Cælorum porta, lati duo lumina mundi:
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apostolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitis, celsior ille gradu.
Corda per hunc hominum reserantur, & astra per illum.
Quos docet iste stylo, suscipit ille polo.
Pandit iter Cœlis hic dogmate, Clauibus alter
Est via cui Paulus, Ianua fida Petrus.

Thom. à Iesu l. 2. c. 3. 67. Thomas à Iesu Bratiensis, Hispanus Ordinis Carmelitarum Discalceatorum in Belgio superiore, *In Thesauro sapientiæ ad gentium omnium salutem procurandam.*

Gallis, inquit, *adiacet angusto mari diuisa Britannia: ad hanc dicitur appulisse primus Ioseph ab Arimathia ciuitate, Christianaque religionis in ea semina sparsisse. Sed anno 182. Lucius Britannorum Rex petiit ab Eleuterio Papa, vt mitteret qui plenè Insulam totam Christo possent conciliare, missique Fugatius & Damianus, instituti que tres Archiepiscopi, & Episcopi viginti octo, & Christi cultus latè disseminatus, itavt Origenes, Tertullianus, & Irenæus scribant suis temporibus Britanniam, eiúsque incolas Christianos fuisse. Cœlestinus deinde Papa misit ad eos Palladium, quod Prosper testatur, vt hæresim Pelagianam profligaret, sed cum succedentibus temporibus Angli in Insulam traiecissent, eámque occupassent, ideoque nomen Christianum in iis locis ferè esset deletum, Gregorius Magnus eò misit Augustinum, qui cunctos ad Christum traduxit.*

Baptista

68. Baptista Mantuanus, Theologus idem ac Poëta egregius, item Ordinis Carmelitarum, in libris de sacris diebus ad Leonem X. Pontificem Maximum, nauigationis Magdalenæ cursum non omittit.

Ipsa triumphato vidit Phlegetonte Magistrum
Prima resurgentem, lachrymis quæ gaudio obortis;
Cùm mala iam Christo sors in sua regna reuerso
Christigenas premeret, patriis de finibus ipsa,
Et soror & frater, ventis ad regna secundis
Gallica venerunt, vbi curuo in littore quondam
Mœnia Phocenses noua fundauere coloni.
Magdalena ferens sese in deserta, sub altis
Delituit cryptis, mansitque incognita longo
Tempore, & Angelicis habuit conuiuia diuis
Cum quibus assiduè, septem quas dicere mos est,
Canonicas modulis celebrasse suauibus horas
Dicitur, & dulci resonasse per aëra cantu.
Tandem vbi finito venit lætabile tempus
Exilio, positis siuit uper æthera membris.

69. Michaël Naueus, Iuris vtriusque consultissimus, Canonicus, & Archidiaconus Tornacensis. *In Chronico Apparitionum, & gestorum S. Michaëlis Archangeli* De S. Michaëlis apparitione D. Magdalenæ facta in Eremo S. Balmæ. Mich. Naueus c. 12.

Diua, inquit, *Magdalena, magni nostri Domini Iesu Christi fidelis amatrix, sicut erga Christum & ante mortem, & post passionem impensè fuit sollicita, sic etiam Angelorum, dum viueret, meruit solatia. Apparitionem autem D. Michaëlis ipsi factam, refert in eius vita Surius, ex Syluestro Prierate in Rosa aurea, & relatione S. Patris Heliæ Ordinis Prædicatorum, qui cùm per 56. annos in sancta Bauma seu Balma, Diua Magdalenæ mira deuotione continuò seruisset, & ea ab ipsa didicisset reuelante, paulo ante mortem ad gloriam Dei accidisse memorauit. Nempe quod B. Dei amatrix Magdalena cùm mirabiliter ad Massiliensium portum delata, cum sorore, fratre, & aliis, loci incolas ad Christi cultum & fidem prædicatione diuini verbi & miraculis conuertisset, humanum postmodum fauorem & inquietudinem pertæsa, demum diuinitus rapta fuerit, & sub antri, seu spelunca ora deposita, vbi ipsa à Dracone & Viperea multitudine deterrita cùm fuisset & inde Draco cum ore suo degluttiendam attraxisset, inuocato nomine Iesu Christi ab Angelo inde deducta fuit, qui calce Draconem percutiens, eum inde & viperas simul egredi iussit. Quo facto Michaël Angelus spiritum efflauit odoriferum, qui in flammam conuersus, totam Baumam lambens, immundas ac fœtidas viperarum fœces absumpsit, & locum omnem mundum & redolentem effecit.*

70. Renatus Chopinus, homo omnium, disciplina Iuris ciuilis eruditissimus, sententiam nostram eligit in suo Monastico. *Haud diu post diram passum Christum, Ruffus Hebræus de quo Euangelium Marci cap. 15. fertur relicto patrio crudeli solo, in Massiliensem Prouinciam appulisse cum B. Magdalena,* Chop. in Monast. lib. 2.

lena, Lazaro, Maximino, & Auenionenses præsertim Episcopali munere ac studio Christianam fidem docuisse.

Cassan. par. 3. consider. 32. 71. Cassanæus vir præstans optimis artibus, & in Aquensi Senatu Decuriæ Præses, cognita virtute & spectata fide amplissimus. *In Catalogo gloria mundi*, multa & varia & copiosa oratione excurrit in laudes S.Lazari, eúmque Massiliensem Episcopum, & aduenam fuisse, vnà cum Magdalena, & Martha sororibus, firmissimè asseuerat.

Lazarus post Apostolos discipulus Christi, huius nostra ciuitatis Heduensis patronus, protector, & conseruator & in qua eius corpus requiescit, inter cuius membra, caput peregrinis demonstratur, summa gloria, summa laude, summo honore glorificandus, laudandus, & honorandus: hic enim frater erat Martha, & Magdalena, à Christo fuit familiariter dilectus, & solus inter discipulos Christi Amicus, *vocatus, vt habetur Ioan.*11. Lazarus amicus noster dormit *de stirpe Regia descendens, à populo Iudæorum, patre & matre. Magnas patrimonij sui diuitias inter se diuiserunt, vt Maria quoddam castrū Magdalon dictum (vnde Magdala nuncupata est) in partem contigerit. Martha verò Castellum Bethania, quod erat prope Ierosolymam ad 2. milliaria, Lazaro autem militia vacanti, pars non modica Ierosolymorum; & eum quatriduanum à mortuis suscitauit Christus. Post Passionem Domini lapsis aliquot annis, Iudai fugatis Apostolis de partibus illis, insurgentes in Lazarum, Mariam & Martham sorores eius, Marcellam pedissequam Martha, qua Christo disputante, contra Pharisaos clamauerat,* Beatus venter qui te portauit &c. *& Celidonium quē à Natiuitate cæcum Christus illuminauerat & Maximinum vnum ex 72. discipulis Christi naui impositerum sine gubernaculo, periculis marinis exponentes, vt quàm citissimè submergerentur, sed diuino nutu Massiliam incolumes peruenerunt, vbi prædicationibus eorum, Princeps cum vxore, ad fidem Christi conuersus, Idola ciuitatis confregit, Ecclesias construxit, fidem & Baptisma plurimis recipientibus, Beatum Lazarum Massilia Episcopum præfecerunt, deinde populum Prouincia ad fidem induxerunt.*

72. Legendus Guillelmus du Vair eiusdem supremæ Curiæ Aquensis Præses quoque primarius, homo summa prudentia clarus in Actione Forensi apud Massilienses, anno 1602. & 1606.

73. Paradinus in Annalibus Burgundiæ, anno 749. huius sententiæ nostræ studiosus & fautor, nisi etiam Sanmaximinensi pietati & gloriæ inuidus, Magdalenæ reliquias furto amissas & à prædonibus, nescio quò abductas, vt in aliis plerísque solet, hallucinaretur.

74. Gabriel Simeon, Florentinus, *In illustrioribus obseruationibus veterum monumentorum*, Magdalenæ reliquias exquisitissimis verbis commemorat, quarum causa Sanmaximinum inuisit, perscrutatúsque magnifici ac Regij templi præcipua decora & ornamenta, quadratum è marmore lapidem reperit, vni alicui altari suppositum, & his, pene absumptis vetustate, atque obsoletis characteribus insignitum.

Sunt

Suæ Collectaneæ, fecit
L. Thematiliana : &
L. Valerius certus,
L. Valerio, Lucino
filio Pientissimo,
fecerunt.

75. Iacobus Doublet, Abbatiæ S. Dionysij Parisiensis Tablino præfectus, in libello quem *Templum Beatorum*, *seu Vitæ Sanctorum* inscribit, 22. Iulij, Magdalenæ aduentum in Gallias Gallicè describit, & disertè affirmat.

76. Cæsar Nostradamus in historia Prouinciæ, hoc ipsum consideratè constanterque tuetur, ac sustinet: fide tamen atque autoritate, quam ementitis rebus adiungit, de Burgundionum Rege, Reginâque eius coniuge, non vtemur imprudenter, sed contemplantes mox infrà, sigillatim omnia expendemus accuratè, atque æstimabimus.

77. Et quos pene præterij, viros illos omnes, doctos ac pios in hunc ordinem & numerum adscribo, quos à Concilio Tridentino & à Summis Pontificibus Paulo IV. Pio IV. Pio V. Clemente VIII. sæpè in consilium adhibitos, & huius aliarúmque id genus controuersiarum, in Romani Breuiarij approbatione, designatos arbitros ac iudices, communi nostræ senteniæ, atque adeo veritati velificatos esse, ex Bullis, superiori cap. 15. citatis, intelleximus

78. Longum est, ac fortè non necessarium plura huius generis alia non solùm præconia, tributa Massiliensi Magdalenæ, sed etiam testimonia secundùm fidem ac religionem impertita commeminisse. Vt mirari satis, hominum vel impudentiam vel ignorantiam non possim qui obstinatè pernegant, supra ætatem Syluestri Prieratis, & ante præsumptam

reliquiarum inuentionem, quæ in Christi annum incidit, 1279. vix de scriptoribus antiquioribus vnum vllum, Magdalenæ nauigationem, & Massiliam appulsum, tenuissima quidem suspicione attigisse, neque superioribus temporibus sepulchrum eius constanti vlla fama aut hominum sermone aut traditione Ecclesiastica fuisse celebratum. Cùm dederim viros tot illustres honore ac nomine, qui eius sacra, qui ceremonias, & ipsi sanctissimè coluerunt, & nobis posteris suis prodiderunt.

CAPVT XVIII.

Vestigia & indicia certissima locorum, quæ Magdalena frequentauit in Prouincia Phocensi.

Bar. an. 44. n. 26.

1. PEtri Romam aduentum, etsi omnes ferè rerum Ecclesiasticarum veteres scriptores, & confirmarunt, & perpetuis monumentis decorarunt; id tamen illi firmamentum causæ esse putauit Baronius, si ea etiam loca adduceret, ad quæ venturus Petrus diuertit, ac nobilia quæ in eis remanserunt vestigia extolleret, quamquam traditione potius quàm scriptura firmata. Est Neapoli in Campania, percelebris memoria vbi idem Princeps Apostolorum, cùm Neapolin nauigio delatus esset, vnà cum suis Missam celebrauit. Tradunt insuper ipsum Neapoli soluentem, ventorum vi delatum esse Liburnum, indéque Pisas proximè positas conscendisse, ibique ex more incruentum sacrificium obtulisse; quem locum tantæ rei memoria celebrem, à posteris summo honore habitum esse constat. Inde verò Romam venisse, licèt in Manuscriptis, in quibus res gestæ Marci Episcopi Atinæ, narrantur, Petrum pedestri itinere Neapoli Romam profectũ esse,& Atinam ad Marcum gentilem suum Galilæum hominem diuertisse,scriptum habeatur. Magdalenæ aduentus reperiuntur in Prouincia Phocensi vestigia, & indicia certissima, traditione simul, & scriptura firmata, nec pressa leuiter ad exigui prædicationem temporis, sed fixa ad memoriam omnium sempiternam: adeo vt nec cuiusuis perfrictæ frontis homo petulans & audax eorum qui hoc sæculo vel ante sæculum nostrum vixerunt, ausus fuerit de eorum sanctitate ac religione vel leuiter quidem dubitationem mouere.

§. I.

Massilia, quæ extant?

MAssiliæ Cœnobium est S. Victoris, ex antiquitate, virtute, doctrina non solùm nobile, sed etiam notum, cuius excitandi,

di, & eo vrbis loco imprimis construendi, hæc causa fuit.

Portum olim habebat Ciuitas, in summo montis colle, non multùm à mari eminens, ad ipsius collis radicem, quæ Borealem plagam respicit, magni nominis Emporium, & mercimoniorum copia celebre, & opulentum: in angulo altero quasi Meridionali, tractus est maris angustus, plures in continentem passus excurrens, scopulosus & salebris ac syrtibus aliàs frequens locus, nunc ex arte, in commodissimi portus ostium aditúmque proiectus, vrbi simul ac monti aduerso interiicitur, qui non tam naturæ quàm incolatum culpa opaci nemoris asperitate, & virgultis inter se implicitis, continenti densáque arborum nube, desertus ferebatur à plebe, atque à cultura hominum. Eleganter copioséque describit Poëta in sua Pharsalia.

Lucus erat longo numquam violatus ab æuo. Lucanus lib. 3.
Obscurum cingens connexis aëra ramis,
Et gelidas altè summotis solibus vmbras.
Hunc non ruricolæ Panes, nemorúmque potentes
Siluani, nymphæque tenent, sed barbara ritu
Sacra Deum, structæ diris altaribus aræ
Omnisque humanis lustrata cubilibus arbor.
Si qua fidem meruit superos mirata vetustas.
Illis & volucres metuunt insistere ramis,
Et lustris recubare feræ: nec ventus in illas
Incubuit syluas, excussáque nubibus atris
Fulgura, non vllis frondem præbentibus auris.
Arboribus suus horror inest, tum plurima nigris
Fontibus vnda cadit, simulachráque mœsta Deorum
Arte carent, cæsisque extant informia truncis.
Ipse situs, putrisque facit iam robore pallor
Attonitos, non vulgatis sacrata figuris
Numina sic metuunt: tantùm terroribus addit
Quos timeant non nosse deos, &c.

3. Tangit priscorum Gallorum in venerandis Lucis superstitionem, & Cæsaris in eis contemnendis audaciam. Cùm igitur Magdalena, ab eo die, quo cum cæteris Christi discipulis Massiliam appulsa, locum illum siue lucum suburbanum, in cuius speculam syluestribus sepibus densam, solitudinis cupida secedebat, frequentare cœpisset: Massilienses quasi nascentis fidei suæ ac pietatis Christianæ incunabula, singulari religione semper coluerunt. Ibidémque, Magdalena demortua, in monumentum rei gestæ, ac vetustatis exemplum, aram & ædiculam sub saxo sacro dedicarunt, quæ etiam nunc visitur, in Ecclesiæ S. Victoris hypogæo. Fuit ille, loci venerationis quasi ortus, ac deinceps quædam veluti adolescentia, quam dicere possumus anno circiter Domini 140. adeptum esse, cum Antonino Pio Augusto, Dei Ecclesia erigere animum, & respirare à tyrannorum metu visa est. Ioannes deinde Cassianus S. Chrysostomi discipulus ac Diaconus,

conus, Constantinopoli secedens, vt se à turbis Aulæ Constantinopolitanæ, hominúmque frequentia tolleret, & in solitudinem vspiam collocaret, Massiliam iter intendit, quò vt primum peruenit, in suburbana Magdalenæ sacra æde atque Eremo, suam sedem statuens, plurimùm dignitatis huic loco adiecit, ibique piis aliquot, & religiosiis viris adscriptus Monasticam disciplinam ita coluit, vt mirum in modum promouerit, & auxerit. Nam præter occultam quamdam vim, interiúsque subsidium, quo Deus continenter in contubernalium voluntates influebat, eos in suscepto vitæ instituto corroborans atque confirmans; Cassiano insuper tam aptas ad eos erudiendos vias rationésque suggessit, vt nemo miretur talem ac tantam prodiisse sobolem, quam genuit, qui, quo spiritu genuerit, inuestiget. Neque his ædium angustiis latuit circumscripta, crescebat enim & vndique se prodebat eius sanctitas, totique iam elucebat vrbi & in ore Massiliensium omnium erat. Vix tandem arcana sui pectoris, præceptámque olim Cœnobij ibidem inchoandi condendíque sententiam aperuerat, tum vt sacra illa Magdalenæ Massiliensis aduenæ vestigia, honoribus amplioribus decoraret; tum vt finitimis populis Monasticæ disciplinæ fontes aperiret atque etiam itinera ipsa demonstraret: cùm pia mens hominis mira discipulorum suorum omnium consensione probata est, & tanquam diuturnis expetita votis, sine cunctatione suscepta. Constat sanè breui variis in domibus circumquaque, modico interuallo disiunctis, ad quinque millia discipulorum habuisse, qui ipsius quasi Generalis sapientia, & consiliis ac D. Magdalenæ, in singularem loci atque vniuersi Ordinis patronam cooptatæ, tutelâ ac præsidio nitebantur.

Huius certissimæ traditionis apertè commeminit Benedictus, Romani nominis Pontifex nonus, in Diplomate de iterata Dedicatione reparatæ huius Ecclesiæ S. Victoris Massiliensis.

4. *Superna Diuinitatis potentia, sicut nullo humanitatis ingenio in sua stabilitatis substantia, vt est, comprehendi potest, ita nec vllius pro exili sagacitate, in disponendis rerum ordinationibus inuestigari valet. Quippe qui omnibus creatis vita vigentibus, cum motione suum quoque ingenium attribuit, etsi dissimile, & excogitatu incomprehensibile; tam prominenti humana conditioni quantò chariori, tantò potiorem sui cogitationem dedit, & mirabili facilitate sua diuinitatis compotem, quadam perpetuitate donauit. Hoc in auspiciis creationum quibusdam claruit, quos & vita integritas, & morum æquitas immaculatos reddiderunt, etsi carne corruptibiles, spiritu tamen victuros sua perpetuitati coniunxit. Sed in variis temporum successionibus omnipotentis Dei nutu, continentia creuit diuersa conditio, & qua suâ sponte seruando sincera protulerant, hac illorum posteritati sunt praceptis iniuncta legalibus, & vnde parens assumit victuro spiritui premium peroptatum, inde transgressor emeritum detrimentum. Pracipuum namque hactenus bonum necdum legibus humana percurrentibus inditum habebatur, quo ad cumulum perfectionis quispiam duceretur. Hoc mira prouidentia mirus opifex per verbum monstrandum, vt speciale bonum elegit, quod quantò attentius astutiúsque perstringitur, tantò sua perfectionis priuilegio prapollens*

præpollens sublimatur. Hoc verò nominari, quod Deus est charitas, promeretur, in qua legum omnium extat supplementum, si summa mentis auiditate seruetur. Hanc Dominus noster Iesus Christus creator, & Redemptor effici in dilectione inimicorum, & orando pro persecutoribus docuit, cùm pendens in cruce dixit, Pater ignosce illis. Hanc Stephanus, primus post Christum, post quem chorus Apostolorum seruandam omni seculo intimauit, hanc vniuersalis Ecclesia per totum orbem diffusa, debere seruari prædicat. Hac videlicet charitate, initio suæ ostensionis, Ecclesia initium sumpserunt, sicque Apostolicalis electio, & discipulorum plena charitate successio, singulas per mundum muniuit ciuitates Ecclesiarum præsidio, suæ benedictionis firmatarum subsidio, in quibus fidei argumentum posteritas capiat, & abrenuntiatio stabilitatem, continuata communione viuendi. Sed quæ diuersis Dei beneficiis prælecta, nullam habendo maculam, filios adoptatos Spiritus sancti gratia, in largum benignitatis sinum innumeros colligit; hæc in diuersis mundi partibus diuersis infestationibus inimici, aliquando iacturam incurrit, & nisi Dei suffragetur auxilium, non eruitur à præcipitio. Hac de causa promoti summi Antistites Ecclesiarum, & Abbates Cœnobiorum diligenti cura solliciti, præuenire damna, impulsu precum, ac instantia orationum debemus vt quibus iure custodia commissa debetur, Domino iuuante seruetur.

Denique sancitum esse à sanctissimis Ecclesiæ rectoribus perhibetur, quo statu, quáue institutione sancti Martyris Victoris Ecclesia permanere consueuit, quæ sine rugâ immaculato thoro huc vsque sedulò viguit, & sponsum Christum viâ immaculata, castóque vestigio sequuta est. Hæc est denique æterni sponsi aula, quæ ita claruit Apostolica benedictione, atque omnium peccaminum labis absolutione, ceu vniuersalis Romana Ecclesia clauigeri Petri, & ideo secunda Roma legitur esse: quod ne obliuioni daretur futuris temporibus, hactenus impressum antiquis marmoribus continetur. Hac diligentia muniendum censuimus, prædicti Martyris Monasterium apud Massiliensem vrbem, tempore Antonini Imperatoris fundatum, quod postea à Beato Cassiano Abbate constitutum eodem rogante, vt fertur à maioribus natu, à Beatissimo Leone Romanæ sedis Antistite consecratum, & eius Apostolica benedictione atque autoritate sublimatum: in quo maiorem constituentes Ecclesiam in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Apostolorum aliámque in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctíque Ioannis Baptistæ, multorum Sanctorum collatis pignoribus conseruatur quod multis ditatum honoribus, & præceptis decoratum Imperialibus, videlicet Pipini, Caroli, Ludouici, & Lotharij Regum Francorum, necnon passionibus SS. Martyrum Victoris & sociorum eius, sed & aliorum specialiter duorum Hermetis & Adriani, sed & sancti Lazari à Christo Iesu resuscitati, ac Sanctorum Innocentium, quin imo innumerabilium aliorum sanctorum Martyrum & Confessorum sanctarúmque Virginum, plurimorum sacrorum voluminum testimonia produnt. Nam & in his Occiduis partibus ad Monachorum profectum, & regularem tramitem, Cassianus hinc primus emicuit, ad promulgandam circumquaque Monachorum legem: quodque Monasterium ita in amore Christi sponsi ambiens perdurauit, vt in omnem terram sonus eius exiret & in fines orbis terræ eius doctrina, vt lucerna fulgens luceret. Cúmque diutius in tanti amoris matrimo-

nio perdurasset, omissa prole sancta nobilitatis de vagina Vandalorum callidus exactor educitur, quod necare antiqui serpentis framea corrupta velle disponit, hoc extincto sobolúmque flore, omissa viduitatis lacryma, flebile, & infelix nimióque senio consumptum permansit. Post nempe multorum annorum curricula temporibus Romanæ sedis Amistitis, Ioannis 19. claruit sacris virtutibus VVifredus Abbas loci director, quise mundo crucifixit, & mundum sibi. Hic ergo has ædes condens miris doctrinis dilatauit, velle necnon posse Vicecomitum, seu egregij Præsulis Massiliensis; post cuius verò obitum Isarnus sumpsit ad regendum Cœnobium, vt eius merito floreret in sæculum per quod Cœnobiale studium nostris in partibus accepit initium.

Hoc igitur à prædecessoribus nostris statutum, Ego Benedictus sanctæ sedis Romanæ Ecclesiæ Apostolicus, & Raiambaldus Arelatensis appellatus Trophimi Vicarius, cæterique præsules Galliarum, Pontius videlicet Massiliensis, cuius tuitione, & patrimonio prædicta consistit Ecclesia, & Leodegarius Archiepiscopus Viennensis, Pontius Valentinensis, & Vdelricus Tricastrensis, Franco Carpentoractensis, & Benedictus Auenionensis, Petrus Aquensis, & Clemens Caualliceensis, Stephanus Aptensis, & Petrus Vasionensis, Hismido Archiepiscopus Ebredunensis, & Feraldus Vapincensis, Petrus Sistaricensis, & Hugo Digniensis, Bertrannus Regiensis, & Anselmus Foroiuliensis, Deodatus Tolonensis, & Eldebertus Antipolensis, Durandus Venciensis, & Nectardus Niciensis, Amelius Senecensis, & Pontius Glandatensis cum omni Clero nobis commisso, necnon Abbatum ac Monachorum caterua, qui in vinea Patris familiæ denario beata remunerationis laboraturi intrauimus, portato pondere diei & æstus, ac Clericorum plurimorum diuersorum graduum fideliúmque Christianorum vtriusque sexus, ferè decem millium, ad eius Thalamum reparandum venimus, & impenetrabili munitione firmamus, & sanctificatum testamur, precibus iam dicti Pastoris Isarni necnon Vicecomitum VVillelmi, & Fulconis, in idipsum assensum præbentibus Principibus Gaufredo, & Bertranno cum totius Prouinciæ nobilibus, credentes saluatoris dictum dicentis: [v]bi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum: & quodcum[que] petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Igitur in vnum congregati trifida be[n]edictione, Apostolico priuilegio prædictam Ecclesiam sanctificamus, atque in pristino absolutionis decore ponimus, quo omnis pœnitens qui ad eius limina tritis passibus venerit, Ecclesiæ fores sibi pateant, & indultis facinoribus peccaminum; omnium criminum squaloribus absolutus liberè redeat ad propria latus, eo scilicet tenore, vt transacta peccata Sacerdotibus confiteatur, & de reliquo emendetur.

De aduenientibus verò ad hoc Monasterium ob honorem Sanctorum, & reuerentiam loci; præcipimus, vt quicumque quempiam aduenientium, vel ibi commorantium, vel ad propria remeantium læserit, aut damnauerit in corpore, aut in aliquâ substantia, iram & maledictionem Dei, & omnium Sanctorum incurrat atque anathema Maranata, nisi ad emendationem congruam venerit infrà quadraginta dies. Si quis ergo Imperator, Rex, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Archiepiscopus, Episcopus, vel cuiuscumque qualitatis aut quantitatis persona, vtriusque sexus vndecumque venerit volens sibi vendicare aut inquietare, vel

confiscare

confiscare res supradicti Monasterij, in Ecclesiis aut locis aut agris, seu reliquis possessionibus quas moderno tempore iuste, & rationabiliter possidere videtur, in quibuslibet pagis ac territoriis, vel quidquid etiam deinceps propter diuinum amorem ibidem collatum fuerit, vllo vnquam tempore inuadere prohibemus, vetamus, & excommunicamus siue maledicimus, & in omnia secula anathematisamus: & qui præsumpserit careat regno Dei, sitque cibus æterna combustionis, & deleatur de libro viuentium, & cum iustis non scribatur. Maledictus sit velle & posse & etiam cogitatu, bibat de phiala iræ Dei, & ardeat igniuoma flamma Iudæ, & Pilati, in secula seculorum. Amen. Nisi pænitentia ductus emendare damnum studuerit, cum satisfactione, quin potius hoc Monasterium prælibatum omni ex parte tutum inuiolabile perseueret, & saluum maneat per omne æuum. Amen. Et vt hoc verius credatur, multorum nomina testium subter iussimus conscribi. Actum publicè apud Massiliam in eodem Monasterio, Idibus Octobris, Die eiusdem loci consecrationis, anno millesimo quadragesimo Dominicæ Incarnationis, Indictione octaua.

Raiambaldus Arelatensis Archiepiscopus, Petrus Archiepiscopus Aquensis, Hismido Archiepiscopus, Ebredunensis, Stephanus Episcopus Aptensis, Pontius Episcopus Massiliensis, Deodatus Episcopus Tolonensis, firmauit. Desiderius Notarius scripsit.

5. Sic Ergo ad priorem sanctimoniæ formam reuocatum Monasterium ad plurimos annos processit, & speciatim anno circiter 1365. Vrbano id nominis quinto Pontifice, vel ad miraculum vigebat, qui priùs Monachus, tum ibi Abbas, singularem demum propter vitæ sanctitatem, ad summū Pontificatum prouectus. Debet huic, plurima ex suis ornamentum, Monasterium, vt ex eius Gentilitij Scuti variis symbolis patet; debet ei maximè murum, quem ad propugnaculi speciem, turribus munitum, priori muro contiguum (vt etiamnum deprehendi potest) ædificari curauit. Facilè itaque existimem aberrasse Paradinum, & alterum eiusdem sententiæ assertorem, qui Abbatiæ restaurationem Stephano Burgundiæ Duci adscribunt. Constat equidem Burgundiæ Regem, nomine Stephanum, dum in Orientem, vnà cum Principibus Christianis, tesseraria cruce decoratus contendit, D. Andreæ crucem, quam singulari honore prosequebatur, ex Patraco Vrbe Achaiæ, ereptam istud in Monasterium, non modò iam fundatum, sed toto etiam orbe terrarum celeberrimum atque notissimum, & ab ipso maximè religioni habitum transtulisse. Verùm id rei sola traditio facit probabile.

6. Quòd attinet ad Ioannem Cassianum, extra controuersiam est, eum olim apud omnes, vt Sanctum audiisse. In veteris quippe instrumenti tabulis publicis, à Fulcone Massiliensi Procomite confectis, anno 1040. (has etiamnum in Chartulario Monasterij S. Victoris Massiliensis reperire est) qui sacellum Monasterio pene contiguum, in loco *Paradisi nomen*, etiam nunc obtinente, instaurauit, hæc ipsissima verba memini me legisse. *Idcirco verò idem locus ad portam Monasterij situs, vocatus est*

O 2 Paradisus,

Paradisus, *sicut & nos comperimus, quia multorum corporum scilicet sanctorum Martyrum, Confessorum, Virginum, eodem loco quiescentium decoratur auxiliis, & suffragatur meritis. Imo etiam verò vocatur*, Paradisus, & Porta Paradisi, *quia diebus Cassiani Sanctissimi Patris, & Doctoris eximij, institutoris eiusmodi S. Victoris Cœnobij, tanta celebritate viguit, & sanctitate floruit Apostolica, & regularis disciplinæ, ab eis Sanctis Patribus tradita, in qua continentur infinita Sanctarum animarum omnes deliciæ, vt meritò & actu & nomine vocetur*, Paradisus. Alia quoque extat donatio anni 1062. ab Adelberto, vel Alberto Episcopo Mimatensi, eidem Abbatiæ addicta. Is cum fratre Batone de Petra (de Peyre) Monasterium Chiriacum, à Monasterio Massiliensi S. Victoris dependens excitauit, anno prædicto 1062. vt Robertus affirmat in Gallia Christiana, titulo, *Mimatenses Episcopi*. Ex qua donatione hæc planè verba desumpsi. *Nam sicut audiuimus, & ex parte didicimus Cœnobium illud cùm tantæ antiquitùs nobilitatis esset, vt quinque millia Monachorum inibi habitantium Abbas, Beatus Cassianus, Doctor præclarissimus, in eo, nunc corpore quiescens, existeret, sicut in libris reperitur quos ipse composuit: cæterorum Monasteriorum in tota Gallia positorum, potiores riuuli sapientiæ, & regularis disciplinæ ordo processit*. In aliis etiam donationibus anni 1062. ab Abbate Rutenensi transactis, hæc quoque verba licet annotare. *Secum diutiùs animo voluens, & Monasteriorum Galliæ mores regulámque prospiciens, vnum ex omnibus à quo Monastica Religio institutionibus, & collationibus sanctorum Patrum, autore Sanctissimo, & meritis glorioso eiusdem Massiliensis videlicet Monasterij Patre ac fundatore Cassiano, primò nostras ad partes promulgata processit, qui hactenus, Domino propitio, floret, ac regulari districtione pollet*. Sed de his iterum, atque id genus aliis, pro vindicanda Cassiani sanctitate, grauissimè, copiosissiméque in nostra Historia temporum, quibus illuxit Ecclesiæ idem S. Ioannes Cassianus quam prope diem edere in publicum constituimus.

7. Alterum visitur Massiliæ sacellum, Magdalenæ dicatum, non procul ab Episcopalis Cathedræ templo sanctæ Mariæ Maioris monumentum, quod positum est, & in angiportu ac medio vico constructum, vt esset indicium Concionum, quas in eo haberet Magdalena populo Massiliensi de Christiana Religione, cùm sacrificia gentilia illo ipso in vicino templo, ad aram Ephesinæ Dianæ, statuto loco, anniuersaria factitassent. Quænam enim totius ciuitatis facies fuit, antequàm sancti aduenirent coloni, cum Magdalena ex Palæstino solo? quàm inculta, quàm horrida, quàm nemorosa? quanta in rebus diuinis caligo? quàm aspera vitiorum senticeta? quanta turpitudinum mephitis? quanta hominum carnificina? Libabatur Apollini, etiam ex instituto Phocensium, humano sanguine. Quàm multi infantes, vt piaculares hostiæ, aram Iouis cruore suo aspetserunt, & vt Ephesinæ Dianæ numen propitiaretur. Quàm multi odoramentorum suffitus variis, & fictilibus diis, imò dæmonibus euaporati in ipso templo quod ab Idolorum vestigiis expiatum, & profligata impietate vero Numini consecratum, nunc religioni habetur,

veterum

veterum literis est vsitatius. De sermonibus Magdalenæ meminit Vincentius Bellouacensis in speculo historiali, nec siluit Antoninus ex Actis eiusdem, quæ sic habent. *Et egredientes naui Massiliam ingressi sunt, vbi cùm nullos qui eos hospitio recipere vellent, inuenissent, sub quadam porticu prope gentis huius fanum constituta, coacti sunt morari. Cùm autem B. Magdalena populum ad illud fanum confluere videret, idolis immolaturum, assurgens vultu placido, serena facie, lingua diserta eos ab Idolorum cultura nitebatur abducere. Christúmque constanti animo prædicabat, & admirati sunt vniuersi præ specie, præ facundia, præ dulcedine eloquentiæ illius. Princeps quoque Prouinciæ cum vxore ad fanum immolaturus venerat, pro sobole habenda, cui magna constantia Magdalena, ne idolis, sed vero Deo sacra faceret persuasit. Nec mirum, si os, quod tam pia & tam pulchra pedibus Saluatoris infixerat oscula, cæteris ampliùs, verbis Dei spiraret odorem.* Vincen. lib. 9. spec. Ant. p. 1 tit. 6. c. 9. §. 1

§. II.

Quæ præterea in Oppidano Massiliæ territorio.

8. AQuælatæ siue Aquilegium (vulgò Aigalades) solitudo est peruetus, in oppidano Massiliæ territorio. Locus olim in media Syluа maximè opacus, & frigidus, saxis penè fixus asperis, & rupi continens atque adiunctus. Adde ductus aquarum, deriuationes fontium, agrorum irrigationes. Illuc Magdalena identidem digressa, dum consultò, adhuc se proferret in publicum, & ciuitates propiùs atque oppida moraretur, vt proximis quoque esset vtilis, & fructuosa, non immemor, *Dei animam ducentis in solitudinem, & ibi loquentis ad cor eius*, se de turba & à subselliis, in otium solitudinémque conferebat. Quæ maioribus nostris iustissima causa visa est, ad hanc inaugurandam religione palæstram, & Magdalenæ sacello & statua, ne suauissimæ mulieris memoria moreretur, consecrandam. MS. Arelatense siue oppidi Trium Mariarum, de quo aliàs cap. 16. firmum mihi, & graue vulgaris huius traditionis testimonium dedit, vbi de Magdalenæ rebus gestis, in hunc modum *Haud ita multò post Auenionem D. Martha, Christianæ veritatis lumen attulit. Indéque se Tarascum contulit, vbi cùm durissimam aliquandiu vitam, ritu ferè Monastico exegisset, abiit è vita. Magdalena sororis exemplum sequuta, ad locum (quem hodie vulgus Aigalades vocat) duobus ab vrbe Massilia milliaribus distantem, contendit. Inde Massiliam Christi fidem inuexit, populoque Massiliensi ad Dei cultum traducto, ad sacra prærupta rupis culmina euasit, vbi post asperrimam triginta annorum vitam, beatissimam efflauit animam.*

9. Similis deinceps causa fuit sanctissimis Patribus Carmelitis, qui Palæstina eiecti, ab irruentibus Sarracenis in varias Europæ Prouincias dispersi ac dissipati sunt. Ex his, alij in Italiam, in Cyprum alij, alij in Angliam, alij aliò digressi. Non pauci in Galliam, traducti anno circiter

post Christum natum 1242. cùm Massiliam appulissent, hanc Magdalenæ celebrem Aquælatensem Eremum, peropportunam sibi sedem domicilij & Ecclesiæ delegerunt, quæ prima omnium Carmelitani Ordinis in Gallia B. Virgini dicata fuit. Ex hac enim quasi vna radice, auspiciis Magdalenæ, variæ prodiere propagines variarum familiarum, in Narbonensi Prouincia, Aquitania, & Hispania, quæ idem Carmelitani Ordinis institutum complexæ, mirum in modum rei Monasticæ laudem, & Christi nomen, & vniuersæ amplitudinem Ecclesiæ, præclarissimis tum præceptis, tum vitæ exemplis illustrarunt. Scribit hoc luculenter Guillelmus de Samnico in Chronicis Carmelitanis. *De multiplicatione Religionis Carmelitarum per Prouincias Syria, & Europa & de perditione Monasteriorum terra Sancta*, his verbis. *Prior itaque Monasterii montis Carmeli, attentis rationibus istis, & considerata persecutione quam in terra sancta pagani inferebant huic Religioni assiduè: admonitus à B. Maria in Somniis, licentiam aliquibus fratribus concessit, terram sanctam deserendi, & ad proprias regiones redeundi, illicque Monasteria huius religionis ædificandi. Anno ergo Domini* 1238. *aliqui ex dictis fratribus natione Cyprii, ad insulam Cypri transfretarunt, alij verò natione Siculi ad insulam Sicilia nauigarunt, quidam autem natione Prouinciales apud Massiliam, ciuitatem Prouincia applicuerunt. Qui omnes hac intentione terram sanctam deserebant, & ad illas regiones accedebant, vt religionem istam in illis regionibus nouiter plantarent. Igitur qui ad Cyprum transfretarant, mansionem huic Religioni congruam in Eremo Forcania construxerunt. Qui verò ad Siciliam nauigarant habitationem huic Religioni commodam in Suburbanis Messana erexerunt, sed illi qui apud Massiliam applicuerant, domum isti religioni opportunam in Eremo Aquelatarum, distanti per vnam leucam à Massilia ædificarunt.* De his item apud Ioannem Paleonydorum inculcata reperies multa, lib. de origine, & processu Ordinis Carmelitarum *Hinc post prædictorum* inquit *Pontificum confirmationem, Fratres Ordinis Carmelitarum dum in diuersis Europa partibus fuissent multiplicati, præsertim* in Eremo Aquilegiensi *apud Massiliam, in Auenione quoque, & in Arelata & in pluribus aliis locis per deuotorum fidelium subsidia Monasteriis fundatis, plures Ecclesiarum prælati, diuersas eis molestias intulerunt.* Ioannes item Grossi Magister Generalis 19. *In suo Viridario de Rectoribus Ordinis Carmelitarum* idem affirmat de Eremo Aquilegiensi. *Sextus Prior Generalis fuit Frater Simon Stoch natione Anglicus, qui anno Domini* 1200. *tempore Innocentij Papa Tertij, anno eius tertio, incœpit regere Ordinem quem rexit laudabiliter quinquaginta annis, & in ætate centum annorum obiit, multis clarus miraculis in vita, & in morte, sepultúsque in conuentu Burdegalensi. Tempore illius Sancti Simonis, sanctus Ludouicus Rex Francia duxit Fratres de Monte Carmelo in Franciam, & aliqui magis perfecti non obstante paganorum sæuitia, ibidem remanserunt, & primum conuentum fecerunt iuxta Marsiliam, scilicet in* Aquelatis.

Guil. de Samnico lib. de multip. Relig. Carm. c. 3. & 4.

Paleonyd. lib. 3. de orig. & processu Ord. c. 5. & lib. c. 6.

Ioan. Grossi in Virida. Clau 21.

10. Pro facultate verò ædificandi circa idem tempus, Conuentum eiusdem ordinis Massiliensem, habui ex conuentu Aquensi Carmelitarum MS.

M S. in fulio, membranaceum, charactere vetusto, & pluribus locis vsu exhausto, vel carie consumpto. Recito sententias, quæ supersunt, totidem verbis.

*In nomine Domini Iesu Christi. Amen. Litera sigillo pendenti sigillata, Reuerendi Patris Ioannis R. diuina prouidentia * est in sequente de verbo ad verbum: * omnibus tam præsentibus quàm futuris quod nos R. * in Pergameno scriptam non aduersam * Episcopus Religioso viro Fratri Ioanni de Podio Priori fratrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, * & dicto Ordini construendi oratorium, seu capellam vbi commodè * atque ibidem solemniter diuina officia celebrandi liberam, & plenariam de voluntate, & assensu fratrum nostrorum Canonicorum concedimus potestatem, in cuius rei testimonium, & firmitatem sigillo nostro duximus sigillandas. Datum Massiliæ 10. Calendas Iunij, an. Dom. M.CC. VII. * Religiosi viri fratris Benedicti de Aliniaco / * dictam capellam vbi nunc sunt, exstruendi, ampliandi & augmentandi, secundùm quod eisdem ad * videbitur expedire ad supradicto rum fidei firmitatem, sigilli nostri impressionem dictam permissionem communire, datum. * M.CC.XXIX. Indictione octaua XIV. Calendas Iulij * hoc præsens transcriptum sumpsi & extraxi de autentico, & originali non cancellato Prioris Ordinis Philiberti præsentis, & mandato discreti viri Domini Guillelmi Philiberti, anno Domini millesimo trecentesimo sexto, indictione quinta, duodecimo Cal. Decembris, * notariorum * testium ad hoc specialiter vocatorum ac rogatorum, publicis instrumentis à me confectis huic apposui publicationi.*

Quis verò Episcopus Massiliensis hanc facultatem indulserit, tantummodò coniectura ducor ad suspicandum, ex nominis symbolo, fuisse Raymundum IV. seu proximum eius decessorem Reynerium, quos varij Elenchi Episcoporum Massiliensium, in hunc temporis ordinem & annorum numerum referunt.

§. III.

In Eremo sanctæ Balmæ.

11. IN eodem genere est, etiam vasta illa præcelsi montis, qui hodie mons Sancta Balma nominatur, & in altitudinem passuum ferè trium millium erigitur, spelunca vbi Magdalena orationi assueta, & pedibus Domini, fixo domicilio triginta reliquos vitæ annos traduxerat, ab omni hominum consuetudine disiuncta, quotidiéque per id tempus ad audiendas cœlestium laudes in altum ab Angelis elata, vt optima parte contemplandæ beatitudinis quam elegerat, frueretur. Quod enim ab vsu antiquo supra quem meminisse possint vlli mortales, omnis omnium Christianorum concursus, religionis causa illuc vndique fiat, quódque religiosæ familiæ, primò Massiliensium Monachorum Cassianitarum anno circiter 500. postea Dominicanorum anno 1279. ibidem pœnitentiæ ac domicilij sedem sibi delegerint, non aliunde repetenda tam insolentis atque odiosæ propter locorum asperitatem, deliberationis principia, quàm à Diuæ Magdalenæ,

Magdalenæ, in ea montium prærupta Saxa, & interclusi aditus salebras, miraculoso accessu, quæ cùm in illis aliquandiu fuisset commorata miram erga illum locum venerationem, vel posteris ipsis inspirauit. In eum autem potius locum secesserat Magdalena, quod annosis, & vt plurimum densis arboribus stipatus, ad vitam contemplationi deditam conducere videretur, cuius rei singularem fidem faciunt Cœlo missa oracula ex Manuscripto Syluestri Pricratis quæ mox proferentur.

12. Ecquis enim suum in animum induceret, sterilem planè, & inaccessum montem, quin & inopia rerum omnium laborantem, ad ædificandum, Christianos elegisse, nisi peculiari aliqua ratione, aut singularis sanctitatis, & religionis vestigio, ad id fuissent incitati. Inde ergo factum, vt facilè quisque sibi persuadeat, quod immemorialis traditio docet, id ædificij ac venerationis, sanctissimæ pœnitentis memoriæ, sua debere principia, cùm à ratione prorsus videatur alienum, in tanto Christianorum feruore, ad tempora vsque Caroli Siciliæ Regis, cuius de sententia illa eadem loci religio renouata atque instaurata celebratur, ne sacellũ quidem ibi olim fuisse extructum, aut effigiem, simulachrúmque Magdalenæ collocatum, à quo deinceps ille celebris Monachorum Sanctæ Balmæ Conuentus, suum duxerit initium. Mihi certè constat signatis tabulis, Generalis capituli, Massiliæ coacti, in Monasterio principe S. Victoris recitari canones, quibus Moniales Artacellæ, & S. Zachariæ Ordinis S. Cassiani, tempore diuini officij, familiari congressu, & colloquio Laicorum, ignara nec opinante Antistita interdicuntur. Scriptionis edito anno 1062. Penetrasse verò Monachos Cassianitas in speluncæ superioris, Balmæ Eremum quando in ima rupe adiacentem sedem fixerunt Moniales sancti Zachariæ, iam habuimus demonstratum.

§. IV.

Sanmaximini.

13. Similis propemodum ortus ac progressus fuit celeberrimi atque amplissimi Cœnobij Sanmaximinensis. Huic initium dedit S. Maximinus, qui solitudinis cupidus, ac secessu interdum quæsito à publicis occupationibus, vt proximè ad Deum accederet, quàm longissimè à cœtu hominum recederet, eum sibi maximè locum (Villam Laiam veteres appellabant) delegit, quòd desertus à plebe, & cultura hominum, viáque inculta, & interclusa frondibus, & virgultis ad vitam contemplationi deditam conduceret. Ibi qualecunque nactus diuersoriolum, aram & sacellum extruxit, ex quo viuus ac præsens sacris operaretur ac demortuo tandem sepulchri locum, & modum finiret. Illud certum est, Magdalenæ cineres atque ossa, Aquissextiis, vbi mortem obierat, illuc ad sepulturam transtulisse S. Maximinum. Quæ tum non modò occasio, sed etiam causa Cœnobij construendi fuit iam olim Monachis Massiliensibus S. Cassiani

siani, vt supradictum est, ad sanctissimæ mulieris memoriam, honore reliquiarum, & religiosæ vitæ officiis posteritati consecrandam, sic enim legimus apud Vincentium Bellouacensem, & alibi in eius Actis. *Cuius sacrum corpus B. Maximinus assumens diuersis conditum aromatibus in honorifico collocauit Mausoleo, construens super ea membra beata, mirabilis architecturæ Basilicam. Monstratur autem sepulchrum eius ex candido marmore factum, & sculptum in ipso qualiter ad Dominum, in domum Simonis venerit, & officium humilitatis, vnguentique, ei inter conuiuantes flere non erubescens, obtulerit.* Claudius de Rota in Legendis SS. Corpus, inquit, mirum suauitatis odorem exhalans condiri iussit aromatibus, honorificéque funera exequutus est, voluitque post mortem suam iuxta B. Magdalenæ tumulum sepeliri B. Maximinus. Similiter Eisingrenius de Summis Pontificibus: S. Maximinus primus Aquensis Antistes consecratus est, anno Christi 46. Tiberio Claudio Cæsare Augusto Germanico, & sedit annis 40. Obiit 6. Idus Iunij ann. Saluatoris 86. Imp. Cæs. Flauio Domitiano August. Germanico, sepultus in vrbe sua, in monumento quod ipse sibi construxerat iuxta corpus sibi concreditæ Magdalenæ. Et alibi *de Martyribus Galliæ* Titulo *Aquenses*. S. Maximinus vnus ex 72. Christi discipulis, primus Aquensis constitutus est Episcopus, vbi verbo prædicationis vacans, & miraculis coruscans, in Christo quieuit, sepultus in monumento quod sibi construxerat ante sacrum Altare, iuxta corpus Magdalenæ. Idque ex quodam Breuiarij loco ad vsum Ecclesiæ Aquensis intelligi potest, vbi de sancto Maximino ait.

Vincent. lib. 9. speculi, c. 9.

Eising. centen. 1. par. 1. dist. 1.

Eisingr. cent. 1. p. dist. 3.

Prope tumulum Complicis
Ponunt, sicut præceperat,
Corpus sancti Pontificis,
Vbi signis exuberat.

14. Quòd autem vtriusque sacra Lipsana, tum Maximini, tum Magdalenæ in eo sacello diuinitus inuenta, atque adeò, vel illic humata, vel aliunde traducta fuerint, apertè declarat Bernardus Guidonis Episcopus in M S. Auenionensi suprà laudato. *Carolus*, inquit, *Princeps deuotus filius Caroli regis tunc Comes Prouinciæ, postmodum Rex Siciliæ, Corpus S. Mariæ Magdalenæ perquisiuit tam sollicitè, quàm deuotè in illo sancto Oratorio in quo S. Maximinus Prothopræsul Aquensis eam tradidit sepulturæ prout in gestis vtriusque latiùs continetur, quod Oratorium, est in villa quæ ab ipso denominatur Pontifice. S. dicitur Maximinus, in Aquensi Diœcesi.* Idem etiam imprimis ad huius traditionis ac venerationis exaggerãdam certitudinem, commemorat Bzouius, anno 1279. & Laziardus, &c. quorum verba mox proferam, in Tractatu de Inuentione reliquiarum Magdalenæ.

15 Facessat igitur, de Cœnobio Sanmaximinensi à Nouatoribus quibusdam vix admodum Catholicis, & Hæretico-proximis, excogitata recens calumnia: per summam fraudem atque malitiam PP. Dominicanos, prætextu quodam inuentionis reliquiarum S. Magdalenæ Carolum II. Siciliæ Regem, & Comitem Prouinciæ decepisse incautum, fefellisse, induxisse

xisse, vt ipsis in honorem S. Magdalenæ Cœnobium opimum, & lucu-lentum S. Maximini decerneret omnium primus instituere, quod eorum familiæ propagandæ in tota penè Gallia, quasi seminarium esset. Sic enim in aperta mendacia, & planè portenta incidere necesse est, quale imprimis existimo id velle negare, quod est in confesso apud omnes historiæ peritos. Cœnobium illud multis iam sæculis ante natum Ordinem Fratrum Prædicatorum, hoc est septingentis vel octingentis circiter annis, initium aut potius incrementum (fuerat enim à S. Maximino inchoatum olim ex parte) cœpisse à Monachis Massiliensibus S. Cassiani eo ferè tempore, vt conijcere licet, quo eiusdem Cassiani sanctitas eximia, ac Cœnobij eius Massiliensis propagatio, & soboles atque reliquorum circumquaque in Gallia Cœnobiorum fuit, anno scilicet 500. & 600. Cùm Dominicanus Ordo ab Innocentio III. Concilij Lateranensis tempore, voce approbatus, deinde etiam scriptis ab Honorio III. non fuerit, ante annum 1216. Extant verò plures Romanorum Pontificum Bullæ in Tabulario Monasterij Massiliensis S. Victoris quæ de hoc Cœnobio Sanmaximinensi Magdalenæ, & Maximini reliquiarum veneratione inclyto ac nobili memorant, ac recensent inter cæteras Ordinis S. Cassiani familias, & membra. Paschalis 2. anno 1114. Innocentij II. anno 1136. Honorij III. anno 1218. qui sibi præluxisse aiunt in hoc testimonio Bullas antecessorum suorum Gregorij VII. anno 1018. & Vrbani II. anno 1095. Præterea quod absurdissimum, & iniuriosissimum est, viros grauissimos atque doctissimos, ex familia Ordinis Prædicatorum, in Ecclesia Dei, sanctitate, peritia, numero, fructúque clarissima, per errorem fortassis oppugnare compelleris, eorúmque detrahere testimoniis, & reuelationibus, aut de sinceritate eorum iudicij atque prudentiæ temerè obloqui, quasi à vero falsum discernere in re tanti momenti aut dissimularint fraudulenter, aut oscitanter ignorauerint; quorum potius dignitati, & eximiæ sapientiæ gratulari & pios actus ac venerationem sanctorum, bonis omnibus sanctam, augustam, religiosam æmulari debuisses.

§. V.

Aquis Sextiis.

16. TRaduntur Aquis Sextiis hodie haud dubia eiusdem rei argumenta. Crescente quippe in dies aduenarum donorúmque copia, cùm tantæ multitudinis quantùm angusta spatia non caperent, concursus fieret ad ædes sacras, S. Saluatoris, Episcopus Aquensis summa virorum Principum approbatione, ædificando longè ornatiori ac laxiori templo adiecerat animum. Id templum ære publico à fundamentis extructum S. Saluatoris vocatur vel veteri Sanctissimi sacelli memoria, vel nouis sanctimoniæ incrementis nobile. Et in eo ad Altaris dexteram, minoris fornicis Sacellum

Sacellum visitur, humile illud quidem pro magnitudine, sed tamen iam tum à Christianis, pene omnibus retro sæculis in monumentum Sanctorum numero venerandum ac colendum. In quo Magdalenam ab Angelis deportatam, S. Maximino sacris operanti præsentem adfuisse, & sacro Viatico ab eodem munitam, admirabili tranquillitate animam suo procreatori reddidisse, traditio à maioribus ad nos deriuata est. Quin etiam publicum inibi extat de noui templi consecratione Instrumentum perantiquum tanti miraculi ad posteros testimonium his verbis.

17. *Anno Domini 1103. Dominus Petrus Aquensis Archiepiscopus congregatis quibusdam comprouincialibus Episcopis apud Aquas Sextias, videlicet Domino Gibelino Arelatensi Archiepiscopo, & Petro Cauallicensi Episcopo, D. Berengario Foroiuliensi Episcopo, Domino Augerio Regiensi Episcopo, vnà cum Concilio Clericorum suorum videlicet Fulconis Propositi, & Hugonis Archidiaconi, Bremondi Sacristæ & Archipresbyterorum Gaufredi, & Petri & Canonicorum Hosberti, Petri, Hugonis, VVillelmi, Gerardi, & aliorum quorum nomina, timendo moras non enumeramus: statuit consecrare Ecclesiam Domini Saluatoris hic nouiter fundatam inter duas Ecclesias videlicet aduersus Septentrionem, Ecclesiam Dei Genetricis sitam; versus Meridiem verò Ecclesiam Ioannis Baptistæ positam; Oratorio quoque eiusdem Domini nostri Saluatoris versus Orientem constructo. Hanc denique consecrationem Dominus Petrus Archiepiscopus, tantorum virorum religiosorum, quorum superiùs nomina enumerauimus, autoritate muniri voluit, quatenus venerabilis Ecclesia gloriosi Saluatoris à venerabilibus viris consecrata, imposterum per infinitum venerabiliùs veneraretur.* Sed quoniam earumdem Ecclesiarum quas superiùs enumerauimus B. Maximinus, & B. Maria Magdalena primi fundatores extiterunt, in eadem Ecclesia Saluatoris à supradictis religiosissimis viris in honore B. Maximini & B.M.Magdalenæ Altare dedicatum est, *cuius consecrationem in hac præsenti pagina describimus, videlicet 7. Idus Augusti, quatenus futuris temporibus absque vlla dubitatione in Ecclesia illa, dies ista celebris annuatim celebretur &c.*

18. Petrus is fuit Archiepiscopus Aquensis huius nominis secundus, cui Paschalis 2. anno quarto Pontificatus, pallium misit, vt pro tantis eius in Christianam Rempublicam meritis honores ei haberet, gratiámque referret. Ecclesia verò Dei Genitricis ad Septentrionem sita, de qua commeminit Instrumentum, illa ipsa nunc est cui adiectæ sunt ampliores ædes, Patrum Cappucinorum hospitio destinatæ, quibus deinde Nosocomium ac diuersorium pauperum peregrinorum accessit. Aliam S. Ioannis Baptistæ, versus Meridiem positam, Equestre beneficium esse aiunt, & Melitensis Ordinis templum suburbanum. Oratorium eiusdem Domini nostri Saluatoris versus Orientem constructum, istud ipsum est, vt suprà ostendimus, quod suis non modò stare primis vestigiis, sed magnifico etiam circumdari templo maiores nostri voluerunt, siue monimentum ad posteros, ibi olim à Maximino Magdalenam sacra Eucharistia impertitam obdormiuisse in Domino, siue pietatis erga Christum humanæ salutis

 vindicem

vindicem, clarum & exornatum trophæum. Nec dubia res de obitu Magdalenæ, cùm enim ex eius vitæ Actis passim apud omnes liquidò constet, Maximinum Episcopum ac Clerum Aquensem priuatis exequiis, & fusis lachrimis præstandum defunctæ exequium piè soluisse: temerè, & imprudenter alibi mortuam diceres, vnde Clerus & Episcopus longissimè abessent. Legendus Bernardus Guidonis in MS. citato, & Vincentius Bellouacensis, & Acta quorum omnis orationis huius fons est narratio.

Vincent. lib. 9. speculi c. 103.

§. VI.

Auenione.

19. Adiungo prioribus, aliquot etiam Marthæ & aliorum vestigia, qui cùm eadem vehantur naui, ita sibi cohærent, vt sine interitu ac naufragio communi, nec diuelli à se inuicem, nec distrahi possint. Auenione, vbi primùm Martha ad prædicandum Christi Euangelium delata consedit, haud obscura virtutum eius miraculorúmque patent vestigia; quippe areola domicilij, quod occupauetat, in Sacellum perangustum, tectóque modico insigne excitata, hodie religionis ergo à multis visitur; à pluribus etiam forte videretur, nisi vulgo pene ignotus esset locus, aut ad eum aditus, vt plurimùm, foribus interclusus. Olim quidem, cùm esset siue ob beneficiorum eius recentiorem memoriam, siue ob religiosæ venerationis inflammatum ardentiori amore studium Christianorum, notior; adeò coli ab Auenionensibus solebat, vt nemo ferè proximum ac continens Deiparæ Virginis templum se adiisse crederet, qui non illa quoque Marthæ cellulæ vestigia sanctissima frequentasset. Sita est domus ad Orientem in supercilio excisi monticuli, non procul Pontificiarum ædium postico, & altissima turri. Illinc verò Metropolitani templi, & Collegij Canonicorum ædes amplissimæ totam fermè regionem occupant. Quæ causa fuit cur deuius omnino sit locus, atque auius, neque enim certis semitis aditur, & perito itineris duce opus est. Sed eo quoque, vt opinor, aliquod relictum esse videtur monumentum rei locíque, quòd Auenionenses diem natalem Marthæ in festis habeant, eóque vertente, quotannis prædicti Canonici, ad eius Sacellum supplicationem decernant, ibidémque frequenti ciuium concursu Sacerdotalis muneris pensum aliquod horarium, Missæque solemnia exequantur, ne tam memorandæ pietatis monumentum penitus intereat.

20. In Bullato Diplomate dato Anno salutis 1475. die 20. Februarij quo Sixtus IV. Pontifex mutata regulari forma Canonicos Dominæ à Domnis in sæculares traduxit: leguntur hæc verba. *Cùm itaque sicut accepimus, licèt Ecclesia Auenionensis Ordinis sancti Augustini, quæ inter cæteras Cathedrali,*

Cathedrales Ecclesias illarum partium claret & olim à Beata Martha Domini Iesu Christi Redemptoris hospita, ad laudem eius & gloriosæ Virginis est fundata &c. Extat Authographum in Carthophylaceo, Dominæ nostræ à Domnis, Auenione.

21. Ferunt in eadem vrbe clarissimum Cœnobium ac templum Fratrum Prædicatorum Marthæ sanctitatem & quasi diuinum quoddam opus spirare. Locus enim aut loci potius vestigium esse dicitur, in quo iuuenem quemdam, Auenionem proximè, in fluuio submersum & defunctum, vitæ restituit ac saluti. Testes habeo non paucos spectatissimæ fidei & religionis, sanctum Vincentium Ferrarium, qui Auenione præsens aderat, eo ferè tempore quo in recenti fundatione eiusdem Monasterij hoc visentibus aut dicentibus miraculo erat. *Post hoc inquit, Auenionem iuit Martha, & cum prædicasset ibi, in magna quadam platea,* vbi est nunc Conuentus Prædicatorum, *quidam iuuenis infidelis volens venire ad sermonem, sine naui, natando voluit transire Rhodanum, & submersus fuit & post quatr duum inuentus est. B. Martha suscitauit eum, deuote orando Iesum Christum, quod sicut ipse voluit suscitare Lazarum fratrem suum, ita vellet suscitare illum iuuenem.* Idem firmant autoritate Antoninus, Eisingrenius, Ioannes Maldonatus, Claudius à Rota, & Codex MS. Auenionensis in vita S. Marthæ, in capite, *Quomodo mortuum suscitauit*, Sed omnium copiosissimè Bernardus Guidonis Episcopus, qui Auenione scripsit. Hæc eius sunt concepta verba. *Igitur cum S. Martha apud Auenionem ante fores vrbis in quodam loco amœno inter fluuij Rhodani ripam & vrbem prædicaret, infirmos sibi oblatos sanaret. Ecce quidam iuuenis, qui erat vltra fluuium, videns citra, gentium cateruas audientes eam, animatus eam videre, & audire, nauigio carens, fluuium transmeare cupiens, nudatus natare cœpit, qui cùm iam ad medium aluei peruenisset subito velocissimi cursu fluminis interceptus submergitur raptus in profundum. Concurrunt autem multi nec succurrunt; nam tota die illa à ciuibus quæritur non tamen reperitur. Sequenti verò die circa horam nonam, inuentum exanimati iuuenis corpus, ante pedes B. Marthæ cum luctu exponitur, mòxque illa corde compuncta, admonuit populum vt solo prostratus exoraret Deum, quatenus iuuenem dignaretur à mortuis suscitare. Sed & ipsa, iuxta defunctum, in modum crucis in oratione prosternitur, deprecans & dicens. Domine Iesu Christe, qui tua ineffabili clementia fratrem meum Lazarum dilectum tuum, olim à mortuis suscitasti, respice ad precem & ad supplicationem ancillæ tuæ, & circumstantium, vt iubeas reuerti animam in corpus istius iuuenis defuncti, quatenus præsentes & futuri videntes & audientes magnalia tua credant in te Saluatorem suum. Hac oratione completa de terra consurgens manum iuuenis apprehendit & dixit: In nomine Iesu Christi exurge à mortuis, qui statim sanus & incolumis exsurrexit & baptizatus fuit.*

S. Vinc. fer. de S. Martha.

P 3 §. VII.

§. VII.

Tarascone.

22. DE Tarascone (vel vti scribit Ptolemæus Taruscone) ad Rhodanum è regione Vindomagi, vrbis Arecomicæ, Arelatem inter & Auenionem memoratur in M S. Arelatensi suprà citato, his verbis. *Haud ita multò post Auenionem Diua Martha Christiana veritatis lumen attulit, indéque se Tarascum contulit, vbi cùm durissimam aliquandiu vitam ritu ferè Monastico exegisset abiit è vita.* Martyrologium Romanum. Tarasci in Gallia Narbonensi, Sanctæ Marthæ virginis, hospitis Saluatoris nostri & sororis B. Mariæ Magdalenæ & sancti Lazari. Quid verò ibidem præclarè gesserit ad posteritatis memoriam, habes apud Mombritium & Quiqueranum Episcopum Senecensem, inter recentiores, ex eius vitæ Actis. *At beata Martha, conuersa iam in Christi fidem reliqua fermè Prouincia Tarasconem oppidum rogata aduenit. Grassabatur ibidem horrenda magnitudinis Draco, vicinique nemoris opacitate tectus, Rhodani ripas crudeliter adeo obseruabat, vt prætervectos tam terra quàm nauigio miserrimè trucidaret. Martha verò cum oppidanis in nemus progressa, extemplo belluam obuiam habuit, semiuiuum hominem mandentem, quam subitò, oratione mitigatam, cinguloque suo alligatam, oppidani adorti lanceis peremêre. Bellua quidem, indigena nomenclatura appellabatur, Tarasca, vnde inuentum nouũ huic Oppido nomen, cùm & antea aliud haberet, multi recentiorum prodidêre, subscribitque iis hodiernus incolentium consensus. Ego verò multùm diuersus ab eo. Manifestum enim ex Strabone fit, illa nullo modo constare posse, cùm apud eumdem in eo ipso terrarum tractu, Tarasconis oppidi mentio non semel fiat. Quod verò Strabo monumenta illa sua non paulò ante Christi mortem contexuerit, nullus opinor nisi historia rudis ignorat. Crediderim ego inuisam adhuc iis gentibus belluam, indéque appellatione vacantem, ab oppido nomen traxisse.*

Mombr. To. 2. Quiqueranus 3. de laudib. Prouinciæ.

23. Vix etiam dum eo in loco consistere, animo destinarat cùm inter primas adeò curas cœpit, de sororum multarum congregando conuentu ac Monasterio construendo circumspicere, effectísque tandem iis quæ oportuit & Basilica, per Maximinum Aquensem Episcopum, in honorem Iesu Christi, eiùsque Genetricis, decimo sexto Calendas Ianuarias, deuotissimè consecrata, sempiterna se obligauit Religione. Quod de inferioris templi Tarasconensis consecratione intelligi debet. Nam ad latus maioris ianuæ templi superioris, sequentia carmina, antiquis characteribus saxo insculpta reperies.

Viginti nouies septem cum mille relapsis,
Anno postremo nobis patet Hospita Christi,
Mille ducentis transactis, minus at tribus annis,
Imbertus Præsul Rostagno Præsule secum
In prima Iunij consecrat Ecclesiam.

Ex quo patet Sanctissimæ Marthæ reliquias, quas olim propter furorem Gentilium

Gentilium celari oportuerat, & in inferioris templi Hypogæo habebantur sepositæ ac reconditæ, diuinitus inuentas esse anno 1187. Superiorem verò Ædem sacram constructam, & inauguratam fuisse anno 1197. De præsulibus quod quæritur, coniicere licet: primum illum, Imbertum fuisse cognomento De Aquetia, qui inter Archiepiscopos Arelatenses numeratur. Huic scribit Innocentius Tertius, cap. Cùm apud fidem. De sponsalibus. Quòd mutus & surdus possint matrimonium contrahere. Et in lib. 1. Epistolarum Pontificatus anno 1. Christi vero 1198. Idibus Iulij è Laterano. Qua de re agit Sotus in quarto sententiarum, & cap. *Tua fraternitati, Eodem, De sponsalibus.* Rostagnus fuit Archiepiscopus Aueniomensis. Memoratur ab Innocentio III. vt fundator alicuius domus Grandimontensis. Sotus 4. sent. distinct. 27. q. 1. Art. 3.

24. Cæterùm de obitu Marthæ pauca hæc contraxit Ioannes Maldonatus in suam Epitomen de vitis Sanctorum. Multis durauit annis Martha, precibus officiisque piis, ac carnis afflictationibus intenta. Nam & sororis animam cùm cœlos peteret viuens ipsa prospexit, mortique proxima Christum ac sororem habuit monitores, & ad diuinas epulas vocatores. Aderat hora Marthæ vitæ suprema, cùm illati Christo cruciatus ex Annalibus Lucæ proximè legerentur, ad verba: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, defixis in Crucem oculis, expirauit.

Anno 1458. Sanctissimæ Marthæ sepulchrum apertum est, eiúsque veneranda Caluitia in argenteo, crustulísque aureolis illito capite reposita, vt patet ex præscriptis ea de re Actis, quæ ex Tabulis Rerum communis status Tarasconensibus quod quisque commodissimè præcipere videbitur, fideliter excerpsimus.

Processus factus de repositione Capitis sanctæ Marthæ, Tarascone, in imaginem argenteam superauratam, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo, & die octauo Mensis Augusti.

25. *IN Nomine Domini nostri Iesu Christi Amen. Anno Incarnationis eiusdem* 1458. *die quadam Martis, intitulata octaua Mensis Augusti regnante Serenissimo, & Illustri Principe & Domino nostro Renato Dei gratia Regnorum Ierusalem & Siciliæ Rege, Ducatuum Andegauiæ, & Barri Duce, Comitatuúmque Prouinciæ & Forcalquerij, ac Pedemontis Comite fœliciter existente. Amen. Tenore huius præsentis publici processus cunctis fiat manifestum, quòd permittente diuina prouidentia, & Spiritu sancto inflammante populum Christianum, villæ Tarasconis, Auenionensis Diœcesis, qui Populus, & Vniuersitas dictæ villæ Tarasconis, moti singulari deuotione erga gloriosam Virginem Sanctam Martham, sepultam in dicta villa Tarasconis, & in Ecclesia eiusdem* quæ

qua merebatur dici Hospita Christi Saluatoris mundi, & vt caput eiusdem gloriosæ Sanctæ Marthæ, repositum in quadam parua capseta, reposita in tumulo retro altare Sanctæ Marthæ, in capella inferiori: ob reuerentiam ipsius Virginis gloriosæ Sanctæ Marthæ fieri fecerunt, vnam imaginem argenteam deauratam, & circum circa illam, vitam Sanctæ Marthæ per imagines de argento, vt oculis luculentis apparere potest, & quatuor Tarascas deferentes illud fieri fecerunt, vt cum maiori deuotione inuocari posset. Verùm quod permittente Altissimo Domino nostro, patrato dicto opere capitis, vt suprà describitur, contingit præfatum Serenissimum Dominum nostrum Regem Renatum applicare ad dictam villam Tarasconis, cum Illustrissimis Principissa Domina nostra D. Ioanna Regina Hierusalem, & Siciliæ eius consorte. Ad cuius regiam Maiestatem, ipsa Vniuersitas Tarasconis exponi fecit, per nobiles ac honorabiles viros D. Ioannem de Luperiis Legum Doctorem, & Iacobum Radulfi Scindicos dictæ villæ Tarasconis, (eisdem Dominis Scindicis, assistente Magnifico milite D. Ioanne de Sancto Michaele, D. de Bucedone, Capitaneo Castri Bauci, & totius Baroniæ & Consiliario Regio) præmissum opus argenteum fuisse patratum. Itaque solùm non remanebat nisi caput dictæ gloriosæ Virginis Marthæ releuare, & illud reponi facere in dictam imaginem argenteam, & vt digniùs fieri possit cum honore & laudibus Dei, & dictæ Sanctæ Marthæ, eamdem Regiam Maiestatem suppliciter requisiuerunt, vt in releuatione dicti capitis cum eius inclytissima Comitiua, ac Prælatis Ecclesiæ qui in talibus interesse debent, interuenire habeat, & vt veritas in futurum dicendis attestatur, & referatur, vt Christianis fideliter corpus dictæ Sanctæ Marthæ visitantibus possit affirmari, caput illud esse releuatum, & repositum in dictum opus argenteum; & dictus D. noster Rex Renatus, vt verus Christianus, habens singularem deuotionem & amorem erga dictam S. Martham, tantam Patronam dictæ suæ villæ Tarasconis: considerans caput dictæ S. Marthæ, si releuetur & reponatur in dictum opus, esse melius, quàm sicut iacet in terra prædicti tumuli; promptum & paratum se obtulit, cum omni honore, & reuerentia, quibus poterit, licèt indignum reputet, interesse releuationi dicti capitis & pro illo releuando mandare D. Cardinali de Fuxo, Auenionensi Legato, vt venire habeat, & si causans suam senectutem venire non possit delegare, & committere habeat & dignetur. Quod & illico factum extitit, paulo post continuata dicta deuotione, apud dictam villam Tarasconis se transtulit venerabilis Religiosus D. Guillelmus Morelli Canonicus & Officialis Curiæ Episcopalis Auenionensis; tanquam legatus & commissus, per dictum Cardinalem de Fuxo, & hoc, die quadam Iouis, quæ intitulatur decima dicti Mensis Augusti, qui D. Officialis & Commissarius ad releuationem dicti capitis, vnà cum suprà nominatis DD. Scindicis Tarasconis, eiusdem Domini Officialis aduentum, Illustri D. nostro Regi Renato notificauerunt, quo facto, inter dictos D. Officialem & Scindicos, ordinatum & conclusum extitit, procedere ad apertionem tumuli, vbi per releuationem eiusdem aliàs factam, quod ibi demonstratur, sepulta est dicta gloriosa S. Martha. In cuius quidem ordinationis executionem, primùm ordinatum fuit, supersedere quacumque manufactura in dicta villa Tarasconis, & hoc, voce tubæ præcedenti, quasi quidem maior pars populi Christiani, & ferè

tot-

tota gens dictæ Villæ Tarasconis, apud dictam Ecclesiam S. Marthæ se transtulit, ad videndum fieri, dictam aperturam tumuli, capútque dictæ S. Marthæ reponi in dicta imagine de argento super deaurata. Quibus sic factis, dictus Dominus Officialis, vnà cum Scindicis prænominatis, ad Capellam S. Marthæ se personaliter contulerunt, & parauerunt omnia eorum munimenta, facientia ad apertionem dicti tumuli, & ibidem statim prænominatus D. noster Rex Renatus, & dicta D. nostra Regina, vnà cum Illustribus & Magnificiis Duce, Senescallo D. Friderico de Lotaringia, Duce de Vaudemond Genero dicti D. nostri Regis, D. Iolanda eius Vxore, Filia dicti D. nostri Regis, & frequenti Nobilium conuentu & cæteris aliis curiæ Regiæ, apud dictam Ecclesiam S. Marthæ, & capellam, vbi sepulta est dicta gloriosa S. Martha, applicuerunt. Quibus accedentibus, & facta primùm deuota oratione, Deo & dictæ gloriosæ S. Marthæ, ad apertionem dicti tumuli processerunt, & primò fuit, per lignifabros, præsente semper dicto Domino nostro Rege, ad apertionem cuiusdam tabernaculi, in altum eleuati, facti de postibus nuceis, clauibus firmiter clausi; & facta apertione dicti tabernaculi, intra ipsum reperta fuit vna capsa, plena terra, lapidibus, & minutis ossibus dictæ gloriosæ sanctæ Marthæ. Item & secundo cùm in illa capsa non fuerit repertum caput, dictus Dominus Rex voluit inquisitionem habere à senioribus dictæ Villæ, qui fuerant in releuatione totius corporis S. Marthæ, & ibidem statim ad dictum D. nostrum Regem ductus fuit nobilis Lazarus de Luperiis, suprà nominatus, septuagenarius, dictæ Villæ Tarascònis, qui fuerat præsens releuationi corporis dictæ S. Marthæ, & interrogatus per D. nostrum Regum Renatum, si fuerat in releuatione corporis dictæ sanctæ Marthæ, qui respondit, quòd sic, cum pluribus & diuersis Episcopis, & Prælatis, & fuit repositum corpus sanctæ Marthæ in vna capsa, longitudinis quatuor aut quinque palmarum, & caput illius separatum, in vna alia capsula, & illam vidit suis propriis oculis ponere infra tumulum, retro altare S. Marthæ positum, & quidem digito monstrauit, dando inter signa, videlicet quòd sit in capsa, vbi est corpus S. Marthæ, vna amphora vitrea, quæ commodè non potest cognosci, de quo sit. Quæ reperta fuit supra corpus dictæ gloriosæ S. Marthæ, & supra pectus. In qua dicitur, quod erat de terra, supra quam sanguis corporis D. Iesu Christi, fuerat sparsus, dum fuit positus in cruce. Quibus sic dictis, fuit apertus tumulus, cum magnis solemnitatibus & deuotione, magnis circumcirca luminaribus. Ianuis portæ Capellæ sanctæ Marthæ clausis, in eadem inclusis prænominatis, vnà cum Notario subscripto, quo aperto reperta fuerunt duæ capsæ, in quarum altera, videlicet maiori, reperta sunt ossa magna dictæ gloriosæ sanctæ Marthæ, & corpus item in alia capsula; reperta item fuerunt ossa capitis gloriosæ dictæ S. Marthæ fracta aliquantulum propter magnam temporis distantiam, quo dictum caput reclusum extiterat in dictum vas; ac cum maxilla inferiori dictæ S. Marthæ, sana & nitida sicuti prima die, quæ reperta fuit, sine aliqua violentia, & macula, sed ex dicto vase prouenniebat odor incomparabilis, ex quo omnes assistentes videbantur satiati, & ibidem statim in præsentia dicti D. nostri Regis, & aliorum omnium, facta fuit monitio, alta & intelligibili voce, ne aliqua persona cuiuscumque conditionis, seu gradus existat, auderet recipere, publicè, clam, latenter, vel quoquo modo, de

dictis reliquiis, sine licentia dicti D. Cardinalis, seu eius Vicarij, & hoc sub pœna Excommunicationis, qua pœna bina & trina vice fuit publicata, alta & intelligibili voce. Et demum ibidem apportato opere capitis de argento, reposito super altare, dicto D. Officiali, & Presbyteris dictæ Ecclesiæ S. Marthæ cantantibus, campanis pulsantibus, & populo Christiano in orationibus vigilante, luminaribus magnis accensis, dictum caput per prædictum Dominum Officialem capium, repositum extitit, intra dictum opus argenti; præsentibus dicto D. nostro Rege Renato, eiúsque Illustri Consorte, D. Frederico de Lotharingia eius genero, D. Iolanda eius vxore, filia dicti D. nostri Regis, Fulqueto D'Aragon, Domino de Misone, Ioanne de sancto Michaele militibus, Antonio de Ponteues Domino de Cabanes, Scindicis & Assessore dictæ Villæ, ac nobis Notariis subscriptis, ac omnibus aliis Nobilibus, & incolis dictæ Villæ Tarasconis superiùs nominatis, & ibidem statim præsentibus continuò quibus suprà, clauso dicto capite, in dicto vase argenteo, in ea parte in qua aperiri poterat, pariter fuit sigillatum sigillo paruo, Illustris Principis dicti D. nostri Regis, & inde sigillo dictæ villæ Tarasconis, in testimonium veritatis omnium præmissorum. Sic releuatum cum magnis, honore, & reuerentia, ac laudibus portatum extitit superius, super altare, ibi osculatum à multitudine populi, ibidem sistenti, & inde repositum in Armario siue scrinio, vbi custodiri debet, cuius claues è manibus Operarij & Scindicorum dictæ villæ fuit dimissum, prout est & esse debet. Quibus sic peractis, rediere omnes, ad alia ossa corporis dictæ S. Marthæ & reseruata in amphora, quæ supra pectus dictæ S. Marthæ reperta extitit pro Reliquiario. Sciendo in futurum, quòd illa omnia reducta fuerunt honeste, in dicta magna capsa, ipsa prius velo parata, cum panno Canapis tenuissimo, & cum magna deuotione reposita fuerunt intra dictum tumulum, magis infimum, & vna ex capsis vbi prius erat releuata ipsa gloriosa S. Martha; & in altiori vase marmoreo supradictum vas reposita extitit capsa, vbi sunt omnia ossa minuta alia dictæ S. Marthæ. Qui tumulus fuit cumulatus & coopertus prima die, quodam vase marmoreo; demúmque de quodam alio lapide eleuato in altum admodum. Et sic ipsum corpus debitè reclusum, & tumulatum custoditur cum magno honore, & reuerentia, per dictam villam Tarasconis, vbi quotidie fiunt miracula infinita, per intercessionem ipsius gloriosæ S. Marthæ. Et demum adueniente die Dominica quæ fuit 13. Augusti dictum caput fuit cum magnis honore, & reuerentia, in processione subtus vmbellam portatum, per dictam villam & hoc per vniuersitatem, motam singulari deuotione, erga dictam S. Martham. In quorum fidem ego Petrus Margoti Notarius publicus, vnà cum Honorabili viro Magistro Ioanne Mutatoris etiam Notario &c.

26. Anno 1478. Ludouicus II. Francorum Rex aureum illud S. Marthæ caput, quod etiamnum spectandum omnibus præbetur, insigne pietatis suæ, Regiæque munificentiæ monumentum obtulit. Elaboratum fuerat illud caput, ab Andrea Mauche Turonensi, aurariorum operum artifice, & ab eodem Tarasconem delatum, comitante Regio piarum largitionum Quæstore, de quibus Acta scriptis literis solemniter testata, Parisios retulerunt, infra scripto D. Philippo &c. Eodem anno 1478.

9.Decemb.

9. Decemb. caluitia S. Marthæ ex illa priori argentea theca auro duntaxat illusa, in hoc sollidè aureum caput asportata, & decentissimè reposita, quod caput ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Sistaricensi Episcopo, solemniori apparatu consecratum est, & honore maximo, per Vrbem circumductum, necnon solemni omnium Ordinum, ad ædes sacras, diuino Numini gratulatione; ipso Rege Renato cum Regina subsequente, & vniuersorum Aulicorum Dynastarum & Principum comitatu.

§. VIII.

In Oppido Trimariano Diœcesis Arelatensis.

27. TRes Mariæ, Oppidulum est, ad ostia secundi ac interioris alnei Rhodanini; in quo constructam olim fuisse Ecclesiam S. Mariæ de Mari siue de Ratis, à rate ac naui, qua Magdalenæ Colonia, in has, è Palæstina, Phocensis Prouinciæ traiecit oras maritimas. Locus ibidem sepulturæ Diuarum Mariæ Iacobi, & Salomes, à Comitibus Prouinciæ deinceps firmatus est. Quod, ne dubitare possimus, maximo est argumento, primùm Codex perantiquus Sacrorum rituum eiusdem Sacelli, in quo exeuntium versuum Rhythmus ille, poësi licèt destitutus, at non affectu pietatis & numero.

Nam multi, è cœtu Christi,
Naufragantes olim, tristi
Infidûm perfidia.
Hunc ad locum deuenere,
Sancti atque Sanctæ, verè
Grandi cùm lætitia.
Martialis, Maximinus,
Eutropius, Saturninus
Atque Celidonius.
Necnon Martha, & Magdalene
Quæ sorores, boni plenæ,
Pariter & Lazarus.
Hi in naui penè rupta
Exularunt per abrupta
Pelagi pericula.
Sine remo, sine luce,
Sine velo, sine duce,
Fluctibus expositi.
Sed Maria, maris Stella,
Naufragantes in procella
Dirigit cùm filio.
Locum istum elegerunt

Sorores, quas genuerunt
Cleophas & Salome &c.

28. Expendenda etiam, quæ sigillatim de appulsu Hebrææ nauis, ex eodem codice, & tabulis publicis proferuntur, cùm enim egregiè rem attingant, & paucis, finceréque illam explicent, placuit etiam hîc adscribere. Sic itaque ferè habent quas è vulgari sermone Latinas reddimus. Statuendum imprimis est Marias Iacobi & Salome, quæ vnà cum Maria Magdalena, aromata ad Christi corpus vngendum, olim ad monumentum attulerunt, è Iudææ finibus exactas, Spiritus sancti veriùs, quàm ventorum flatu ad eum Prouinciæ locum fuisse delatas, cui à Domina Maris, ac demum à Tribus Mariis, nomen relictum est. Enimverò Christo in crucem sublato, multisque Christianorum factis cædibus, cùm nouas, in dies Iudæi, rei Christianæ accessiones fieri cernerent. Cogitur Concilium, vbi Christianorum reliquias, in nauim velis destitutam imponendas esse decretum est. Res per vniuersam Iudæam promulgatur, grauissimisque pœnis propositis imperatur, vt Christianum nomen, nullo sexus discrimine proderetur. Adducitur turba innocens, cuius pars trucidatur, pars in nauim imponitur, in altúmque propellitur haurienda fluctibus, verùm tutum in naufragio portum miseri inuenere, Deóque duce, ad locum à villa Dominæ Maris, tribus passuum millibus dissitum, nauis fœliciter appellit. Rupes fuit, marinis iam fluctibus obruta. Egressis in eam regionis partem, quam *Marij campum* hodiè appellant, SS. Maximino Aquensi Archiepiscopo, Lazaro Massiliensi, Cedonio cæco nato, cum aliis benè multis, locus, & frequentia syluarum, & ipsa situs asperitate horrendus oblatus est, quem rerum diuinarum contemplationi imprimis commodum communi consensu cùm iudicassent omnes, dixere; fœminæ quidem, sacram hîc abs se ædem ad Deum ritè colendum esse excitandam, viri verò aliò sibi abeundum, vt fidem Christianam in varias gentes ex diuino imperio disseminarent. Vix finem loquendi fecerant, cùm ecce ex eo, quod terra iam pridem salsugo corruperat, solo, fons aquæ dulcis derepente extitit. Ædificatâ igitur ædiculâ, piæ mulieres, ex humo subacta & sacris Martyrum reliquiis commixta altare excitarunt, cui vnà cum quadrato marmore marmoream quoque columnam imposuerunt, in singulis aræ lateribus Martyrum capita collocantes, medio autem in altari, D. Iacobi Minoris, qui Martyrij palmam Solymæ nuper retulerat, caput venerandum positum est. His demum peractis, ara quam suprà memorauimus à Discipulis fuit ritu solemni consecrata, nec ante discessio facta est, quàm certis se Discipuli ad Panem Eucharisticum præbendum diebus affuturos sint polliciti. Persolutis igitur mutuæ charitatis officiis, diuersam quisque, ad Euangelium Christi promulgandum, viam ingressus est. Haud ità multò post Auenionem D. Martha Christianæ veritatis lumen attulit, indéque se Tarascum contulit: Magdalena verò sororis exemplum secuta, ad locum (quem hodie vulgus *Aygalades* vocant) duobus


bus ab vrbe Massilia millibus distantem contendit,& inde Massiliam Christi fidem inuexit &c.

29. Quia verò ad propulsandam Barbarorum iniuriam, à Christianis deinceps SS. Mariarum Iacobi, & Salomes corpora, humo inclusa atque abdita diutiùs latuerant in occulto, & ignoratione hominum: publicum ac regium exhibere licet Instrumentum, quo diuinitùs postea inuenta & refossa fuisse, mox decentiùs condenda, exponitur affirmatè, certissimæque autoritatis intercedentibus præsidiis omnibus.

Inueniuntur, & effodiuntur Diuarum Iacobi & Salomes corpora.

30. Renatus Ierusalem, & Sicilia Rex, qui in Prouincia, Comitatus hæres successit, cùm bene longo, post Diuarum obitum, tempore elapso, Concionatorem de B. Virginis, & Mariarum laudibus disserentem aliquando audisset, vehementi, & arcano erga Marias sensu pietatis, affici se sensit, rémque ei, quem tunc à confessionibus habebat, aperuit. Cui Confessarius in eo Prouinciæ loco, cui ab *Domina Maris* nomen impositum est, Diuarum iacere corpora, aliàs se legisse respondit. Responso Rex mirificè delectatus, misit continuò qui sacrum locum inuiserent, supplicémque ab se, Nicolao V. Pontifici Maximo libellum offerri curauit, de literis ad quæstionem, de Mulierum sanctitate habendam, impetrandis. Regis postulatis Pontifex subscripsit, nulláque mora datæ Pontificiæ literæ, ad Petrum de Fuxo Cardinalem qui tunc Auenione, Gallias, & Hispanias Legatus Pontificius obtinebat, vt vnà cum Reuerendissimis, Roberto Damiani, Aquensi Archiepiscopo, & Nicolao Brancassio Massiliensi Episcopo, de re quàm fieri posset diligentissimè, cognosceret. Arelatem itaque, legari à Pontifice Iudices, petunt, vbi testes benè multi de miraculis interrogati sunt. Accersitus etiam ipse Arelatensis Clerus, qui interposita Euangeliorum religione, Sanctissimo adactus Sacramento diem se festum in earum honorem quotannis iam olim suprà hominum memoriam celebrare professus est, Mariæ quidem Iacobi, 25. Maij, Salome verò 22. Octobris. Auditis innumeris aliis quæ quotidie perpetrantur prodigiis, in rem præsentem veniunt, vt clarioribus res ipsa firmioribusque argumentis confirmata elucecet, quod constat ex habitis quæstionibus quæ in templo illis dicato seruantur.

31. Re diligenter inuestigata, probatæ fidei viris negotium datum est, vt perquirerent, qui tandem locus Diuarum corpora teneret. Ii confessione, ante omnia, ritè expiari, ad quærendum sese accingunt, lapidémque marmoreum vno pede latum, duobus & semi altum, ostendunt, cui incisa hæc verba legebantur, SVB VNO MVRI CAVA, ARA BASILICA ALTIORI. Accedebant hæ quatuor literæ M. I. S. V. Hoc est *Marias Iacobi & Salomes videbis*. Is lapis muro qui est ad aram principem subiacet.



Lapis quadratus erat, verbáque à maioribus, quàm obscurissimè potuit, inuerso literarum ordine inscripta sunt: ne qua sacris mulierum reliquiis iniuria fieret à barbaris. Inueniendorum corporum occasio, ab illo lapide data est, quare id omne in Acta, Rege iubente relatum est, eodémque postulante propriæ Diuarum preces institutæ sunt. Ac ne quis locus daretur errori, ne qua vitij suspicio irreperet, & quibus inuestigandi, & quibus custodiendi cura demandata fuerat, tertio quoque die crimina Pœnitentiæ Sacramento eluebant; eo in loco nemini præterea humandi facta potestas. Nihil planè intactum relictum est, nullúsque fuit locus, vsque adeo remotus, qui omnia timantium diligentiam subterfugerit, non fundamenta non pinei, quibus ipsa fundamenta fulciebantur, pali, medio autem in templo, fons aquæ dulcis inuentus est, qui hodie instar puteoli est, cuius dulciores quàm salubriores sunt aquæ, quæ cùm multas pestes aliàs, tum afflatum ex rabido canum morsu, contagium dispellunt. Inde per cuniculum, ad ianuam quamdam saxis obstructam deuentum est, quæ aperta viam fecit in antrum, vbi fictiles scutellæ rubræ, & semifractæ, aliáque huiusmodi, quæ hodie monstrantur, inuenta sunt. Pergentibus porrò, alia ianua occurrit, lapidibus item obturata, quibus remotis, via facta est ad subterraneum Sacellum, quod penitus corruisset, nisi suppositi imminenti Aræ principipali ruinam sustentassent. Hîc illa, de qua prius cõmemini, ara reperta est, simúlque cum ea marmorea terra, in Aræ minoris formæ figuram efformata, cum marmorea item columna, vnum alta cubitum, & rotunda. Aram & columnam vetustate iam collabentem fodiendo dissoluerunt. Et quamuis humus omnia æquè cooperiret, latum tamen, marmoream inter & communem terram, discrimen reliquit. Media verò in ata sacrum Diui Iacobi Minoris caput, plumbea arcula inclusum iacebat, cum hac Epigraphe: HIC EST CAPVT B. IACOBI MINORIS. Reliqua Sanctorum capita in crucis formam composita, altari insidebant nec ferreis vectibus alterni, fodere & omnia súsque vertere, ante destiterunt, quàm quæsita Diuarum ossa deprehenderent.

Hîc

Hîc stupentibus similes hæserunt, tantus enim, támque suauis odor extitit, vt ipsos etiam, qui erant in hospitio Pontificios iudices afflarit, quos ingens omnino stupor incessit, nescios, vnde tantus odor manaret, quin ipsis etiam vestigantium vestibus, mensem & amplius, odoris suauitas hæsit. Nec mora, feretro ex asseribus raptim compacto, pannóque holoserico inclusæ sunt, missique è vestigio qui Regi corpora teneri nũtiarent. Lapis vtriusque capiti substratus erat cui hęc insculpta legebantur. HIC IACET SANCTA MARIA IACOBI. HIC IACET SANCTA MARIA SALOME. Manus in crucis figuram decussatas, Maria Iacobi prætendebat, iunctas precantis in modum Salome tenebat. Quatuor circiter palmis distabant ab inuicem. Tribus autem, seiuncta à Dominabus Sarra Ancilla, iacebat ad pedes transuersa.

32. Rex statim Ioannem Arlasanum Castelli noui Dominum, Regij cubiculi Magistrum, qui toti negotio non præfuerat modò, sed præsens etiam semper interfuerat, accersiuit, datæque Auenionem literæ ad Cardinalem Legatum, vt Prælatis, Abbatibus, cæterísque huiusmodi Ecclesiasticis hominibus, conuentum, interposita summi Pontificis autoritate, indiceret, qui congregati, ad Regem, qui Regio eos comitatu operiebatur, Arelatem conuenerunt. Nomina sequuntur.

ROBERTVS DAMIANI, Aquensis Archiepiscopus.
ANTONIVS FERRIER, Arausiensis Episcopus
GVILELMVS, Episcopus Carpentoractensis.
NICOLAVS DE BRANCAS, Episcopus Massiliensis.
PALAMEDES DE CARETTO, Episcopus Cabellicensis.
PONTIVS DE SANZE, Episcopus Vasionensis.
PETRVS NAZONDE, Episcopus Aptensis.
IOANNES DE COLLIARGIS, Episcopus Trecensis.
GAMPSIS DE FOLCARQVIER, Episcopus Vapincensis.
TRISTANDVS DE AVRA, Episcopus Conseranensis.
PETRVS Episcopus Diniensis.
GVILLELMVS GVESI, Episcopus Gracensis.
PETRVS MARINVS, Episcopus Glandatensis.
REVERENDVS PATER DE LACV, Sancti Victoris Abbas, Massiliensis.
RENAVDVS DE SAINCT-FELIX Sancti Ægidij in Nemausensi Diœcesi Abbas.
IOANNES EVSTACHEV, Abbas.
TRES PROTHONOTARII, GVILLELMVS DE HARANCOVR.
IOANNES HVETY.
MARONIVS DE RICII, Multique alij sacræ Theologiæ Doctores.

33. Ii autem Arelatem simul profecti, cùm ad tres Marias peruenissent, rem præsente Rege, disceptare Reuerendissimus legatus statuit. Cognitis

gnitis igitur quæ ab Episcopo Massiliensi, & Archiepiscopo Aquensi peracta fuerant, in cuiusdam, cui Pontius nomen erat, Domum discessum est, ibique tandem in Mariarum sanctitatem pronuntiatum, significatúmque omnibus, eas deinceps Sanctarum numero habendas, iustísque honoribus esse colendas. Quibus peractis itur in Templum, ad Vespertinos psalmos canendos. Verbo præibat ritu solemni, Episcopus Arausiensis. Die verò consequenti, Rege, Isabelláque Regina præsentibus, cum aliis tum viris tum fœminis Principibus, Legatus Pontificio apparatu, sacris operatus est; cui tres Prothonotarij aliíque plurimi, instructu item Pontificio, mitráque ornati assistebant. Sacris ritè procuratis Legatus, vnà cum rege cæterísque omnibus in medium templi cum cereis accensis veniunt, quò Episcopi duo, statim accessere, sacras reliquias, argenteis ferculis deferentes; depositas supra mensam, pretioso tapete, filísque probatissimi mantili constratam, vino candido lauerunt, lautas bombycino panno absterserunt, abstersas denique in suo quasque loco separatim collocarunt. Non oculos ab aspectu, non nares ab olfactu tenere poterant, tam eximia erat species; cum odoris suauitate coniuncta. Itaque in arcam cupressinam, opere magnifico elaboratam aureo panno crispato circumuestitam, dum aurea capsa, seu argentea comparatur, inclusæ sunt. Idem Diuæ Saræ honor habitus est.

33. Corpora in loco admodum humenti, ad annum 1448. iacuerant, vt Humbertus de Rota Matisconensis & ciuis Auenionensis Notarius in Acta retulit. Quia verò tantæ hominum multitudini fieri nondum potuerat satis, sacras à prandio reliquias proponi placuit, quo tempore Rege Reginàque præsentibus, & frequenti Præsulum cæteræque multitudinis cingente corona, Reuerendus Pater Magister Aymard Comte, Ordinis Prædicatorum religiosus, Panegiricam Diuarum laudibus orationem habuit. Cúmque iterum sacræ reliquiæ spectandæ singulis, vltimò fuissent exhibitæ, in arcam denique conditæ sunt, quatuor clauibus obseratam, quarum duæ Regio in Tabulario repositæ, duæ aliæ Legato, vtpote Montis Maioris Abbati, traditæ, qui Priori eas commisit. Dira interim sacrorum, interdictione denuntiata, incipiendo; *sic quam Deus dedit &c.* si quis iniussu vel Pontificis vel Legati, vel eorum qui in locum successuri erant, auderet aperire. Cæteræ verò reliquiæ in arcam nuceam impositæ sunt.

Celebritate peracta in suam quisque ingenti gaudio perfusus domum reuersus est. Aderant quatuor hominum millia, quos nec loci ieiuni sterilitas, nec Hyemis rigor, nec temporis iniquitas retinere potuerat. Omnia hæc ex Actis publicis, vt ex supradictis constat, & veteri codice membraneo, MS. vetusti characteris exscripta sunt, & à nobis putiora & emendatiora Latinè reddita.

CAP

CAPVT XIX.

Reliquiæ in Gallias Hierosolymis asportatæ à Magdalena, eius religionem variis in locis propagant.

1. PEr id maximè tempus, non in Prouincia solùm, sed etiam in remotissimis disiunctissimisque regionibus, Sacella Pœnitenti Magdalenæ, atque in Balmæ ipsius memoriam, instructa vel instaurata fuisse Annales loquuntur. Quorum conditoribus quid optatius esse potuit ad illarum ædium religionem, quàm aliquid ex Sanmaximinensi domo reliquiarum habere? quid consultius? quàm cùm inde ossium particulas aut cineres auferri, religio vetaret, sacros, ex eo Balmæ loco, cui Magdalena incubuit, lapillos, aut venerandæ statuæ lignarias secturas, quos custodum liberalitas haud ægrè largiretur, impetrare. Certè per ea fermè tempora, plurimas vbique terrarum, Magdalenæ intra Balmæ speluncam ad saxum iacenti, sacras imagines atque etiam aras dicatas reperio. Quod sanè haud in minimis Magdalenæ nostræ laudibus pono, tam gratam iucundámque fuisse, apud externos eius memoriam, vt perpetuum eiusdem monumentum ac simulacrum domi habere voluerint. Atque, vt de cæteris Europæ Christianæ Prouinciis taceam, cùm nulla vrbs, nullum fermè oppidum sit, vbi non aliqua ædes, aut imago extet sacra Magdalenæ Sanmaximinensi. Libabo vnum & alterum ex omnibus, quodcumque me maximè specie veritatis mouerit.

2. Parisiis Templum visitur B. Mariæ Magdalenæ, sanè pium & ornatum signis, & picturis, instructúmque rebus omnibus necessariis, cui olim ex Sanmaximinensibus communicata fuisse sacra Lipsana non ambigo: de quibus meminit Iacobus Du Preul, in *Theatro Antiquitatum Parisiensium*, de Parœcia Sanctæ Magdalenæ Parisiensi. Vbi cùm sacram thecam argenteam reficiendam & auro illiniendam suscepissent Ædis curatores & custodes, simul cum reliquiis educta fuit è sacro loculo Epigraphe, in qua non modò Episcopi nomen, à quo hisce religiosis muneribus donata fuit Parœcia, anno 1491. sed etiam, ordinata serie digestus reliquiarum numerus consignatur, his verbis. *De cute capitis Diuæ Mariæ Magdalenæ huius nempe partis, quam Dominus noster Iesus Christus tetigit dicens. Noli me tangere. De capillis eiusdem Mariæ Magdalenæ. De reliquiis sanctarum Mariæ Iacobi, & Salomes, De panno sanguine tincto.* Fuit is Episcopus Parisiensis 99. Ludouicus de Bello Monte, ex Cancellario Vniuersitatis & Franciæ electus, septimo Februarij anno 1473. qui Ecclesiam

Parisiensem S. Magdalenæ, in Parochialem & Archipresbyteralem erexit. Præterea dedicauit Ecclesiam S. Martini in claustro S. Marcelli, anno 1460. & Capellam decem millium Martyrum apud Cœlestinos anno 1482. Notatur eius Anniuersarium 3. nonas Iulij, vbi inter singulares Ecclesiæ benefactores recensetur.

Bellefor. to. 1. Cosmog. pag. 322.

3. Belleforestius vir literatus, & in Gallica historia non solùm nobilis sed etiam notus, narrationis cuiusdam, seu potius traditionis summam *De Christi Lachryma* quæ in Cœnobio SS. Trinitatis Vindonicensi, religiosissimè seruatur in sua Cosmographia proponit, gratam vetustatis commemorationem, & non leue aduentus Magdalenæ in Gallias, documentum. Testes satis locupletes ab illo citari possunt duo MM. SS. Codices, alter ex Tabulario Vindonicensis Cœnobij SS. Trinitatis: alterum PP. Obseruantinorum Cœnobij Massiliensis. Pachier eximia integritate & prudentia vir, & in Ecclesia Cathedrali Massiliensi, Canonicorum, ab Theologicis præ lectionibus, testificatus est huius historiæ publicè perscriptam autoritatem se accepisse Parisiis, ab Magistratu Abbatæ Vindonicensis. De hac igitur historia *Lachryma* Bellefotestius toti, vt inquit, Galliæ haud obscura, in hunc ferè modum. Nemo omnium Catholica pietate tam leuiter imbutus est, qui ignoret in stupenda illa quatriduani Lazari è mortuis suscitatione, vberrimas à Christo lachrymas fuisse profusas, quibus suum in amicum testaretur amorem, Iudæis ipsis haud insperatum, vel incognitum cùm dicerent. Ecce quomodo amabat eum. Has sanctissimas lachrymas Pharisæorum pedibus proterendas, religiosissimè subtraxisse Angelos, & earum vnam ad Diuam Magdalenam detulisse, fama est. Scilicet Ros ille Theandricus, vsque adeò sancto Conchilio credi debuerat, vt in pretiosissimas Pœnitentiæ gemmaret margaritas. Hanc illa *Lachrymam* Sancto Maximino Aquensium Episcopo, è viuis decessura reliquit, perpetuum suæ in illum obseruantiæ monumentum: quam deinde sanctissimus Antistes, Ecclesiæ Massiliensi concessit, ad posteros, quam continata per sæcula pietate colerent, transmittendam. Verùm Constantinus Religiosus imprimis Imperator, cùm exquisitas Sanctorum reliquias vndequaque colligeret, Constantinopolim transferendas: hanc ad se deferri imperauit, sed non diutius passa in Græcia commorati, tanti pignoris ipsa muneraria Magdalena. Enim verò Godefridus Martellus, Comes Andegauensis, quem Henricus, eo nomine, primus Galliarum Rex auxiliaribus copiis ad Orientalē Imperatorem missis, præfecerat, recuperatam in Galliam reportauit. Extat etiamnum in celeberrima Religiosissimáque Abbatia Vindonicensi, atque vt idem autor oculatus testis ibidem asserit, cærulei est coloris, quò cœlitus delapsam credas: nec vnquam omnimodè conquiescit, sed perpetuo veluti fluxu agitatur. Ampulla verò elegantissimè laborata, vtpote Angelicum, vt aiunt, opus, vsque adeo subtili occluditur industria, vt perspicacissimos etiam oculos fallat, subalbida est extrinsecus, propéque ad limpidissimam crystallum accedit. Quis tamen lapillus sit, cuiúsue naturæ ne peritissimi quidem gemmarij

Pachier in vita S. Lazari.


gemmatij dignoſcere potuerunt. Scilicet Cœleſtem munus, ſublunariũ naturam non imitatur, quo maiorem ſibi conciliet venerationem. Nihil eſt opus adiicere, quàm numeroſa populorum frequentia vndequaque confluentium quotidie frequentetur: quotque per tot ſæcula continuata pietate muneribus ditetur. Vnum duntaxat adiecerim, quod ab omnibus diligentius obſeruatum velim, quódque ad hiſtoriam confirmandam, potiſſimi eſt ponderis atque momenti.

4. Sacra enim Miſſæ ſolemnia in Dei Optimi Maximi, Sanctiſſimæ Lachrymæ honorem atque venerationem inſtituta; imo quod plurimùm iuuat integrum Officium, cum priuatis hac de re Lectionibus, ſingulis annis recitatur: eodem planè ritu atque in Eccleſia Maſſilienſi olim celebrari conſueuerat, quod huic non tantùm Cœnobio, ſed etiam Britanniæ Gallicæ vniuerſæ commune eſt. Neminem puto ignorare, quo gaudeant priuilegio Sanctiſſimæ huius Lachrymæ, religioſi cuſtodes, ſingulis quippe annis die Veneris, quæ quartam Dominicam diem ſequitur, ab inchoatis ſolemnibus Quadrageſimæ ieiuniis, celeberrima inſtituitur ſupplicatio, in qua Religioſi prædicti Cœnobij, mortis reum ex carceris ergaſtulo, aut mortis potius faucibus erutum, triumphali pompa plaudente interim populo tam officioſæ pietati, per Vindonicenſem ciuitatem deducunt. Varij varia, de tam ſingularis priuilegij origine & cauſa. Ad tres ſtellas, quæ Godefrido Martello, de quo ſuprà, & Agneti huius vxori, ſe viſendas eodem tempore præbuerunt, referunt aliqui. Non pauci verò ad Ludouicum Borbonium, Vindonicenſem olim Comitem, tunc verò ſummum Galliæ Præpoſitum, qui ſæuiente bello Gallos inter, & Anglos, ab hoſtibus interceptus, poſt irrita pleraque alia vota hoc ſe tandem obſtrinxit, ſi hoſpes ex hoſtium manibus elabi poſſet, fore vt die Veneris, de quo ſuprà, in honorem Sanctiſſimæ Lacrymæ, cereum vnum, triginta trium Librarum pondere, maximo quo poſſet clientum, & ſubditorum apparatu, Chriſto optimo liberatori conſecraret. Mirum dictu. Vix vouerat, cùm elabitur incolumis ac à ſuis peramanter exceptus, in perpetuam grati animi ſignificationem, Religioſiſſimis viris perpetuum hoc priuilegium conceſſit, vt eodem die Veneris, quo voto ſolutus eſt reum morte damnatum, pœna capitali ſolutum priſtina libertate donare poſſent. Voluítque ad ſanctiſſimum Templum, in quo *Lachryma* aſſeruatur comitantibus Canonicis ſancti Georgij, ac Religioſis ſolemnem ſupplicationem inſtitui tanquam ad ſuæ vindicem & aſſertricem libertatis.

5. In Phocenſibus Annalibus conſtat, B. Virginis ſeu *Domina noſtra de Conſolatione*, ſacram Domum Pignanenſem Diœceſis Foroiulienſis, magnum ſemper nomen venerationémque, apud veteres Chriſtianos habuiſſe. Eius venerationis autores, ipſos fuiſſe aiunt Apoſtolorum diſcipulos, Magdalenam, & qui cum ea Maſſiliam adnauigarunt, Maximinum & Lazarum. Ab his quippe aliiſque, aram primò & Ædiculam Virginis Sanctiſsimæ, in agro Pignanenſi, ſeu prodendæ poſteris memoriæ, ſeu

R 2 Chriſtianæ

Christianæ religionis amplificandæ studio consecratam. Ac tum etiam, religioni habebatur istud idem Simulactum è ligno, eiusdem Beatæ Virginis, quod hodie extat, quódque ipsi Christi Discipuli impensè tunc colerent, & in cæteras deinceps ætates, posteris proditum, tanquam fidei incunabula, & Christianæ religionis, eorum opera susceptæ, prima vestigia, diligentissimè conseruandum ac venerandum esse voluerunt. Sed cùm minimis momentis maximæ inclinationes temporum fiant, cœpit Christianorum spes infringi, languescere industria, vt & loci memoria, & diuini pignoris sanctitas, aut ignota piis hominibus, aut neglecta omnino esset. Neque leuis fortè, tanti mali causa fuere frequentes illuc incursiones atque impetus armorum, quorum incendiis non modò fortunæ hominum, sed fana quoque spoliata, iterum & sæpius deflagrarunt. Romanos penetrasse in illos Prouinciæ tractus, eorum oppidorum fines incoluisse, Annales Phocenses ac monumenta antiquitatis loquuntur. Hæc enim cùm scrutaretur loca vir eruditus, & in exquirendis veterum seu documentis, seu exemplis percuriosus Gabriel Simeon Florentinus, hanc in vicino ac finitimo Pignani Oppido (Lucum appellant) se indagasse, inuenisse, eruisse obrutam testatur tabulam lapideam. Votiuum donum esse, insculpta Romanis characteribus verba declarant.



6. Gothos præterea qui excisionem, inflammationem, depopulationem, vastitatem tectis atque agris illis omnibus intulerunt, magno prælio deuicit Theodoricus, ac domicilium Virginis Pignanense sacro Magdalenæ pignore nobilitatum, & instauratum pereleganti æde decorauit, ac trophæa posuit, quæ bellicæ laudis & victoriæ Gothicæ insignia & monumenta essent. Videnda, quæ asseruantur in Tabulario sacræ Domus Pignanensis Manuscripta, in quibus de Theodorici victoria, & Collegij Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, institutione, ex antiquissimo fundatæ Domus instrumento, legimus in hæc verba.

7. Anno 517. Idibus Mensis Iulij. Theodoricus Comes Narbonensis & Prouinciæ, Filius Clodouei Francorum Regis, conuocatis Cæsario Arelatensi Episcopo, Honorato Episcopo Massiliensi, Ciptyano Episcopo Tolonensi, Didimo Episcopo Rhegiensi, & alio Episcopo Aquensi, **Theodoricus in honorem Iesu Christi & Deiparæ fundauit hanc Præposituram**

turam

turam, anno 503. post bellum Gothorum, vbi debent esse Religiosi Diui Augustini, sub Titulo *Sancta Maria de Consolatione*; cui Capellam dictus Princeps ædificauit intra syluam Pinorum, vbi est vestigium antiquæ Capellæ, sub eodem titulo in qua inuenta hæc imago, ex ligno facta, quæ ex tempore Sanctæ Magdalenæ, & aliorum Sanctorum venientium ad prædicandum condita fuit à Beata Nympha nepte S. Maximini Episcopi Aquensis, vbi & ipsa Nympha à barbaris pro fide Christi fuit occisa, in quo loco fuit ab eodem principe Gothi. Hæc fundatio facta sub Symmacho & Cæsario Arelatensi &c.

8. Sed hoc mirabile magis, quam miraculum cuipiam fortasse videatur, quod eidem imagini Deiparæ Pignanensi, infantes recens nati offeruntur, quorũ desperata salus. Nec irrita spes, extemplo enim salubrioribus vitæ indiciis erecti, inaugurantur sacro Baptismo, & in horas singulas ac pene momenta leuiuscule habent, quoad vsque excussa morbi lue conualuisse omnino, nimis certò perspicuum est.

Episcopum Aquensem qui tacito nomine allegatur in instrumento, Basilium fuisse existimo, cùm enim interfuisse dicatur Basilius Episcopus Aquensis, sancti Honorati exequiis, si Honoratum intelligas suprà memoratum, Episcopum Massiliensem, non autem Arelatensem, vt suspicatur Robertus in Gallia Christiana, titulo *Aquenses Archiepiscopi*, ea mirificè congruere inter se videbuntur, ac cohærere, ratione temporis.

Alibi alia id genus celebrantur plurima, quæ exequi operæ pretium non est.

CAPVT XX.

Instituitur Massiliæ Religiosus Ordo Pœnitentium Sanctæ Magdalenæ, & à Nicolao Tertio confirmatur.

1. Religionis Christianæ formulam, quam à Christo & ab Apostolis hauserat Magdalena, eamdem statim non impressisse modò primæuæ illi Ecclesiæ Massiliensi, vtpote adhuc teneræ, & in omnem partem flexibili ad omnem Spiritus sancti motum: sed inter reliqua salutis documenta, vitæ quoque Solitariæ ac Monasticæ statum, quo perfectiorem, eò certè diligentiùs, & accuratiùs suo primùm exemplo, deinde voce ac præcepto expressam reliquisse, video dubitare neminem, nisi fortè Criticos Antidicomagdalenitas. Nimirum igitur hoc ipso tempore Magdalenæ, non solùm exorti, sed etiam posterioribus sæculis maiorem in mo-

dum aucti & multiplicati sunt in Prouincia, qui perfectam Eremiticæ vitæ disciplinam appetentes, etiam à reliquorum consortio abstracti, in secretiora quædam loca suburbana secedere inciperent. Qui quod à suorum frequentia & ab omni mundi conuersatione abstinerent, ideo à solitudine Monachi, à communitate Cœnobitæ vocati sunt. Inter hos autem principem atque aliorum Magistram extitisse Martham Christi hospitem, & post promulgatum Massiliæ Euangelium, & Tarascone, Cœnobium sibi construxisse in loco à viris remotissimo, vbi cum aliquot honestissimis fœminis cœlestem vitam duxit, suprà ex eius vitæ Actis commemorauimus. Scribit Antoninus ex Actis Magdalenæ, de Sacerdote illo solitario qui Sanctæ Magdalenæ tempora attigisse dicitur, & cum ipsa proxime speluncam Sanctæ Balmæ colloquutus esse, vt supra diximus capite 9.

Ant.par.1. tit. 6.c.15.§.2.

2. Ex cuius quidem loci testimonio, non hoc solùm intelligi potest, quàm vetus fuerit hoc Eremitarum institutum, quasi iam valde receptum & vsitatum in Prouincia: verùm illud quoque, quanto in honore atque sanctitatis existimatione, illo etiam sæculo fuerit. Huius autem instituti Magdalenam quam Dei sapientia ad hoc potissimum opus, omni cœlestium charismatum copia instruxisse visa est, autorem ac parentem extitisse, constat ex superioribus. Cùm enim ipsa maioris perfectionis cupiditate ardens, longiùs ab hominum congressu, in interiorem solitudinem se contulisset, tantus animorum motus ipsius exemplo factus est, vt Massiliæ circumquaque vicini montes ac deserta multis hìc illic sparsis Eremitis complerentur. Qui ea superstite & deinde mortua, magnopere aucti & per alias deinceps ciuitates ac Regiones propagati, posterioribus sæculis vel Barbarorum irruptionibus, seu morum corruptionibus, vt solet, non solùm multitudine fracti & prope dissipati sunt, sed disciplina quoque. Etsi pauca primorum illorum temporum, hominum, locorum, gestarúmque rerum monimenta quæ nobis reliquerunt, quæque adhuc extant, tam vario támque multiplici fœtu abundant, in Prouincia nostra, vt hoc Eremiticæ vitæ genus plus in ea vigeat, ac maiores solitariorum copias alat, quam vlla alia Galliæ Prouincia tueri vix possit aut videat ur.

3. Certè sacram ipsam Balmæ speluncam, ab obitu Magdalenæ nunquam sanctitatis laude ac discipulorum ipsius Magdalenæ, Sanctissimorum Anachoretarum aut Monachorum frequentia caruisse, fiunt certæ diuinationum coniecturæ, & proferuntur literarum testimonia à peritis. Neque in eo montis secessu duntaxat, perfectio illa constit, sed eodem tempore in alias etiam Prouinciæ solitudines inuecta est. Nam quod in Insula Lerinensi, & Stœchadibus Massiliæ proximis & aduersis, ante S. Honoratum & S. Cassianum, hoc est ante annum Christi quadringentesimum, longè prioribus temporibus, & Sacellula in syluis, ac montibus & Eremitæ Magdalenæ discipuli extiterint: satis id declarat, quod in iis Insulis, non paucos se inuenisse viros solitarios, ac Cœnobitas, & inter hos,

hos, principes atque aliorum institutorem Iouinianum, Mineruium, Leontium, & Theodorum, Cassianus ipse commemorat. De quibus, Præfatione in septem vltimas Collationes sic ait. *Posterior siquidem vestrum illam Cœnobiorum sanctam atque egregiam disciplinam, in Prouinciis Gallicanis, antiquarum virtutum districtione fundauit. Cæteri verò, non solùm cœnobialem professionem apprimè Monachos expetere, verùm etiam Anachoreticam sitire sublimitatem, vestris institutionibus prouocastis. Ea namque Collationes ista summorum Patrum disputatione contexta sunt, & ita in omnibus temperata, vt vtrique professioni qua non solùm Occiduas regiones, verùm etiam Insulas maximi Fratrum cateruis fecistis florere, conueniant: id est, vt non solùm ii qui adhuc in congregatione, laudabili subiectione perdurant, sed etiam illi, qui haud longè à vestris Cœnobiis secedentes, Anachoretarum sectari gestiunt disciplinam, pro conditione locorum, ac status sui mensura plenius instruantur.*

4. De Sancto Honorato Cœnobij Lirinensis Abbate quem ideo S. Eucherius, primò, *Insulanum*: inde verò *Magistrum Ecclesiarum* appellat, S. Hilarius eius in vita Monastica discipulus, & in Episcopali sede Arelatensi successor apud Surium scribit in hunc modum. *Exeuntes de terra, & de domo, & de cognatione sua exemplo pares, verè Abrahæ filij demonstrantur. Ne quid tamen iuuenili ausu, temerè ab ipsis inceptum putaretur, assumunt senem perfecta consummataque grauitatis, quem semper in Christo Patrem computantes, Patrem nominarunt S. Caprasium, Angelica adhuc in Insulis conuersatione degentem: cuius quamquam dilectio vestra nomen hactenus ignorauerit, & adhuc nesciat vitam, amicis eum suis Christus annumerat. Hunc tanquam ordinatorem in Domino atque custodem suæ ætatis assumunt; quos iam custodes sibi plurima iuuentus elegerat. Quæritur ergo peregrinationis latebra, fugitur fama virtutis: at vbicumque itur, ibi alia, velint nolint, fama pariebatur. Fœlices terræ, & portus beati, quos cœlestem patriam sitiens peregrinus illustrat. Alij Orientis oras & quæcumque alia plena Sanctis loca, accipiendi exempli gratia accedunt; hi quidquid adeunt, exemplis bonis suscitant: spargitur vbique substantia, & in omni accessu eorum bonus Christi odor fragrat. Expetunt littora, quibus barbara esset etiam illa, quæ plurima in ipsis erat, Romana eloquentia: longum est percurrere, quem ab illis profectum vnusquisque locus traxerit, quam salubritatem Ecclesiis sine vllo Clericatus actu inuexerint, quot Magistris Magistri in silentio fuerint. Illud commemorasse sufficiat, intrepidè ab illis pro Christi desiderio, maris reuma toleratum, squalorem ac sterilitatem Achaici littoris expetitam, & tam delicatè, tam molliter educatos, contra tantas aquarum & aurarum varietates decertasse. Quod, quàm graue, quàm intolerabile illi teneritudini fuerit, excessus illic germani sui Beatissimi in Christo, viri Venantij, & infirmitatis suæ suorùmque protestabatur.* Et mox infrà. *Porrò Dei Prouidentia nobis prospiciens, cuncta disrumpit, & quem è patria Eremi desideria prouocarant, hunc in Eremum huic vrbi propinquam, Christus inuitat. Vacantem itaque Insulam, ob nimietatem squaloris, & inaccessam venenatorum animalium metu Alpino haud longè iugo subditam petiit: præter secreti opportunitatem S. ac Beatissimi*

Eucher. Ep. ad Salonium.

Sur. 16. Ianua.

tissimi in Christo viri Leontii Episcopi oblectatus vicinia, & charitate constrictus. Plurimis à nouo ausu retrahere illum conantibus. Nā circumiecti accolæ terribilem illam vastitatem ferebant, & suis illum occupare finibus, fidei ambitione certabant. Verùm ille, humanæ conuersationis impatiens, & circumcidi à mundo vel obiectu freti concupiscens, illud corde & ore gestabat, nunc sibi nunc suis proferens. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem: & in Euangeliis, Christi ad discipulos factam promissionem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones. Ingreditur itaque impauidus, & pauorem cæterorum, securitate sua discutit, fugit horror solitudinis, cedit turba serpentium. At quæ non tenebræ illud lumen refugerunt? quæ non illi medicamento venena cesserunt? Inauditum verè illud & planè inter miracula ac merita illius mirandum reor, tam frequens, vt vidimus, in illis ariditatibus serpentium occursus, marinis præsertim æstibus excitatus nulli vnquam non solùm periculo, sed nec pauori fuit.

Ps. 90. Luc. 10.

5. Idem quoque cogitare possumus de aliis Prouinciæ sanctioribus & antiquioribus Cœnobiis, longiùs ab hominum congressu, in interiori solitudine, reconditis olim & penitus abstrusis: in quam Magdalenæ discipulos primò pedem intulisse atque in possessionem, vestigium condendi Monasterij cæteris fecisse, colligitur ex ipsis tum monumentis fundationum, tum vetustatis exemplo. Vidimus, quæ de Massiliensi suburbana Eremo S. Victoris, quæ de Yuelina, Aquelatensi, Sanmaximinensi, Artacellensi, S. Zachariæ, ad memoriam Magdalenæ Annales loquuntur. In quibus olim Cassianitæ Monachi Massilienses, virorum ac fœminarum ac deinceps Carmelitæ, & Dominicani, celeberrima Monasteria fundarunt.

6. De Vernensi & Montis Riui, Aubertus Miræus in libro originum Carthusianorum Monasteriorum, statim post Prouinciam, cui titulus, *Prouincia Gebennensis*, vbi Cartusia maior, mox de Prouincia secunda, Comitatus Prouinciæ in tractu Massiliensi, secundo & quarto loco annumerat Conuentus, quibus sedem & fundamentum duas illas solitudines scilicet Vernensem, & Montis Riui non hactenus incognitas, Patres Cartusiani delegerunt. Quid de cæteris, id genus Monachorum familiis? Montis Maioris, Diœcesis Arelatensis, de qua Chopinus in suo Monastico. Sancti Cæsarij fœminarum in Insula Camaria, de qua Aymoinus, Digercensi, Toroneti, Boscensi, aliisve, quæ ipsæ quoque non solùm exemplo Magdalenæ in solitudinibus exordium sumpsere: sed etiam maiorem in modum auctæ, & multiplicatæ sunt, in societatem multorum, sub vnius ductu & obedientia. Paucas tantùm, ex multis pristinis, reliquas esse voluit Deus, circa hæc, Magdalenæ specus, asperrima saxa, etiam nunc cultas Eremos, sanctæ Mariæ de Angelis, S. Ioannis, S. Germani, S. Christophori, & cæteras, vt reuocaret animos nostros ad pœnitentis Magdalenæ, quæ ibi olim vitam asperiorem ac duriorem tanto cum labore, & contentione traduxit, celebrandam memoriam sempiternam.

Chop. lib. 1. Monast. tit. 1. n. 14. Aymoin. lib. 5. c. 23.

Ac

7. Ac præter hanc exempli autoritatem, habuit etiam ea res dignitatem, & vtilitatem permagnam, quod Magdalenæ discipuli non ad hoc vnum facti vt se diuinarum rerum contemplationi totos dederent; sed ex eis quoque diuina prouidentia certos quasi destinauit operarios, qui & voluntate & facultate ab illo accepta, in salutem proximorum incumberent, ac præsertim in redimendis de meretricio quæstu mulierculis, suum quique munus studiosissimè amplecterentur.

8. Horum primus ac celeberrimus Conuentus fuit Massiliensis, qui anno 1272. à Bertrando, viro pio & ciue Massiliensi, & exordium sumpsit & Patrum de Pœnitentia S. Mariæ Magdalenæ, nomen accepit: hic enim vir, accenso diuini amoris studio, & sanctitate præstans, cùm disciplinam ac morum honestatem, quæ tum senuisse videbatur, magnáque ex parte in pudore famæ pudicitiæque laxata esse, ad pristinam formam reuocare aggressus est. Quod etiam perfecit. Cuius exemplum sequuti complures, ei se Cœnobio addixerunt, ac paulò post, erumpente Bertrandi fama, tam multos ad sui imitationem & Magdalenæ venerationem exciuit, vt dimissis in totam Galliam & Germaniam Fratribus atque alumnis, plurima ipsemet viris domicilia constituerit, idque fœlicissimo successu & fructu, quoniam deinde vno Spiritu ac vinculo colligati omnes, adhibita etiam Romanorum Pontificum autoritate, in religiosæ vitæ Ordinem, certis legibus ac formulis astricti, conuenerunt. Scribit hoc luculenter Nicolaus Cruzenius Ordinis S. Augustini in suo Monastico, iis penè verbis. Ordo Patrum de Pœnitentia S. Mariæ Magdalenæ, fundatur anno 1272. aut 1277. Massiliæ, in Prouincia Prouinciæ, per Bertrandum, virum pium & ciuem Massiliensem, qui suis virtutibus hunc totum illustrauit Ordinem, confirmatum sub regula Diui Augustini à Nicolao tertio Summo Pontifice. Tota Gallia & Germania admisit hos Patres, nudis incedentes pedibus, cinctos largis & longis corrigiis pelliceis, portantes vestes subnigras, austerissimas, abiectissimas, & pallia eiusdem coloris ad genua pendentia. Forma vestium horum Patrum erat composita, iuxta figuram vestimentorum inseruientiū modò Patribus Capucinis, Patribus Saccitis & Patribus de Pœnitentia Iesu Christi. Vtebantur institutis & vestibus iuxta vsum Eremitarum Diui Augustini. Pro sigillo & insigni Ordinis, habebant vas plenum carbonibus ardentibus, & inflammatis, vt ostenderent, quo ardebant desiderio sequendi pœnitentiam Diuæ Magdalenæ, & conuertendi fœminas perditas, quibus multa ædificarunt Cœnobia, illorum strictissimis legibus subdita. Paulus quoque Vadouita in Arbore eiusdem Ordinis Eremitarum sancti Augustini, Paleonydorus in Antiquitatibus Montis Carmeli, Diago in Chronicis Dominicanorum, Duthuy De orbis vniuersi Statibus & Imperiis, Monasterium Massiliense & eius Patrem ac fundatorem B. Bertrandum, multorúmque fratrum socialem vitam prolixè commemorant.

9. Ex his radices egisse ac propagata esse aiunt, plurima domicilia fœminarum, quæ *De Pœnitentia* etiam nunc dicuntur, *S. Maria Magdalena.*

S Parisiense

Parisiense illud, factum vico S. Dionysij, vt ex eius fundatione, & supradictis autoribus constat: Auenionense, à Gregorio XI. sicut accepimus, cùm Cardinalis esset, constructum, in iis, quas nunc RR. Patres Minimi occupant, ædibus ac Sacello; tum à Cardinali Armeniaco deinceps auctum, & in aliam commodiorem sedem, quæ S. Georgij dicitur, translatum. Mitto alia quæ vel ab excitato sanctitatis splendore, ad inclinatam & prope iacentem descinerunt, vel quæ ab aliis religiosis iam habentur in suorum ordinem ac numerum cooptata, vt vix vllus ferè sit ex antiquis scriptoribus, de Origine Religionum, in quo, non huius Ordinis vestigia vel expressa potius testimonia de Magdalenæ in Gallias aduentu passim extent. De eodem genere est etiam Sodalitas Sanmaximinensis piorum hominum & mulierum, ad reliquiarum Magdalenæ custodiam & venerationem adhibita, prudenti sanè consilio. Etenim adeò exemplo & virtutis opinione alias ciuitates permouit, vt breui magnopere aucta, & in varia deinceps membra fusa sit. Iulius II. Pontifex Maximus pro suo erga Magdalenam Sanmaximinensem studio singulari, vt maximè inclytæ pietati, si quid deesset, munificè adiiceret, non sua tantùm firmauit autoritate, sed prudentia etiam amplificauit omnibúsque promiscuè qui pro illo Diuæ Magdalenæ Sodalitio preces funderent indulsit veniam aliquam delictorum.

10. Visus porrò, Bertrandi pietatem, & animas lucrandi, accensum studium æmulari, totíque Societati nostræ exemplo suo commendare, sanctissimus ac religiosissimus Patriarcha noster Ignatius, de quo narrat Maffeius in eius vitæ Historia. Quemadmodum mulierculas à maritis cùm pudicitiæ, capitísue periculo discedentes, matronis ditioribus, in officio continendas ac sustentandas diuidere consueuerat: sed cum cresceret numerus, ne cui grauior esset impensa, locum iisdem recipiendis alendísque publicè parare constituit, suúmque consilium impertiit primoribus ciuitatis, quibus rem ita probantibus, vt nemo tamen se profiteri vellet, tam gloriosi operis principem, hanc rationem Ignatius iniit rei ad exitum perducendæ. Ex area templi nostri Petrus Codatius procurator, lapides ingentes effoderat, cuiusmodi multi ruinis veteribus continentur. Hos igitur lapides in magna rei familiaris inopia, vendi, & summam ex iis confici aureorum centum Ignatius imperauit: Eam pecuniam cùm ad opus inchoandum primus in medio posuisset, tantùm reliquis ardorem inurit (insita mortalibus natura properè sequendi quæ inchoare piguit,) vt ex voluntaria collatione institutum sit Cœnobium, quo eius generis fœminæ sese reciperent. Ibique securè tamdiu delitescerent, quoad compositis controuersiis in gratiam cum maritis redirent: atque idcirco Cœnobium (vt suprà diximus) *Male nuptarum* vulgo appellatum est.

Maffeius lib. 3. c. 13.

CAP

CAPVT XXI.

Cælo missa oracula.

1. VEritatis certissima signa esse id genus oracula, colligimus ex eo, quod ad Timotheum scribens Apostolus sic ait. *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.* Timo.2. c. 3. Quamquam non tantùm certa, sed nobis etiam nota esse debuerint, quoniam nisi nota sint, fidei regula nobis non erunt. Porrò priuata Spiritus reuelatio, vt in se certa sit, nobis tamen nota esse nullo modò potest, nisi fortè diuinis testimoniis, id est veris miraculis,& vitæ sanctimoniâ confirmetur. Quæ dixerim, vt ad illustrandum aduentum Magdalenæ in Gallias, non modò non deesse videantur huius generis argumenta, indiciáque diuinitus patefacta: sed multa etiam eáque præstantissima ostendam in media luce versari, quod item videri crediderim non tam plebi imperitæ res populariter æstimanti, quàm graui cuiuis homini & certo iudicio eas ponderanti. Nunc de sanctitate quæ ad reuelationis fidem maximo adiumento esse possit, tum de miraculis deinceps dicemus.

2. Ex earum itaque numero reuelationum quæ in hoc ordine censentur, præstat illa & tempore, & dignitate, quam Deus Carolo cognomento (*Claudo*) Principi Salernitano dum in Aragonia captiuus ab hostibus detineretur insigni oraculo edidit; eámque maiores nostri testes viui, ac spectatores, cùm è Republica Christiana esse intelligerent manu scribi, ac literarum monimentis consignari iusserunt, quod ego MS. ex archetypis Tabulis Sanmaximinensibus exscriptum, quoniam Magdalenæ commendationem, & multa eius in Carolum Principem singularis beneuolentiæ studia perstringit, & pleniùs quàm alia ipsius captiui redemptionem distinctiúsque comprehendit, recitare totidem verbis opportunum iudicauimus superiori cap. Syluester Prieras nihil in hanc rem dicit pro testimonio, nisi quod erat notum atque testatum. *Carolus Rex Siciliæ secundus, & Comes Prouinciæ circa annum Domini millesimum ducentesimum septuagesimum nonum, bello nauali cum Rege Aragoniæ congressus, victus & captiuatus est, & apud Barcinonem moriturus, diro carceri mancipatus. Cúmque omni humana spe destitutus, indubitatam mortem expectaret, in breui à Magistro Guillelmo de Tonnais Ordinis Prædicatorum Confessore suo monitus est, vt Magdalenam, quæ in terris sibi subiectis prædicauerat, pænituerat, & obierat, in auxilium aduocaret. Qui statim firma spe de meritis eius concepta, ieiunio, & confessione, & lacrymis ei se commendauit. Ecce autem in ipsa vigilia festiuitatis B. Magdalenæ nocte adstitit ei Matrona pulcherrima, Carolum voce sonora*

& proprio nomine vocans, preces eius exauditas commemorans, & vt se velocius sequeretur indicans. Cùmque pro captiua familia sua ille precaretur: sequere, inquit, *me, & te sequentur tui omnes. Sic autem factum est. Post paululum verò cùm aliquantisper processissent, illa firmato gradu, & se inuocatam Magdalenam esse commemorans: scis*, ait, *vbi sis modò? At ille, intra muros*, inquit, *adhuc sumus Barcinonis, si non fallor. Falleris*, inquit: *sed iam es intra terminos tui Principatus & prope Narbonam ad milliare vnum. Sunt autem inter Barcinonem & Narbonam tres magnæ dietæ, & triginta amplius milliaria. Tunc ille perfusus lacrymis: Quid*, inquit, *ô Domina gratum rependere pro tanto beneficio possum? Dicam*, inquit, *cum instante bello quodam corpus meum de meo sepulchro sublatum, & loco eius aliud suppositum fuisset, vt fallerentur inimici, si meum corpus asportare voluissent, ita factum est. Vnde adhuc eo in loco iacent reliquiæ meæ, aliis loco earum sublatis. Illuc perge & eas talibus signis inuenies. Nam eo in loco vitis est, quam sequens de ore meo prodiisse videbis: & ibi est caput meum totum nudum, excepta ea carne, quam Saluator mundi in horto tetigit, cum eius volui tenere vestigia. Capilli omnes interierunt, exceptis iis, qui Iesu Christi pedes tetigere. Iuxta caput est ampulla plena terra madefacta sanguine Christi, quam sub cruce collegi, & semper quoad vixi, in memoriam Domini mei seruaui. Cùm hæc inueneris, honore digno eleuabis, & locum meæ mortis & meæ pœnitentiæ fratribus meis, id est Prædicatoribus trades. Ego enim Prædicatrix, & Apostola fui. Conuentui loci in quo decessi, reditus pro centum fratribus assignabis, vt semper ibi vigeat studium generale. Et his dictis disparuit.*

3. Subiicit paulò post, hanc mentis illustrationem vsqueadeo copiosam, & excellentem fuisse vt in alios quoque redundarit. *Quin etiam*, inquit, *Magistro Generali eiusdem Ordinis Prædicatorum tunc apparuisse dicitur, dum Carolum è carceribus exemit dicens: Vos elegi thesauri mei custodes atque cultores, propter quod etiam ipse Carolus tantùm ordinem dilexit, vt suæ scilicet Liberatrici se conformem efficeret.* Viro itaque clarissimo, & religiosissimo quo tempore multùm Barcinone distaret, longissimísque locorum interuallis à Rege Carolo diuersus esset atque seiunctus, ex inopinato, cœlestis species obiecta quasi Magdalenam sanctissimam, forma quadam visibili id significante exterius quod interius percipiebat, cerneret, cuius sermone, ita in fide ac Spiritu confirmatus & cœlesti lumine completus est, vt de Magdalenæ reliquiis, quæ audierat non dubitaret, & rectè ea intelligeret & aliis, ac pro earum defensione sibi omnia potius perpetienda duceret.

4. Tertiò posterioribus sæculis eadem diuinitus inculcata fuisse Monacho sanctissimo Fratri Elyæ, Gallo Ordinis Prædicatorum anno 1370. constare inter omnes video, traditque Syluester ex Libello quem de Fratre Petro Veronensi Priore Brixiano, & à F. Ioanne Fabrianensi diuini verbi præcone; & hi à F. Honofrio Florentino acceperant: hunc verò quidam Mercator Tuscus, qui ad visitandum antrum D. Magdalenæ venerat, metro conscripserat. Ita habet narratio.

5. *Anno Christi 1370. Sanctam Baumam, seu Italicè, Balmam id est antrum*

antrum in quo Magdalena pœnituit, quidam Mercator Tuſcus deuotionis gratia viſitauit. Hic inde ſic diuino ſuccenſus amore regreſſus eſt, vt ebrius amoris Spiritu, verba eius relegenti videatur extitiſſe. Hic regreſſus in patriam, ſua via itinerarium vulgari metro confecit, pulcherrimè veridicéque deſcribens, & loca, & reliquias omnes, quæ in S. Maximino, in Maſſilia & Arelate, & Auenione & reliquis locis vicinioribus continentur, iuxta ea, quæ oculis noſtris inſpeximus. Se quoque præſente, F. Eliam Ordinis Prædicatorum, qui Magdalenæ longo tempore id eſt annis octoginta ſex, in Sancta Bauma ſeruierat, multa quæ ſubinferam reuelaſſe & poſt paululum vitam finiuiſſe, teſtatur.

6. Igitur viſitatis reliquiis & ſpelunca, dum conſolatus Mercator diſceſſum meditatur, Fratres apud quos gratiam fortè inuenerat, eum Beati Patris Eliæ ſermone amplius conſolari voluerunt. Cúmque manibus Fratrum Beatus Pater Elyas delatus fuiſſet, (nam totus contractus, nil ferè præter linguam habuit, vitam participans) viſos peregrinos dulciter ſalutauit, ac Fratri ſe deferenti ait, ad locum meum me deportes, quia ſecreta Dei volo reſerare, quæ tacui. Locum verò ſuum dixit eum in quo ad orationem in ſpelunca ſuper petra, in qua nocte Magdalena quieuit, ſtare conſueuerat. Huc igitur dum Pater Elyas fuiſſet delatus, ſequentibus peregrinis, & ad lacrymas ſanctitatis eius aſpectu concitatis, ait. *Fratres, dies venit & hora mihi diu expectata mortis. Igitur quæ ad B. Magdalenæ gloriam, & veſtræ ſalutis augmentum enarro percipite. Cùm B. Magdalenæ ſeruiturus, deſertum iſtud & rupem horridam petiuiſſem, exacto hîc menſe, ſolitudinem faſtidiens, pœnitui & diſceſſum tacitus cogitaui. Quadam igitur nocte cogitationibus agonizans, ſubitò inſtar crucis montem hunc lapideum in partes quatuor diuiſum inſpexi, atque mihi quatuor mundi partes, Oriens, Occidens, Meridies, & Septentrio patuere: & cœlum ſurſum abyſſúſque deorſum. Igitur timore perterritus, in terram excors cecidi. Cúmque verbis quibuſdam dulcibus eleuatus ſpiritum collegiſſem, toto corde Magdalenam in auxilium aduocaui. Hæc ſtatim adfuit tam ſereno, & radianti vultu, vt in eam intendere non poſſem, operta capillis & nuda brachia, ac pedes floribus redimita, dicens: Inconſtans ac rudis, te propter apertus eſt mons, & te propter ego adſum: & per me, modo velis, anima tua in æternam vitam dirigetur. Tu hinc à meo ſeruitio diſcedere cogitaſti: ſed audi quæ dicam, & demum age, quæ libet. Vt noſti,* inquit, *è Hieruſalem Maſſiliam multi Deo volente & naue ſubuehente, deuenimus. At vbi Maſſilia & pars non parua regionis, Ieſu Chriſti fidem ſuſcepit, tantùm circa nos humanus fauor, & inquietudo creuerunt, vt hominum conſortia fugere cogitarem. Rapta verò diuinitus, ſub huius antri ſui ore depoſita. Cúmque hinc inde per locum mihi à Deo paratum lumina direxiſſem, draconem quem mea ſoror Martha occidit repente inter lucem & tenebras adſpexi, cuius horrorem ſufficienter exprimeret nemo. Remanſi eo diſparente, perterrita, & loco luſtrato, hominibus inuium aſcenſum deſcenſúmque rupe vetante cognoui. Tunc amoris dulcedine in lacrymas reſoluta, me ad terram proſtraui adorans, & dicens: Gratias tibi Chriſte amor, quòd me omni mea affectione repleſti: Sed oro fontem in rupe hac exhibeas deprecanti. Crepuit ſtatim ſub meis oculis immane hoc ſaxum, & quas*

quas cernis, Elia, aqua è duro silice scaturière. Cúmque ante ipsum limpidissimum fontem genuflexo Christo gratias agerem, ecce plusquam mille spiritus vidi in spelunca dextra stetisse, verba suauissimi amoris Hebraica lingua decantantes. Cùm igitur postremo subintulissent, non expedire animæ tam assiduam orationum frequentiam, eleuatis oculis, plenum aërem extra speluncam ex similibus inspexi. Igitur cum eos Dæmones suspicata, Iesum, nimium territa, acclamassem, repente cùm suis militiis Angelus Michael adfuit, dicens, Adsum Magdalena: ne timeas. Denique cùm malignis spiritibus congressus, eos omnes in fugam compulit, ita clamantes: Non eris tamen ideo Beata tu, quæ orationibus vacas in antro. Crucem igitur in ore speluncæ Angelus erexit dicens: Caue ne extimescas in posterum, quia custos tui est Altissimus.

7. *Steti igitur eo disparente, ad crucem orans, & Christum salutem meam contemplabar. Omni autem euoluto die, Angelorum adfuere militiæ, & me tam sublimem in aëra sustulerunt, vt cœlestes audiuerim resonare melodias. Quod ab inde citra septies semper intra diem, & noctem fecerunt. Frigus ac gelu, diuino igne succensa, iam non curabam. Cúmque meæ vestes paulatim vetustate deciderent, paulatim quoque diuina pietate mei creuere capilli: ac demum cum semicinctia è rupe deiecissem sese adeo diffuderunt, vt à me lapidibus succedendi gressum præpedirent. In ipsa verò cruce Mysteria Christi cuncta videbantur. Ibi Anna, & Ioachim historias: Ibi Mariam, Iesum meum mihi patientem: ibi Crucifixi tetrum liuorem, ibi pium cruorem, ibi dura vulnera, ibi crucem ac mortem eius dabatur intueri, & eumdem regredientem ab inferis, & cœli sydera penetrantem. Cúmque his cibata ferculis, nocte diéque flerem, cùm lauandi vultus gratia fontem petiuissem, obuium mihi humana forma Iesum me his verbis alloquentem vidi: Te propter, Maria, loca ista constitui. Circumstabant Cœlestes militiæ Regem suum, florum serta gestantes, & oliuarum, palmarúmque ramos tenentes in manibus. Et ecce resplenduit subito assumpta humanitas, & seipsum adinstar sui, cùm esset in monte Thabor, Saluator transfigurauit, adeo vt me oculos inflectere tanta maiestas compulerit. Me quidem ad vultum dilectum oculos attollere dulcis amor inflammabat, sed minimè valui. Cúmque mecum multa contulisset, illapsus est Cœlo & quoad vixi centies ac decies me in spelunca pro sua pietate visitauit. Itaque, Elya, tibi consulo, téque rogo vt in hac rupe Christi laudes exoluas, quo te ad vitæ portum tandem adducam. Sterilem locum sola ac nuda adiui: tu verò fratrum habes solatia, & victui vestituique abundanter opportuna. Igitur de perseuerantia cogita. His dictis ab oculis meis,* inquit Elias, *Magdalena euanuit. Et ego in hanc vsque horam omnes homines prædicta celaui. His dictis post horulam Beatus ille Pater exspirauit, statimque ipsa campanula, in ea rupe suspensa nullo hominum mouente, tinnierunt. Omnia hæc ex dicto libello fideliter assumpsi. Hactenus Syluester.*

8. Porrò hic sermo B. Patris Eliæ cum hoc ipso Mercatore Tusco multis audientibus de Magdalena institutus, ita in eius mente pietatem ac religionem erga venerandas Magdalenæ reliquias Sanmaximinenses insculpsit, ac veluti impressit: vt illo ipso tempore homo vix legendi scribendíque admodum sciens, de iis commentarium, sicut indicauimus, scribere

bere

bere sit aggressus, quibus ad posteritatis memoriam, certæ huius traditionis non solùm vestigia, sed etiam cubilia traduceret. Semper enim cùm ad aram Magdalenæ orationem funderet, quod frequenter & studiosè faciebat eximiam diuinæ consolationis percipiebat suauitatem, ac tanta támque clara luce perfundebatur, vt ab eo res ipsæ, nouo quodam lumine cernerentur.

9. Incredibilia cuipiam fortasse hæc videbuntur, quia supra omnem naturæ vim atque ordinem rationis, & cursum, in viro potissimum Principe, qui cùm vsu atque exercitatione Christianæ virtutis, & sanctimoniæ rudis esset ac tyro, tamen illi propheciæ huiusmodi & illustrationis Dei extraordinariæ conferre laudem, atque etiam in illo Sanctorum numero censeri, cum quibus se communicat, & pleniori manu, tanta bona largitur, non dubito quin mirere, atque etiam stomachere: sed vt hæc magna profecto, præclara, admirabilia Dei dona esse in confesso est apud omnes, ita omnia incredibilia videri non debent, nisi fortè iis, qui voluptates omnes corporis sensu definiunt, ac dona Spiritus sancti, & inæstimabiles diuinæ benignitatis thesauros, obscuros sanè & ignotos habent, qui hac in re audiendi non sunt. *Animalis enim homo*, inquit Apostolus, *non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia est illi & non potest intelligere, quia spiritualiter examinantur.* Tum in eo quod subiicit de sensu Domini. *Quis enim cognouit sensum Domini qui instruat eum?* Alludit ad Isaiæ caput 40. 13. vbi loco verborum. *Quis cognouit*, Hebraicè est, *Quis mensurauit?* hoc est quis plenè & adæquatè perspexit, & penetrauit Spiritum Domini? neque enim Deus, Principibus huius sæculi est similis, qui ministros quidem eligunt, sed bonos Ministros efficere non possunt. *Sapientiam* inquit, *loquimur inter perfectos. Sapientiam non huius sæculi, neque Principum huius sæculi qui destruuntur, ipse verò ex lapidibus suscitat filios Abrahæ, vocátque ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.* Et Ministros eligit quos electione sua sæpe idoneos facit; & ad omnia quæ vult habiles atque instructos, hac enim ratione se rerum omnium Dominum verissimè ostendit, & vt rebus omnibus vim suam largitur atque naturam, ita nomen pretiúmque imponit, vt tanta, & tanti quæque res sit duntaxat, quanti eam æstimat Deus.

1. Cor. 2. 14.

Isai. c. 40. 13.

10. Certè quidem, si attentè consideremus, quàm studiosè in illo tyrocinio licet, perfectæ vitæ Carolus Princeps iam tum virtute profecerat, & quemadmodum fuerit ab ipsomet Deo electus, vt de Ecclesia bene mereretur, ac delectum Religiosorum haberet, sacros milites conscriberet, Conuentus cogeret Fratrum Prædicatorum, & vniuersi eorum Ordinis amplitudinem & gloriam summis amplificaret facultatibus atque honoribus, vt Magdalenæ memoriam non extinctam illam quidem, sed repressam vetustate instauraret, Religionem institueret, ac breuissimò tempore per vniuersum terrarum orbem propagaret. Quam ideam? quódve exemplar habuerit propositum, ex quo rerum abditarum intelligentiam duceret? Vnde speciem formámque inuentionis acceperit? facilè intelligemus, cum accepisse

accepisse ab eo, qui hoc solus dare potuit. Neque enim naturæ viribus, aut propriæ industriæ artibus, rem tantam aggredi potuisset, vt quod videtur opus exequeretur, nisi oracula quæ instinctu afflatúque diuino funduntur, mentem ita mouissent, vt eam prouidam rerum futurarum efficerent.

11. Ille ipse Cœnobium de quo agimus sancti Maximini nomine insignitum, apud Salyos condidit, inuentis B. Magdalenæ cæterorúmque Beatorum reliquiis, quarum loculamenta in eiusdem Cœnobij templo videre est. Solemnes etiam, & horarias in D. Magdalenæ cultum preces commentatus elucubrauit, quas Religiosi Dominicani statis diebus alternatim in choro persoluunt. Prouectus verò ad Regnum Monasteria duodecim vel plura, Ordinis eiusdem Prædicatorum fabricauit, ac dotauit in quibus de Magdalena vsque hodie memoria quotidie agitur, ac tandem moriens Neapoli, cor suum Ordini eidem legauit, quod vsque hodie in Conuentu S. Dominici de Neapoli in eburnea pixide seruatur. Corpus in Prouinciam delatum, ad Monasterium, non Arelatense, vt insigniter hallucinatur Spondanus, sed Aquense Sanctimonialium eiusdem Ordinis sub antiquo nomine B. M. Virginis Nazarethanæ (nunc recens S. Bartholomæi) vbi non sine virtutum commendatione, & sanctimoniæ fama visitur integrum, & strumis affectos solo sanat attactu. Idem ille Carolus hoc etiam mox commemoratum B. Bartholomæi Cœnobium (Primarij prædij, à Monasterio sancti Victoris Massiliensi fuit abalienata portio) penè collapsum restituit, plurimísque condecorauit ornamentis. Cui omnium prima, vna ex filiabus eius, vt Antistita præfuit. Vir fuit pacis artibus insignis, affabilitate, beneficentia, & magnanimitate alter Alexander dictus, regnum suum ac præcipuè vrbem Neapolim, multis publicis ædificiis, sacris profanísque decorauit, egregiis institutis ordinauit; viris doctrina & pietate præstantibus auxit; denique ita se gessit, vt omnibus gratissimus existens, intimo omnium desiderio ac summo dolore elatus fuerit.

12. Sed ne tot effectus diuinæ bonitatis ita suspiciamus in Carolo, quin intelligamus ex Patruo suo Ludouico, Gallorum omnium Regum Sanctissimo tanquam ex sole clarissimos illos perfectæ vitæ radios, & quasi ex copiosissimo fonte tot eximiæ sanctitatis riuulos profluxisse. Nec multùm abfuisse dicitur ab his, Carolus Pater, idémque S. Ludouici frater germanus, Princeps indole animi summus, omnibus sui sæculi, virtute bellica, & pacis artibus longè antestans, Ecclesiæ Romanæ eiúsque iurium defensor, & amplificator egregius. Regni sui optimis institutis & ordinationibus, ædificiis sacris profanísque, ac Monasteriorum fundationibus illustrator præcipuus. *Magni* iure merito cognomen adeptus, ob fortia gesta, præstantissimásque animi ac corporis dotes. Moriens cum Eucharistiæ sanctissimæ viaticum suscepturus esset, hæc ex intimo corde protulit verba. *Domine Deus, obsecro te ita miserearis animæ meæ quemadmodum ego verè credo te esse Saluatorem meum, & ita dimittas peccata sicuti ego*

suscepi

suscepi expeditionem Siculam, honoris magis ac commodi Ecclesiæ causa quàm proprij. Ac paulò post animam sacris ritè purgatam efflauit. Quæ, vt ferunt, in ignem Purgatorium delata, apparuit B. Andreæ Anagnino Ordinis Minorum Alexandri IV. Pontificis Maximi agnato, vtque pro se diuinam misericordiam imploraret, flagitauit, nec nisi orationibus ipsius, à pœnis Purgatorij se forè liberam, constantissimè affirmauit.

Vxor eius Margareta Comes Tronodori Burgundiæ (vulgò *Tonnerre*) post viri obitum ad sua se recipiens, in Domo Hospitali à se constructa, & omnibus rebus ad pauperes recipiendos, & alendos instructa, pia ac sedula deuotione, omnia seruitutis, & humilitatis obsequia ad finem vsque vitæ, quam ad plurimos annos produxit, impendere perseuerauit.

13. Alterum eidem reuelationi conscium diximus Magistrum Ordinis Prædicatorum Generalé, quem ratione temporis, quo per Carolum diuinitus inuenta sunt sacra Magdalenæ lipsana colligimus fuisse Ioannem Viterbiensem, seu vt alij volunt, Vercellensem, de quo sic in Dominicanis Annalibus legimus apud Bzouium. Quod cùm de eo ad Magistratum vniuersi Ordinis assumendo, proceres in Comitiis generalibus deliberarent, per id temporis B. Ioannes Vincentius, eiusdem instituti, apud Bononiam ad populum verba habetet, prolata ex suggestu alba schedula, cùm electionem Magistri Ordinis in proximo imminere dixisset, & chartulam, vt erat alba, in deposito sacratiore recondi iussisset: Cras, inquit, electi nomine inscriptam per miraculum inuenietis. Nec falsus vates fuit: nam vt prædixerat, reperta est nomine Ioannis Magistri Generalis, quem tunc Parisiis elegerant, inscripta. Creatus deinceps à Nicolao III. Summo Pontifice, Patriarcha Hierosolymitanus, cùm Religiosæ vitæ quietem, tumultuatio Pastorali Officio anteponeret, maximis precibus apud Pontificem obtinuit, vt ex Senatus Purpuratorum consulto, onus impositum deponeret, & vni soli curæ tum suæ, tum Religiosorum saluti consuleret. Quamquam autem non lubens, missum tamen ab eo officio fecit Nicolaus, datis ei Literis Romæ apud sanctum Petrum, 2. Non. Februarij Pont. an. 2. Cúmque Nicolaus opera ipsius frequentius in negotiis Ecclesiæ vteretur, & is occasione tractatuum, actualem, quemadmodum Nicolaus Pontifex scribebat curam Ordinis sui intermitteret, monebat eum Pontifex ne rebus Ordinis sui Ecclesiæ, & Christianitatis negotia postponeret, sed tota mentis, & corporis promptitudine, ad publici operis, & pij laboris exercitium, quandocunque contingeret eum reuocari, sese accingeret. Literarum hac de re datarum exemplar scriptum est Romæ apud sanctum Petrum Idibus Ianuar.

Denique cùm annis omnino viginti vniuersum Ordinem gubernasset, & eum quidem toto iam fermè orbe diffusum pedibus obiuisset, iis Cardinalium Comitiis quæ inter Nicolaum III. & Martinum II. anno 1280.

habita sunt, hunc omnium suffragiis absentem electum, sed tamen priusquam eius rei nuntium acciperet, mortuum esse anno 1281. itaque præreptum tot molestiis quas ei illa curarum moles allatura erat. Huius monitu scripsit S. Thomas Tractatum contra impugnantes Religionem Mendicantium, cuius etiam tempore floruit Hugo de Sancto Charo Burgundus, primus huius Ordinis factus Cardinalis, de quo Bellarminus & alij.

14. Tertium, inter hos annumerauimus Fratrem Elyam, item Ordinis Prædicatorum. Porrò is fuit vir maximè pius & simplex, orandi meditandíque assiduitate præstans, tantæ verò abstinentiæ, vt aliquando dies totos cibi potúsque nihil sumpserit, sui contemptor egregius, Dei gloriæ hominúmque salutis cupidissimus, familiari sermone ad permouendos animos imprimis efficax, grauitate morum, & suauitate quadam solida venerabilis, diuinis illustrationibus mirificè abundabat. Id tum ex reuelatione proposita liquet, tum ex ipsa fama, & opinione sanctitatis propter quam dignum esse virum, qui *in Beatorum* numero collocaretur, ac religiosis honoribus celebraretur, censuit vniuersus Ordo, in generalibus Comitiis. Bzouius hoc ei Elogium in die obitus adscribit. Viuere hoc anno desiit Frater Elyas, Gallus, Diui Dominici Ordinem professus in antro D. Mariæ Magdalenæ post 86. annos in summa austeritate consumptos piè defunctus: postquam ea quæ secundùm visionem de sancta Peccatrice intellexerat, cuidam per reuelationem designato, pronunciasset.

CAPVT XXII.

An Carolus II. Siciliæ Rex, & Prouinciæ Comes, diuinitus Barcinone vinculis exemptus, Narbonam asportatus fuerit.

1. HVnc locum acrius vrgent, & hæc quæ de prodigiosa Principis, ex Cossetania in Galliam exportatione dicta sunt, opiniones potius, quàm oculorum mendacia esse coarguunt recentiores historici, certissimis suspicionibus & coniecturis. Primò quia eleuationem corporis Magdalenæ iam annis quinque omnino, priusquam Carolus caperetur, ab eodem ipso fuisse factam non suadet modò, sed persuadere videtur ratio temporum. Cùm enim contigisse illam, sub annum Christianum 1279. quo tempore Nicolaus Romani nominis Pontifex III. Et Rodolphus, ac

Michaël VIII. Imperatores, regni potiebantur, res sit omnium consensione laudata. Certè non antea Carolum nauali prælio captum ferunt, quàm Rogerius Lauria, Aragoniæ classis ad Siciliam Præfectus, Neapoli inuenit incautum, & exhortante nequicquam Gerardo Cardinale Parmensi Legatione Apostolica illic fungente, improuidè ad pugnam minus sibi suísque Gallis expertum exciuerit, in qua fortissimè dimicans captus est, vnà cum nonnullis Proceribus Gallis, Italísque, quinta die Iunij anno 1284. Præterea liberationem eius non ita, vti dicitur, factam esse nempe insigni quodam miraculo, ac precibus B. Mariæ Magdalenæ quam ipse singulari honore prosequebatur: sed ex hominum pactis, conuentis, stipulationibus plerique autores Franci, Itali, Hispani, Angli, Germani tradunt, confirmatúrque literis Pontificiis, aliisque omnis generis testimoniis apud Spondanum. Certè Nicolaum IV. ipso Pontificatus initio nempe Idibus Martij anno 1288. nuncios misisse repetitur, duos Archiepiscopos, Rauennæ, & Montis Regalis, ad Alphonsum Aragonium, vt cum eo, de liberatione Caroli agerent, diémque ei dicerent quo se intra sex menses sisteret, rationem de omnibus Pontifici redditurus, alioqui diuinarum legum humanarúmque in eum iudicio ageretur. Philippum item Francorum, & Eduardum Anglorum Regem per literas monuit, cum Ioanne Choleto Cardinale Sanctæ Ceciliæ Legato Apostolico, modos aliquos & conditiones adinuenire, quibus honestè, ac sine præiudicio Sedis Apostolicæ, ipsiúsque Caroli in libertatem vindicaretur. Has verò conditiones quas refert Spondanus in Annalibus, Eduardus, & Aragonius misero tulerunt. Vt Iacobo Alphonsi Fratri, Siciliæ regnum quod vsurpauerat cederet, Pontifex exoraretur, id annuere, Aragoniósque anathematis religione soluere; Carolus Valesius Philippi Francorum Regis Frater, iure Aragonij Regni, quod à Martino Papa acceperat decederet: Alphonso magnum auri pondus numeraretur, eáque omnia nisi intra triennium præstita essent in custodiam rediret, interímque obsides daret tres filios, & 60. ex Prouinciæ Phocensis primaria nobilitate viros, sponderétque curaturum se vt trium annorum induciæ à Rege Franco, eiúsque fratre concederetur Alphonso eiúsque Fratri Iacobo. Quæ omnia iureiurando firmauit Carolus, tribus filiis Ludouico, Roberto, Ioanne obsidibus datis, cum cæteris de quibus in prædicto consessu Eduardus, & Alphonsus apud Oloronem Beneharni ciuitatem, inter se conuenerunt. Tantùm enim fuit ipsi Carolo, tam diuturnæ captiuitatis tædium, vt grauissimas eas conditiones admittere non recusauerit.

Spond. an. 1288. n. 3.

Spond. ann. 1287. n. 1.

§. I.

Quæ in noua sententia, de inuentione Reliquiarum Magdalenæ, temeritatem redoleant.

2. VErùm de tempore inuentionis Reliquiarum Magdalenæ, quod nequaquam facta fuerit, antequam Carolus caperetur, manifestè videtur ostendi posse. Primùm, quia in contrarium nullo certo autore & idoneo teste, tantummodò leuissimis diuinationum coniecturis ducuntur ad suspicandum Antidicomagdalenitæ. Hinc quoque suadetur, quia eodem testimonio quo probant contigisse inuentionem anno Christi 1279. cognoscimus æquè iam Carolum ante ipsam oppressum ab hostibus, captumque fuisse. Vix enim alios habes autores qui notatum illum Inuentionis annum 1279. designent præter Chronicon Sanmaximinense MS. cuius autor tunc viuus ac præsens aderat, ex quo Syluester Prieras, Surius, Bzouius, & alij sumpsere, quo & Bartholomæus Lucensis qui tum etiam viuebat, in suis Annalibus, vt Bzouius refert ibidem. Ii verò in hac causa sentiunt vnum atque idem: nempe Carolum cùm in vinculis Barcinone haberetur, certámque mortem expectaret, apparente B. Magdalena fuisse liberatum, neque eius reliquias ante perquiri iussisse Carolum, quàm vacuus, expers, solutus ac liber ab hostibus & seruitute, viam Prouinciæ redisset. Accedit ratio, nam quod quis tumulos ac glebas defodere, inusitatas vias indagare, res penitus abstrusas atque reconditas in terris perquirere aggressus sit; neminem hactenus in historiarum Annalibus reperies, nisi ex aliqua causa, qua diuinitus impulsum id se fecisse dicat, ne quid temerè aut fortuitò, vel inconsideratè negligentérque agamus. Luciano Presbytero Gamaliel cùm in somnis apparuisset, graui quadam ac præclara senis specie, imperauit Ioan. Herosolymitanum Antitistem, adiret ageretque cum eo, vt Sanctorum corpora Stephani Prothomartyris, Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis, quæ diu & obscuro, ac sordido loco iacuerant, defoderentur, atque honestiùs sepelirentur. Fuisse autem verum illud Stephani corpus innumerabilia miracula ostenderunt, de quibus Euodius, libros duos conscripsit & S. Augustinus. *Latuit*, inquit, *tanto tempore corpus eius, processit quando Deus voluit, illuminauit terras, tanta miracula fecit, mortuus viuos facit mortuos, quia nec mortuus.* Helena Constantini mater in somnis admonita, conquirendæ Crucis studio Hierosolymam venit, vbi marmoream Veneris statuam in Crucis loco à Gentilibus collocatam, ad tollendam Christi Passionis memoriam post centum circiter octoginta annos, euertendam curauit. Quo loco purgato, altè defossæ tres cruces erutæ sunt, repertúsque seorsim ab illis Crucis Dominicæ titulus, qui cùm ex tribus quibus affixus esset non appareret eã dubitationẽ abstulit miraculum. Nam Macharius, Ierosolymorum Episcopus factis Deo precibus, singulas cruces, cuidam fœminæ graui morbo laboranti admouit

Bzou. an. 1283. n. 9. Sur. 22. Iulij

S. Aug. serm. 91. ex nouis.

admouit, cùm reliquæ nihil profuissent, adhibita tertia Crux, statim eam sanauit. Sanctorum Geruasij, & Prothasij corpora, cùm Philippus Christi seruus clam sustulisset, & in suis ædibus sepeliuisset, postea S. Ambrosius Dei monitu inuenta, in loco sacro & insigni collocanda curauit. Sancti Ioannis Baptistæ venerandum caput, semel in ruderibus antiquæ Herodis Regiæ, atque iterum in agro Emesæ, duobus Monachis commonstratum, atque inuentum fuisse, quod postea Romam translatum in Ecclesia S. Syluestri ad campum Martium summa deuotione populi asseruatur, idque euenisse non casu aut fortuitò, sed cœlitùs missis oraculis testantur Beda, Vsuardus, Ado, Marcellinus Comes, ac denique recentiores non pauci, qui prædictorum sequuti sunt fidem. Item Beda de sex ætatibus in Zenone, scribit corpus S. Barnabæ cum Euangelio Matthæi super eius pectore inuentum, ipso Barnaba reuelante, Sozomenus refert ossa Abacuc, & Michææ Episcopo cuidam fuisse diuinitus reuelata. Tum infrà docet quadraginta Martyrum reliquias diuina reuelatione fuisse inuentas.

Beda lib. de sex ætatibus item in Marc. c.6. Vsuar. Ado in Mart. 29. Aug Marce. Comes in Chronicis Sozom. l.7.c. vlt. & l. 9. c.2.

3. An ergo prudenter quis dixerit, aut probarit, temerè, & nullo consilio cogitasse Carolum de perquirendo & exhumando corpore Magdalenæ? aut si diuino aliquo impulsu, non sua sponte concitatus fuerit quem alij pretendere possunt aduersarij (nisi confingere libeat aut comminisci) præter illam, de qua diximus, à Magdalena in somniis apparente, factam in ergastulo Barcinonensi commonitionem & illustrationem?

Postremò ne propter seriem illam temporum, & anni 1279. in MS. Saninaximinensi codice notatam, qui Syluestro, & aliis scriptoribus documento fuit, tam obstinatè in præpropera, & præcipiti reliquiarum inuentione tuenda persistas, quæ nostra causa, prudenter nos monet autor recens vitæ S. Mariæ Magdalenæ, Ioannes à sancta Maria, Ordinis Prædicatorum qui accuratiùs omnia ista expendit: videndum est num Amanuensium; vel legentium incuria, aut ignorantia, notæ mendum in ætatis calculum irrepserit, vt pro anno 1289. suppositus reperiatur 79. & verò Laziardus hanc inuentionem refert ad annum 1280. sub Nicolao III. & in attestatione authentica quam dabimus infrà, facta scribitur sub Martino IV. anno 1281. nihil enim legenti procliuius, præsertim in deformatis vetustate, aut adulterino charactere codicibus, quàm aberrare oculis, vel addubitato augurio & diuinatione mentis. Atque ita emendata MS. nostri Chronologia, nihil admodum est si allubet in quo deinceps non cohæreamus ratione temporum consequentium, cum aduersariis. Alij probabiliter existimant contigisse fatidicum illud Caroli Regis somnium antequam caperetur ab hostibus, vt incerto adhuc ac dubio, miniméque expectato captiuitatis euentu non admodum sollicitus fuerit, nec apparuerint nota reuelationis signa, nec ipse prius quàm denunciato vitæ functus periculo ac libertati restitutus, in effodiendis Magdalenæ reliquiis sedulam nauarit operam.

Ioan. à S. Maria to. 2 vitæ Sanctarum Ord. lit. M.

§. II.

Libertatis Caroli restitutio fouea, & crux aduersariorum.

Surita libr. 2. Phasel. lib. 9. Causs. tom. 3. Axiom. 12. de vindicta Sommontian. c. 3. Bzou. Sponda. an. 1283. n. 10. Spondanus an. 1284. n. 4.

Bzoui. ex an. 1283. n. 9.

4. AD alterum controuersiæ caput, de modo solutæ captiuitatis. Dicendum adiisse Carolum duplex periculum, & extremum pene discrimen; vitæ alterum, & alterum libertatis. De priori rem gestam fusius narrant Surita, Phaselus, Nicolaus Caussinus noster in Aula sancta, Summontianus, Bzouius, Spondanus, & plures alij passim. Cùm enim Carolus in Siciliam abductus, Matagryphoniæ arci Messanensi inclusus detineretur, omnium Procerum animos acre odium peruasit, ac indefessa sollicitatio, volentium, vt is eo mortis genere afficeretur quo Carolus eius pater, in Conradinum Conradi Regis filium, Friderici Imperatoris nepotem, tam acerbè crudelitérque vsus fuisse dicebatur. Et quamuis Pontifex Martinus V. per duos Legatos Cardinales, id assequi conaretur ne Carolus grauiore iniuria afficeretur: tamen Siculi ne excommunicationem quidem ipsam pensi facientes, vno ore conclamabant oportere extremo supplicio in Carolum animaduerti. Itaque Constantia vxor Petri Aragonij, quæ in Sicilia tunc erat, Principi per internuntios mandari iussit, se vti ad mortem, quæ ipsi irreuocabili suorum sententia ingruebat, compararet. Ille verò cùm fortè feria sexta hebdomadæ id ei renuntiatum esset, magno animo respondit, paratissimum se esse ad illam patienter suscipiendam, eo die, quo salutis humanæ autor, insons culpas mortalium sanguine suo expiauerat. Quo responso perculsa Constantia, eiusdem etiam mortis redemptoris intuitu, parcere illi velle se dixit. Eúmque Siculis abductum in Aragoniam, ad virum transmisit. Nec alienum est quod petitiores, & egregiè fideles historici subiiciunt, Constantiam timentem periculo viri sui, filiorúmque, à Galliæ simul, & Angliæ Regibus, Caroli propinquis, & amicis, si interficeretur, saniore vsam consilio, Siculorum animos temerè excitatos retinere voluisse. Et vt Carolum Principem saluum incolumémque conseruaret, ex Matagryphonia, Mamettinorum arce in Cephaleditanam transtulisse. Cúmque ipsi ad mortem eum quotidiè deposcerent, Constantia à facinore abhorrens, Oratoribus, ne inconsulto Rege Petro quicquam agerent, sed ab eo interfectum iri, oportere respondit. Et interim, sanguinariis eorum manibus subductum in Aragoniam clam transmisit. Vbi cùm in vinculis Barcinone haberetur, certámque mortem omni humana spe destitutus, breui expectaret, à Magistro Guillelmo de Tonais Confessore suo admonitus, Mariam Magdalenam venerabundus implorat: ídque vbi fecisset dat se lectulo ad quietem, spei & fiduciæ plenus. Nec vana spes fuit, eadem enim nocte se illi dormienti obtulit Magdalena, quam cùm è specie, qua coli solet

ſolet à Chriſtianis agnouiſſet, ſupplex adorauit in ſomnis, vitæque vindicem magna ſpe & prope explorata ſuſcepit. Dum interim, eiuſdem Magdalenæ auſpicio victa melioribus conſiliis Regis Aragonij obſtinatione, & diuina luce caliganti animo oborta, ad clementiam manſuetudinémque inclinare cœpit, ac paci, cum hoſte captiuo quæ nihil habitura eſſet inſidiarum, conſulere. Etſi deinceps continuatis tenebrarum ac parietum cuſtodiis, non niſi virorum Principum interpellatione, ac filiorum obſidum interuentu, quemadmodum ſupra dictum eſt, plurimos poſt annos euaſerit ex ſeruitute, & ex cuſtodia emerſerit. Neque eſt, O bone, quod tam aſperè in prodigioſam etiam hominis tranſuectionem inueharis, & maledicas: vi enim diuina non modò rem geri poſſe, verùmetiam ſemel atque iterum ac ſæpiùs geſtam nemo adeo peregrinus & hoſpes in ſcientiarum diſciplina eſt, qui ignoret.

5. Nouum autem illud Turſellini admodum ſcitum eſt de Hebræo, qui Nazarethi habitabat, in vico, vbi Lauretanæ Domus extabant prima veſtigia. Is ex loci vicinitate, de quo multa fando audierat admirabilia, religionis aliquid traxerat, quare iam ſexagenarius, cùm ob patratum neſcio quod facinus, à Turcis comprehenſus, & æternis mancipatus haberetur vinculis, deſperata ſalute corporis, de animo cogitare cœpit. Ieſum Meſſiam Chriſtianorum eiúſque Matrem ſanctiſſimam veneratur ſupplex: nec irrita precatio fuit, tandem nocte ſecundùm quietem illi eximia pulchritudine ac maieſtate Virginis ſpecies oblata, captiuum vinculis, quibus tenebatur, eximit, foribúſque carceris reſeratis adhuc ſopitum ſomno deduxit ad portum, vbi paratam nauiculam B. Maria hortante conſcendit, quæ per maria ſua ſponte incredibili celeritate, biduo Anconam traiecit. Mitto hîc alia id genus ſexcenta miracula recenſere. Fidei certè alicuius eſſe debet, quod quamuis reipſa, & exterius, non gererentur à Carolo quæ ſecundùm quietem, ſenſibus eius obiiciebat Magdalena. Dicimus tamen internam mentis illuminationem, & diuinum quoddam ſomnium fuiſſe, quale periti ſcripturæ interpretes, à naturali ſiue animali diſtingunt. Naturale ſomnium vocant, quod ex affectione duntaxat, ipſius dormientis, & cauſis in eo latentibus ortum habet. Diuinum quod à Deo iniicitur, & inſpiratur, ſiue id fiat immediatè à Deo, ſiue Sanctorum interuentu: vt prænunciet inſignem aliquem euentum, ad lætitiam aut mœrorem, & ad fœlicitatem aut miſeriam ſiue alicuius priuatæ perſonæ, ſiue totius Reipublicæ, pertinentem. Autor libri de Spiritu & anima ſiue is ſit Hugo Victorinus, ſiue alius, tria diuini huius ſomnij genera enarrat, videlicet Oraculum, Viſionem, & Somnium. Oraculum, inquit, eſt cùm in ſomnis aliqua ſancta grauíſque perſona, vel etiam Deus euenturum aliquid apertè, vel non euenturum; faciendum vel euitandum, nunciat. Viſum eſt, cùm id quod viderat aliquis, eodem modo quo apparuerat, euenit. Somnium eſt quod figuris tectum, & quod ſine interpretatione intelligi non poteſt. Horum multa continent exempla diuinæ literæ, tam in veteri quam in nouo teſtamento, vt ſomnia Iacobi, Ioſephi,

Turc. lib. 9. Hiſtor. Laure. c. 12.

Lib. de Spir. & Anima c. 15.

Gene. 28. & 37. & 41. Daniel. 2.

Iosephi, Pharaonis, Nabuchodonosoris. Et vbi legimus in Matthæo fuisse D. Iosephum admonitum in somnis ab Angelo, vt puerum Iesum & Matrem in Æygptum deferret, deinde iterum, vt eos in Palæstinam reduceret. Visus sibimet sæpè Xauerius noster per quietem, humeris Indum aliquandiu vectare, adeò grauem, vt ipsemet pondere fatigatus excitaretur à somno, quod quidem rei futuræ indicium potius, quàm sopitæ mentis ludibrium fuisse, deinde ostendit euentus.

6. Haud aliter Deus, Carolo nostro, Magdalenæ interuentu somnium immisit, vt rerum latentium ac futurarum prænotionem impertiret, quas deinceps post restitutam, amicorum opera, libertatem, ita fideliter & eo modo quo mentis oculis apparuerant, curauit; vt Crucis de Leuca, Narbonæ, ac triumphi quo ibi ex Aragonia reuertens exceptus fuit apparatus, & sacrorum ædificiorum Sanmaximini, & alibi passim aliorum monumenta etiam nunc posteritati propagata extent.

CAPVT XXIII.

Sanmaximini Magdalenæ, & aliorum Sanctorum Lipsanothecæ, indiciis cœlestibus inuentæ.

1. PRouinciam regressus Carolus Comes, vt qui Magdalenæ non modò vitæ, sed etiam libertatis suæ vindici vota deberet, omnia collustrare animo attentè cœpit, omnia circumspicere, si qua reperiret sacra eius lipsana, quæ diu in obscuro latuerant loco, mox honestiùs sepelienda. Nec enim negari potest quin ad honorem, & Ecclesiæ communem sensum atque vsum pertineant, sacrorum ossium id genus translationes. S. Gregorius describit translationem reliquiarum Petri, & Pauli, quæ facta est ipso tempore quo passi sunt ad Catacumbas, tum è Catacumbis ad Vaticanum, & Prædium Lucinæ in via Ostiensi. Cornelius Papa, & Ruffinus de translatione similiter commeminere reliquiarum S. Ioannis Baptistæ ex Palæstina Antiochiam. Chrysostomus S. Babilæ. Sozomenus Meletij Antiocheni. Theodoretus S. Chrysostomi. Euagrius sancti Ignatij sub Theodosio Iuniore, Antiochiam. Istud ipsum, in omnibus, atque vno modo de Reliquiis Magdalenæ, cùm assiduè multi optassent, ac fortè tentassent nullo successu, optimis tandem auspiciis Carolus Princeps sacrum corpus in suo tumulo Sanmaximinensi commonstratum: & inde omni apparatu ornatúque visendo in altum, locatum habuit, vel eodem ipso anno, vel post alterum quo Historici tradunt, Magdalenam quasi ab orco mortuum illum reducem in lucem, vti hæc quidem & alia ad rem firmandam

Lib. 3. Ep. 3.

Sozom. lib. 7. c. 10. Theod. lib. 5. c. 36. Euagr. lib. 1. c. 16.

firmandam efficacia, narrantur diffusè ex MMSS. citatis, & Historicorum autoritatibus, qui pro testimonio dixere. Paucas hîc appello, quorum non modò literis ac sermonibus, sed ipsis quoque oculis, & sensu testata res habeatur. Bernardum Guidonis Episcopum Lodeuensem qui paulò post vixit. Ptolomæum Lucensem, tunc viuentem quique à testibus viuis præsentibúsque, audiuisse potuit, quæ de hac Inuentione scripsit Richardus Cistertiensis. Richardum quoq; ipsum Cistertiensem in Nicol.III. magnum Chronicum Belgicum ad an. Christi 1279. mense Decemb. Ioann. Laziardum in historiæ vniuersalis Epitoma. Bzouium in Annalibus anno 1279. & 1370. Spondanum, in continuatione Annalium Baronij an. 1279. Sed vt ea lector magis etiam percipiat cùm egregiè dicant Bernardus Guidonis & magnum Chronicon Belgicum, verba illorum vt aptissima apponam.

Bern. Guido. in MS de vita S. Magd. Ptolom. Lucens. lib. 23. hist. c. 35 36. Laziard. hist. c. 140. Bzou. an 1279. n. 19. & an. 1370. n. 24. Spond. to. 1. Annal. n. 3.

2. *Anno Gratiæ Domini nostri Iesu Christi* 1279. *mense Decemb. Carolus Princeps filius Caroli Regis Siciliæ, Comes Prouinciæ, & postea verò Rex Siciliæ, Corpus S. Mariæ Magdalenæ perquisiuit tam sollicitè quàm deuotè, in sancto illo Oratorio, in quo S. Maximinus, vnus ex* 72. *Discipulis Domini nostri Iesu Christi venerandus Protopræsul Aquensis, olim tradiderat sepulturæ, sicut in antiquis & authenticis vtriusque Actis latius continetur, in Villa, quæ ab ipso denominata Pontifice, nunc Sanctus dicitur Maximinus. Apertisque omnibus tumulis, qui erant in vtroque latere, hinc & inde: necnon effossa humo quæ erat in Oratorio memorato, inuentum est corpus Sanctæ Magdalenæ, non quidem in tumulo de alabastro in quo primum conditum fuerat, qui adhuc ibi cernitur cum historiis, & sculpturis: sed in alio tumulo marmoreo, ibidem è regione ad dexteram introeuntibus collocato, cùm ingenti odoris fragrantia, tanquam si aperta fuisset suauium aromatum apotheca: sequentibus signis, & multis miraculis gloriosis, quorum non pauca euidentia habentur ibidem, literarum memoriæ & testimonio commendata. Ex lingua autem sanctissima, eiusdem S. Mariæ Magdalenæ adhuc tunc, quod est admirabile, suo capiti & gutturi inhærente, exibat radix quædam cum ramusculo, quasi fœniculi, & exteriùs prominebat in longum, quem qui præsentes aderant admirantes, suis oculis clarius conspexerunt, & manibus tetigerunt, quæ radix cum ramusculo diuisa postmodum in particulas à diuersis personis, & in diuersis locis ex deuotione pro reliquiis conseruatur. In eodem quoque tumulo, iuxta corpus sacrum ad assertionem, & testimonium perpetuæ veritatis, Cartellus quidam vetustissimus conclusus in ligno quodam, pro conseruatione à putrefactione repertus fuit, continens hanc scripturam. Anno natiuitatis Domini* 896. *mense Decembri in nocte secretissima Regnante Ottone piissimo Rege Francorum, tempore infestationis gentis perfidæ Saracenorum, translatum fuit hoc corpus charissimæ ac venerandæ Mariæ Magdalenæ de sepulchro suo alabastrino in hoc marmoreum ex metu dictæ gentis perfidæ Saracenorum: & quia securius est amoto corpore Cedonij Istum ego Cartellum vetustissimum legi, qui hæc scribo, & vidi ibidem in sacrario reseruari in testimonium veritatis. Memoratus autem Princeps, & Comes Carolus, postmodum Rex Siciliæ, præmissis omnibus; perscrutatis diligentius, & inuentis: conuocatisque postmodum*

dum, & præsentibus Narbonensi, Arelatensi & Aquensi Archiepiscopis, & pluribus aliis Episcopis, & Abbatibus, Religiosis, & nobilibus suis, cum Clero & populo congregatis, die ad hac statuta videlicet 3. Nonas Maij, anno Domini 1280. leuauit inde sacrum corpus, B. M. Magdalena. Et in capsa pretiosa auro & argento, & plurimis lapidibus pretiosis primitus præparata, digno cum honore collocauit. Caput verò ipsius postmodum in concha pretiosissima, ex auro puro & lapidibus pretiosis miro artificio ac decoro fabrefacta inclusit, vbi deuotè corpus & caput reseruatur, & miraculis euidentibus declaratur. Tunc & reperta fuit per eundem Carolum cum Prælatis, in tumulo memorato scriptura alia vetustissima in quodam Cartello cera vndique exterius cooperta, quæ vix præ vetustate legi potuit. Quæ talis erat. HIC REQVIESCIT CORPVS MARIÆ MAGDALENÆ. Porrò animaduertendum est hoc Programma in tumulo D. Magdalenæ repertum, literis esse Gothicis exaratum, vt & aliud de quo sup. à. Quæ duo programmata, Christiani ipsi, inter geminam suberis spiram ritè composuerunt, ne computrescerent: & in Beatæ tumulum immisere, vt futuris olim sæculis sacra D. Magdalenæ ossa distinguerentur apertiùs, cùm in eadem specu, quam terra cumularunt, essent quatuor illa quæ etiamnũ visuntur monumenta. Causam recondendi reliquias dedere barbarorum frequentes incursiones, nam Sarraceni anno salutis 700. illo terrarum tractu qui Pyrenen inter, & Alpes interiacet, occupato, cepere Auenionem plena luce, Magalonam deuastarunt, vrbésque præcipuas huius tractus qui eorum ditioni subiacuit, donec Carolus Martellus anno quarto, quintóue post ingentem illam Sarracenorum internecionem ad Turonensem agrum exhibitam, aduentaret. Quare in tam aperto religionis ac vitæ discrimine incolis totius Prouinciæ vel profugis, vel fato functis, sacræ Beatorum Reliquiæ non tantùm in S. Maximini oppido, sed in tota Salyorum Prouincia, retrusæ atque abditæ in tenebris 600. annorum spatio, sequentibus incognitæ posteris latuerunt. Mamertus Archiepiscopus Viennensis in quadam ex suis Epistolis de cladibus exitióque conqueritur, quibus hoc temporis Sarraceni suam Diœcesin affecerant.

3. Celebrata fuit prædicta reuelatio, inuentio, & translatio Corporis B. M. Magdalenæ in Villa S. Maximini Aquensis Diœcesis 3. nonas Maij, 1280. Pontificatus Nicolai Papæ III. tertio & vltimo anno, eodémque die statuto futuris temporibus celebranda. Quo in loco postmodum tempore succedente memoratus Carolus Rex Siciliæ iam effectus, Conuentum F. Prædicatorum poni & institui procurauit, translatis inde Monachis S. Victoris Massiliensis per Bonifacium Papam VIII. anno Domini 1295. vbi Ecclesiam Mariæ Magdalenæ, & aliorum Sanctorum in eodem Oratorio quiescentium scilicet S. Maximini & Celidonij cæci nati, & à Christo illuminati, & Marcellæ ancillæ S. Marthæ quæ dixit, Christo Domino (Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.) *Idem Rex pulchram Ecclesiam & magnam fieri iussit sumptibus regiis, locúmque dotauit, tam in libris quam in iocalibus & pretiosissimis ornamentis ad Dei cultum celebrandum*

brandum iuxta magnificentiam Regalem. Sunt in eodem loco etiam reliquiæ S. Susanna quæ curata fuit à fluxu sanguinis per contactum fimbriæ vestimenti Christi.

Ortonis siue Odoini, vt alibi dicitur, nomen, mendosè à librariis scriptum esse, fiunt certæ diuinationum coniecturæ à peritis, quòd non eodem modo, sed variè nunc Odoinus aliàs Ortonius vox proferatur. Existimo legendum esse, *Eudonem regnantem*, non quidem Francorum Regem, quod fortè de suo addens interpres hallucinatus est, sed Aquitaniæ Ducem, nisi velis idcirco Regem appellari Francorum, quia Rex Chilpericus & Reginfredus, legationem ad ipsum dirigentes, eiúsque auxilium, contra Carolum postulantes, Regnum Eudoni ac munera regia tradidisse dicuntur ab Appendice Gregorij Turonensis, in historia Francorum. Sed & piissimum laudare possumus, quod in Sarracenos, contra pacta conuenta, flammis sacra prophanáque omnia absumentes, studio Religionis arma conuerterit. Similitudo verbi ad literam immutati, causa fuit cur interpres, Gothicæ scriptionis ignarus, Eudonem latinè reddiderit, Ortonium vel Eudonium. Greg. lib. 11. c. 107.

4. De aliis Reliquiis Syluester articulatim. *Cùm deuotionis gratia*, inquit, *antrum in quo pœnituit B. Maria Magdalena, & sacras eius reliquias apud S. Maximinum visitassem, ostensum est mihi pluries sacrum & venerabile caput eius, grande valde, & totum vndique ad os vsque denudatum, excepta ea parte frontis, quam Saluatorem omnium diximus tetigisse. Ibi enim pellis adinstar quasi Æthiopissæ, seu cadaueris iamdiu occisi, clarè apparet, & in pelle duæ fossæ duarum extremitatum digitorum, quarum altera multò est reliqua euidentior atque profundior, & sub pelle caro ad albedinem declinans. Ostensi sunt & in vitrea ampulla eius capilli non omnes, sed qui pedes Christi tersere; necnon & ampulla vitrea, plena terra, habente colorem medium inter rubeum ac nigrum, quam in Parasceue B. Magdalena sub cruce collegit: quæ vt omnes mihi sine hæsitatione affirmabant, singulis annis in die Parasceues, perlecta passione, euidenter & clarè ebullit, ac si ibi videatur sanguis ebullire. De qua quid sentiendum sit aliàs. Vidi & brachium eius magnum & cerei coloris: ossa verò eius in capsa argentea reclusa videre non potui. Alabastrum quoque vnguenti nardi spicati pistici pretiosi monstratum est mihi Massiliæ in Ecclesia S. Victoris.* Hæc ille Sur. 22. Iulij.

5. Addam illud postremò de mandibula S. Magdalenæ quod ex MS. Sanmaximinensi celebratur, ad Caroli laudem, factum illustre ac gloriosum. *Tempestiuum*, inquit, *est maximam deuotionem memorati Regis Caroli, ad gloriosam S. Mariam Magdalenam, scripto commendare, & posteritati significare. Et profectò cum mandibula à sacro capite Beatissimæ Mariæ Magdalenæ separata fuisset, & ad Vrbem translata ac in summa veneratione à Summo Pontifice Romæ custodiretur, & à toto populo Romano plurimum coleretur, gloriosa tamen Magdalena corpus suum in Prouincia integrum post mortem, prout in vita fuerat, volens permanere præfatum Regem increpando admonuit atque sibi*

strictius imposuit, quatenus ipsam Mandibulam ad Prouinciam reduceret, ac pro illius recuperatione Pontificem Romanum adiret, quod etiam fecit: & tandem à Romano Pontifice cum maxima difficultate recuperauit sacram Mandibulam, quam in Monasterio Sanctimonialium de Nazareth Ciuitatis Aquensis, sub cura habito, & institutione Ordinis Fratrum Prædicatorum. Quod quidem Monasterium priùs fundauerat sub numero centum Monialium iussu B. Mariæ Magdalenæ; non minus dignè quam honorificè cum multis Sanctorum Reliquiis posuit, & collocauit. Dictúmque Monasterium Sanctimonialium amplissimis reditibus, & donariis dotauit, & filiam suam primogenitam ob honorem dictæ Sanctæ, Virginem ac Monialem Deo consecrauit, & post obitum suum præfatus Rex corpus suum ad ipsum Monasterium Sanctimonialium transferri ordinauit, vbi sub quadam corporis integritate videtur. Et ad sepulchrum suum venientes per contactum Sanctarum eius manuum a languoribus sanantur. Quid plura memoratus Rex in Regno suo Siciliæ septem cœnobia Ordinis Prædicatorum in honorem, & reuerentiam dictæ sanctæ Mariæ Magdalenæ instituit, & magnificè fundauit atque dotauit, non immemor tantorum beneficiorum à memorata Sancta receptorum.

6. Sequitur Translatio præfatæ Mandibulæ B. Mariæ Magdalenæ, & vnio eiusdem ad sanctum Caput, per Serenissimum Principem Regem Renatum.

Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo, & die vigesima nona mensis Iunij, qua die fit festum Apostolorum Petri, & Pauli: Regnante Serenissimo Principe Rege Renato, fuit missus per eumdem Principem Reuerendus in Christo Pater Episcopus Massiliensis Dominus Nicolaus de Brancassiis ad transferendum Mandibulam capitis B. Mariæ Magdalenæ de Ciuitate Aquensi, & de Monasterio Monialium de Nazareth, ad Sanctum Maximinum: qua honorificè recepta per Reuerendum Patrem Magistrum Iacobum de Ponteuez Priorem, & Fratres eiusdem Conuentus, vnà cum Baiulo, Scindicis ac omnibus incolis dictæ Villæ, per dictum Prælatum fuit vnita dicto Capiti. Moxque præfatus Dominus Episcopus Massiliensis accessit ad capsam, vbi reseruantur ossa dictæ Sanctæ, quâ aperta recepit cunctis videntibus, particulam brachij sinistri dictæ Sanctæ, & ad præfatam ciuitatem Aquensem detulit, atque dicto Monasterio tradidit in recompensam præscripta Mandibula sanctæ. Ad laudem, & gloriam omnipotentis, Dei totiúsque curiæ Cælestis.

CAP

CAPVT XXIV.

Synodo coacta Episcoporum, & Abbatum Galliæ Narbonensis, res exploratur.

1. NOn erat ignarus Princeps sapientissimus, in iis quæ ad sacrum & diuinum cultum pertinent, nisi accederet Ecclesiæ auroritas, facilè controuersias & suspiciones oriri, non minore damno quàm offensione populorum. Omnium igitur primùm, omnem certaminum & obtrectationum materiam remouendam ratus, vt prouideret bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus Narbonensem, Arelatensem, Aquensem, Ebredunensem Archiepiscopos sibi demereri, & coacta Synodo Episcoporum & Abbatum, ad rem explorandam impellere statuit. Præclarum à maioribus acceperat morem, rogandi Ecclesiam de rebus ad Dei cultum & religionem spectantibus. S. Ambrosius initio exhortationis ad Virgines: *Ego*, inquit, *ad Bononiense inuitatus conuiuium, vbi S. Martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis, & gratiæ reseruaui.* Et Augustinus. *Cùm* inquit, *corpora Sanctorum Geruasij & Prothasij propalata, & effossa, digno cùm honore transferrentur.* S. Hieronymus lib. contra Vigilantium scribit tempore Constantini Imperatoris, translatas Constantinopolim, Andreæ, Lucæ, & Timothei reliquias: & tempore Arcadij translatas ex Iudæa in Thraciam, reliquias Samuelis Prophetæ, tanto honore, vt in vase aureo ab Episcopis reliquiæ portarentur, comitante tanta populorum frequentia vt à Palæstina Calcedonem vsque, iungerentur populorum examina.

2. Cor. 8. — Aug. lib. 9. Confess. c. 7.

2. Vberiùs hoc ipsum de Magdalenæ nostræ translatione, ex aliorum testificationibus iam diximus, & confirmat Ioan. Laziardus non solùm grauis auror, sed maximè certus in historiæ vniuersalis Epitome, sub Nicolao III. *Anno* 1279. *Carolus Comes Prouinciæ filius Regis Siciliæ, corpus perquirens B. Mariæ Magdalenæ sollicitè, & deuotè, in Oratorio vbi S. ille Maximinus olim Aquensis Episcopus tradiderat sepulturæ, & in gestis antiquis continetur, in villa dicta S. Maximinus, vbi apertis aliquibus tumulis in medio inuentum est corpus sanctissimæ Magdalenæ cum ingenti odoris fragrantia, sequentibus miraculis gloriosis; quod quidem sacrum corpus conuocatis Narbonensi, Arelatensi, & Aquensi Archiepiscopis (proditur in aliis actis de quibus infrà Ebredunensis) multísque aliis Episcopis, Abbatibus & Religiosis, prædictus Princeps anno Domini* 1280. *leuauit & in capsa pretiosa, ad hoc auro, argento & gemmis præparato locauit. Caput verò in theca ex auro purissimo inierclusit.*

Laziar. hist. vniuer. Epito. c. 240.

Cepit verò consilium ex re & ex tempore de sententia imprimis Guil-

Nomenclator S.R.E. Card. pag. 46. lelmi Longi Bergomensis Cancellarij sui qui à Cœlestino quinto creatus Cardinalis tanti nominis in vtriusque iuris scientia fuit, vt Bonifacio VIII. in sexto Decretalium condendo frequentem operam haud ingloriùs auxiliator præbuerit. Obiit Auenione anno 1319. Bergomique in Ecclesia Minorum cum hoc iacet Epitaphio.

Hic iacet corpus piæ memoriæ GVILLELMI DE LONGIS CARDINALIS.

3. Narbonensem Archiepiscopum, cuius nomen non proditur Maurimum siue Mauricium fuisse, vt credam, inclinat animus; quamuis eius creationem ad annum 1272. 3. Nonas Aprilis referunt tabulæ Chronologicæ Ecclesiæ Narbonensis, ac nouem aut decem omnino annos sedisse testantur. Apposuit primum lapidem nouæ Ecclesiæ maioris. Arelatensis verò Bernardus fuit de Languissello, inauguratus anno 1280. autore Petro Saxio in Pontificio Arelatensi, qui fratres habuit Andream & Bertrandum, illum Auenionensem, hunc Nemausensem Episcopos. Duo concilia prouincialia celebrauit, factúsque est Portuensis Episcopus, & Cardinalis de quo habes in Onuphrio, Gallia purpurata, Ciaconio. Bernardus de Languissello Gallus olim Archidiaconus Lautarési in Ecclesia Tolosana, & Papæ Clementis quarti Capellanus. Ex Archiepiscopo Arelatensi Episcopus Cardinalis, & Sanctæ Rufinæ Legatus in Lombardia, Romandiola, & Etruria sub Martino quarto obiit Romæ anno Domini 1290.

Is licèt in aliam Ecclesiam conuolarit, morámque fecerit Romæ in aula Pontificia, suæ Arelatensis Ecclesiæ non est oblitus. Testamentum enim condidit legauítque, annuentibus Andrea & Bertrando fratribus Episcopis quamplurimos reditus, Sacello construendo dicandos, anno Domini 1299. Petro Notatio. Ex quibus Ciaconium corrige qui illum defunctum tradit anno 1290. De Ebredunensi muta est huius temporis historia, neque adhuc vox vlla de eius nomine missa est in chronicis Ebredunensis Ecclesiæ. Aquensem in instrumento publico de quo mox infrà, nominatim subscriptum habes, *Grimerius*.

4. Igitur ductu impulsúque Caroli Regis magno numero Episcopi, & Abbates viri fide, religione, autoritate præstantes, ex omni Narbonensi Gallia lecti. His datum negotium, vt ipsas primùm inuentas reliquias, & de earum certitudine, à Maioribus inscripta & inclusa lipsanothecis programmata, reuelationes, miracula, traditiones, historiarum monumenta explorantes, rem omnem intentiùs inuestigarent. Confestim illi Saumaximinum ire pergunt, acutè indagant, & odorantur omnia, cryptam & Sacellum subterraneum vident, quod Magdalenæ & aliorum Sanctorum corpora insederant atque inibi geminam suberis spiram, & Epigraphem, rei monimentum literis Gothicis exaratum. Sciscitati deinde tempus, quo depopulantibus Prouinciam Sarracenis seposita & recondita fuerant comperiunt eodem planè tempore Magdalenæ Reliquias alabastri tumulo ereptas, & marmoreo, in quo etiam nunc iacent, inclusas, capillos quibus Christi pedes abstersérat, cutis particulam in nuda fronte, quàm in horto Christus tetigerat cum diceret *Noli me tangere* : pixidem vitream in qua puluis

puluis Christi atratus sanguine, & reliqua Magdalenæ dignitati & maiorum traditionibus ac documentis, prorsus congruere deprehendunt. Re disceptata & satis explorata, iurati vniuersi, seueram & grauem Republica dignam ferunt sententiam, qui & exactis ibidem festis aliquot diebus, facta priuata coluerunt ac publicis præfuerunt sacrificiis, celeberrimo virorum mulierúmque conuentu. Protinus domos repetunt, Magistratibus & primoribus Ciuitatum, vnde viam inierant, comperta referentes, suam illis lætitiam impertiunt, & Carolus Rex fælici lætus successu comitiorum, quorum autor fuerat, monumentum solemne extare voluit, & in tabulis publicis rem omnem referri placuit additis Episcoporum aliquot, cæterorúmque deputatorum nominibus, testimonijsque quo veritas ad posteros testatior foret. Earum literarum exempla in sancta domo Regia ad conuentum FF. Prædicatorum sancti Maximini asseruata, ad nostram vsque ætatem peruenerunt, citata mox ad verbum reperies proximo sequenti cap.

CAPVT XXV.

A Cardinali Legato Auenionensi vetera prædictæ Synodi decreta cumulantur nouis.

1. HÆc autem omnia per Cardinalem Legatum Auenionensem recognita sunt anno à Virginis partu 1448. Nicolai Papæ V. anno 2. Quod inuidiolæ ac simultatis nescio cuius, occasione factum est. Cùm enim extemplò, fama strenuè per finitimas vrbes regionésque discurrisset, Episcopos & alios Curatores Ecclesiasticos, Sanmaximinum conuocatos, renuntiasse, manifestis compertum indiciis veras ibi inuentas esse reliquias Magdalenæ, pèr Carolum Regem, ac nouo templo, egregijsque ornamentis ac donis decoratas. Ac per idem tempus in salute humanis corporibus reddenda, frequentibus illustrati miraculis, accedere prodigia cœlestia haud dubiè significantia, D. Magdalenam, Sanmaximinensibus præsentissimam adesse, fama vulgauerat. Ergo plerosque mortales velut nouo, ex noua fama animorum ardore concepto, ingens quotidie cupido sollicitabat, cœlestis doni in noua æde visendi colendíque. Nisi quod nonnulli, vt semper solet, vana pietatis specie religiosiores, & quorum animus plerumque mobilis & leuitate facilis, aut occulta superbia cordis, vel quadam atra bili & capitis imbecillitate obscuratus, primùm ipsi famæ publicæ ac rebus gestis, fidem & autoritatem apud se derogare: tum cæteros passim commouere, vt suspectam haberent nouitatem, ac periculo, & lubrico religionis cultu sibi interdicerent. Eos vt errore aut suspicione liberaret, cautioresque redderet, vir grauissimus atque doctissimus Ademarius

Ademarius Fidelis in sacra Theologia Magister, & Prior Conuentus Fratrum Prædicatorum Sanmaximinensis, comite & adiutore discreto viro Domino Ioanne Arbandi Notario publico, & Conscyndico eiusdem villæ S. Maximini, literas patentes à Cardinale Legato Auenionensi postulauit, quibus ratum haberet, quod ab annis iam retro actis 169. coactum Episcoporum Concilium cum Rege Carolo fecerat, cultúmque reliquiarum Magdalenæ stabiliret. Et si quæ etiam in iis videri adhuc possent obscuriora, apertiùs explanaret, & indagaret. Quod vtique Legatus, cùm è Reipublicæ Christianæ maximo bono esse intelligeret, libentissimo animo fecit, ac publicum Instrumentum scribi iussit, quo approbatio huiusmodi, confirmatióque continetur his verbis.

Attestatio authentica Domini D. Legati Auenionensis S. R. E. Illustrissimi, & Reuerendissimi Cardinalis, & plurimorum Reuerendissimorum eiusdem S.R.E. Prælatorum: De certitudine præsentiæ Corporis B. Mariæ Magdalenæ, in Sancta domo Regia Conuentus Fratrum Prædicatorum Sancti Maximini.

1. *PEtrus, miseratione diuina, Episcopus Albanensis S.R.E. Cardinalis de Fuxo vulgariter nūcupatus, in Ciuitate Auenionensi & Comitatu Venaissino, pro D. nostro Papa & S. R. E. in temporalibus Vicarius Generalis, & in Arelatensi, Aquensi & nonnullis aliis prouinciis ciuitatibus, & diœcesibus, à latere sedis Apostolicæ Legatus, vniuersis & singulis præsentes literas, seu præsens publicum Instrumentum transsumptum, transcriptum, seu Vidimus vulgariter nuncupatum, visuris, lecturis, seu etiam audituris salutem, cunctis fœlicitatibus communitam, præsentibus quoque fidem indubiam adhibere.*

Quia Legislatoris prouida censuit autoritas, vt documenta, quæ consumptioni vel perditioni subesse timentur, & quibus eodem tempore, in diuersis locis, opus est per transsumptum, seu transcriptum, Vidimus vulgariter nuncupatum, iudicis competentis censura, longum seruentur in æuum, vt per huiusmodi transsumptum, transcriptum, seu Vidimus quasi pro Originali documento probatio vera fiat. Igitur nos Vicarius & Legatus præfatus, vobis omnibus, vniuersis, & singulis supradictis, & vestrûm cuilibet, tenore præsentium referimus & in verbo veritatis attestamur. Quod nos anno, die, mense inferius annotatis & descriptis, vidimus, tenuimus, legimus, palpauimus, & diligenter inspeximus, primò vnam literam testimonialem, de translatione reliquiarum B. M. Magdalenæ, facientem mentionem, in pergameno scriptam, ac diuersis sigillis videlicet, inclytæ memoriæ Illust. Domini Caroli primogeniti Domini Regis Ierusalem & Siciliæ ac piæ memoriæ

moriæ DD. Grimerij Aquensis Archiepiscopi, Raymundi Aptensis, Petri Sistariensis, Raymundi Carpentoractensis, Bertrandi Foroiuliensis, Guillelmi Venciensis Episcoporum. Iuonis Cluniacensis, Astorgij sancti Ægidij, Pontij Aquabellæ, Bertrandi Syluecanensis, Guillelmi Francarum-Vallium, Arnaudi Vallis magnæ, Alphonsi Toroneti, Guillelmi Sinanquæ, Bernardi Syluæ-regalis, & Ioannis Regalis Vallis, Abbatum in ipsa litera testimoniali nominatorum, in cera alba impressis, & in primo sigillo dicti D. Caroli Regis Ierusalem, & Siciliæ, & à parte ante, cum figura seu imagine, vnius hominis deferentis cassidem in capite, & in manu dextra ensem, & à parte ante, vnum scutum & existentis suprà vnum equum coopertum floribus liliis, & à parte retrò, cùm vno scuto quatuor barris descripto, ab vtraque parte circumcirca: ac aliis sigillis cum imaginibus, seu figuris dictorum Episcoporum ac Abbatum impressis, cum caudis pergameni, successiuè per ordinem pendentibus sigillatam, & descriptam, suprà dictum pergamenum, & propè caudam cuiuslibet sigilli nomine illius, cuius dicitur esse sigillum. Sub data apud S. Maximinum anno Domini 1281. & Dominica post Ascensionem Domini. Pontificatus D. Martini Papæ IV. anno primo sanam & integram, non cancellatam, non abrasam, nec in aliqua sui parte suspectam, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentem.

3. *Item aliam literam testimonialem, de duabus Schedulis quæ in sepulchro B. M. Magdalenæ fuerant inuentæ, facientem de eiusdem B. M. Magdalenæ inuentione mentionem, etiam in pergameno scriptam, ac adhuc quatuor sigillis Pontificum in ipsa litera nominatorum, videlicet vno in viridi, & tribus in alba cera, cum imaginibus, seu figuris eorumdem Pontificum, seu Prælatorum, cum caudis pergameni impendentibus impressis: sigillatam non abrasam, non cancellatam, licèt in eius superiori margine partis dicti pergameni, aliqualiter ex vetustate eiusdem fractam siue laceratam, non tamen lecturam eiusdem inspicienti, impediendo, & quæ vltima litera incipit. Illæ duæ schedulæ. Nobis coram Notariis & testibus infrà scriptis per R. Magistrum Ademarium Fidelem in sacra Theologia Magistrum, Priorem Conuentus Prædicatorum villæ Sancti Maximini, Diœcesis Aquensis, & discretum virum Magistrum Ioannem Arbaudi Notarium publicum, & Consyndicum eiusdem villæ S. Maximini, exhibitas. Quarum quidem literarum testimonialium tenores, de verbo ad verbum, suo ordine sequuntur sub his verbis.*

4. *Nos Grimerius, permissione diuina Aquensis Archiepiscopus, Raymondus Aptens. Petrus Sistaricensis, Raymondus Carpentor. Bertrandus Foroiuliens. Guillelmus Venciensis Episc. & Iuo Cluniacensis, Astorgius S. Ægydij, Pontius Aquabellæ, Bernardus Syluacanensis, Guillelmus Francarum-Vallium, Arnaudus Vallis-magnæ, Alphonsus Toroneti, Guillelmus Sinanquæ, Bernardus Syluæ-regalis & Ioannes Regalis Vallis, Abbates. Notum facimus vniuersis præsentes literas inspecturis, quod conuocati apud S. Maximinum, per virum magnificum Dominum Carolum primogenitum Illustris Regis Ierusalem & Siciliæ, Principem Salerni &c. præsentes fuimus cum eodem Domino Principe, & vidimus reliquias B. M. Magdalenæ transferri, in præsentem Cassiam de argento, in cuius rei testimonium præsentes literas fieri fecimus, prædicti Domini Principis &*

nostrorum sigillorum munimine roboratas. Actum apud S. Maximinum Anno Domini 1281. Dominica post Ascensionem Domini, Pontificatus D. Martini Papa IV. an. primo.

5. *Illa due schedula qua in sepulchro fuerant inuentæ facientes de B. Maria Magdalena corpore mentionem, sicut in literis plurium Prælatorum ac Excellentis viri D. Caroli Principis Salerni, sigillis signatis plenior mentio facta fuit. Sunt hic infra præsentem Chartulam interclusæ, vt eis inspectis ac earum vetustate, & forma scribendi debitè ponderatis, Dominus Papa, & qui eas viderint, certitudinem rei firmiorem perpendant. In cuius rei testimonium Nos miseratione Diuina Narbonensis, Arelatensis, Ebredunensis, & Aquensis Archiepiscopi ac Magalonensis, Agathensis, & Glandatensis Episcopi; sigilla nostra vnà cum sigillo Principis memorati præsenti chartula duximus appendenda.*

6. *Post quarum quidem literarum testimonialium præinsertarum visionem, lectionem, & inspectionem nos Vicarius & Legatus præfatus ipsas literas testimoniales præinsertas ad instantiam, & requisitionem Præfatorum Prioris & Consyndici, in præsenti publico Instrumento, de verbo ad verbum inseri, & in hanc publicam formam redigi fecimus & transsumi. Et quia post huiusmodi insertionem, & diligentem collationem factam de præsenti transsumpto, transcripto, seu Vidimus, cum literis antedictis originalibus, ipsas literas, & transsumptum, transcriptum, seu Vidimus huiusmodi comperimus adinuicem concordare, autoritate nostra & dictorum nostrorum, Vicariatus, & Legationis officiorum voluimus & decreuimus, volumúsque & decernimus, præsenti transsumpti transcripto, seu Vidimus nuncupato, tantam fidem vbilibet adhiberi, quanta adhiberetur, seu adhiberi posset, dictis originalibus literis testimonialibus præinsertis. Et pro maiori cautela & firmitate præmissorum, nos Vicarius & Legatus præfatus, in eis omnibus & singulis præmissis tanquam ritè & legitimè peractis, actui legitimo nostram & dictorum nostrorum Vicariatus & Legationis officiorum autoritatem interposuimus pariter, & decretum. In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præmissorum, de eisdem omnibus & singulis præmissis, eisdem Priori, & Consyndico, omnibúsque & singulis quorum interest, intererit, aut interesse poterit, voluimus & concessimus, volumúsque & concedimus, vnum & plura, publicum, & publica fieri Instrumentum & Instrumenta, Vidimus nuncupata, per Notarios publicos subscripta, sigillique nostri proprij iussimus & fecimus appensione muniri. Datum & actum, Auenione, in palatio Apostolico, & in Camera nostri retractus sub anno à natiuitate Domini 1448. Indictione 11. & die 1. mensis Iunij Pontificatus SS. in Christo Patris & Domini nostri D. Nicolai, diuina prouidentia Papæ V. anno 2. præsentibus ibidem R. in Christo Patre D. Rogerio Tarbiensi Episcopo, necnon egregiis & venerabilibus viris D. D. Andrea Sanccij, Decretorum Doctore, Archidiacono Lombariensi, Girando de Marruniis Camerario & Garcia de Motta, Thesaurario nostris, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis, & nobis Ioanne de Cruce & Ioanne Lorini publicis Apostolica & Imperiali autoritatibus Notariis, qui de præmissis notam sumpsimus, ex qua præsentes literas, seu præsens publicum Instrumentum, Vidimus nuncupatum, extraximus.*

Vniuer

7. *Vniuersisque & singulis supradictis præsentes literas, seu præsens publicum Instrumentum transsumptum, seu Vidimus nuncupatum visuris, lecturis ac etiam audituris, & vestrûm cuilibet. Nos Accurtius de Paßis Decretorum Doctor Vapincensis, & Vasionensis Ecclesiarum Canonicus, Vicegerens curiæ Cameræ Apostolicæ, in Auenione, autoritate Apostolica specialiter deputatus, similiter tenore præsentium reperimus, & in verbo veritatis attestamur, quod anno & die superius annotatis, & descriptis, vidimus, tenuimus, palpauimus, & diligenter inspeximus supradictas duas testimoniales literas de corpore, & reliquiis præfatæ B. Mariæ Magdalenæ, & eius translatione, mentionem facientes, sigillis D.D. Principis, & Pontificum de quibus in dictis literis fit mentio, & in eis legitur, sigillatas, sanas & integras, non vitiatas, non Cancellatas nec in aliqua earum parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carentes, dicta tamen fractione, in superiori parte dictæ secundæ literæ facta dumtaxat excepta, nobis coram Notariis, & testibus subscriptis, per supradictos Magistros, Ademarium Fidelem Priorem, & Ioannem Arbaudi Conscyndicum præsentatas, & superius, de verbo ad verbum insertas, post quarum quidem literarum testimonialium præinsertarum visionem, lectionem, & diligentem inspectionem, ac insertionem, de ipsis, in præsenti publico Instrumento, seu Vidimus de verbo ad verbum factam ac collatione de præsenti transsumpto, transcripto, seu Vidimus cum literis Originalibus testimonialibus antedictis facta, ipsas literas & transsumptum, seu Vidimus, huiusmodi comperimus ad inuicem concordare. Nos Accurtius de Paßis, Vicegerens præfatus, autoritate nostra, qua fungimur in hac parte, voluimus, decreuimus, volumúsque & decernimus, præsenti transsumpto, transcripto seu Vidimus nuncupato, tantam fidem vbilibet adhiberi, quanta adhiberetur, seu adhiberi posset Originalibus literis testimonialibus præinsertis & pro maiori cautela & firmitate præmissorum, Nos Vicegerens præfatus, in eis omnibus & singulis præmissis, tanquam ritè & legitimè peractis atque actui legitimo, nostram & dictæ Vicegerentiæ curiæ autoritatem iudiciariam interposuimus pariter & decretum. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, Vicegerens præfatus de eisdem omnibus, & singulis præmissis, eisdem D. Priori & Conscyndico testantibus, omnibúsque aliis & singulis quorum interest, intererit, aut interesse poterit, voluimus & concessimus, volumúsque, & concedimus vnum & plura, publicum, & publica, fieri Instrumentum & Instrumenta, Vidimus nuncupata, per Notarios publicos subscripta, sigillíque proprij, dictæ nostræ Vicegerentiæ curiæ iussimus & fecimus, post sigillum, præfati Reuerendiß. in Christo Patris. Et Domini D. Cardinalis, & Legati, appensione muniri. Datum & actum Auenione, intra dictam Vicegerentiæ Curiam, sub anno, Indictione, die mense, & Pontificatu superius descriptis. Præsentibus ibidem, venerabilibus & circumspectis ac discretis viris D. Ioanne Malieti in legibus Licentiato, Magistris Petro Alardi & Petro Mileti dictæ nostræ Curiæ Vicegerentiæ Notariis & Scribis, & Giriberto Reuersati Clerico Diœcesis Mimacensis, ciuibus & habitatoribus, Auenion. testibus ad præmissas vocatis, specialiter, & rogatis & nobis Ioanne de Cruce, & Ioanne Lorini publicis Aposto. & Imperiali autoritatibus ac Curiarum prædictarum, Cameræ Apostolicæ, eiusque Vicegerentiæ in Auenione cõstitutæ Notar. & Scribis supra & infrascriptis.*

X 2 Qui

Qui de premissis notam sumpsimus, ex qua presentes literas, seu præsens publicum Instrumentum Vidimus nuncupatum extraximus.

8. *Similiter verò, vniuersis & singulis supradictis, & vestrùm cuilibet. Nos Ioannes Inisam in Decretis Licentiatus Briotensis & Veretensis Ecclesiarum Canonicus, Vicarius, & Officialis Auenionensis, tenore præsentium referimus, & in verbo veritatis attestamur, quod anno & die superius descriptis, Vidimus, etiam tenuimus, palpauimus, legimus, & diligenter inspeximus supradictas & prainsertas duas testimoniales literas, sanas & integras, non vitiatas, cancellatas, nec in aliqua earum parte suspectas; sed omni prorsus vitio & suspicione carentes, supradicta tamen fractione, in superiori parte dicta secunda litera facta, duntaxat excepta, sigillis D.D. Principis, & Pontificum in eisdem literis nominatorum, vt præmittitur, sigillatas, nobis coram Notariis publicis, & testibus infra scriptis, per supradictos, R. Magistrum Ademarium Fidelem in sacra Theologia Magistrum, Priorem dicti Conuentus Prædicatorum dictæ villæ S. Maximini, & Magistrum Ioannem Arbaudi Conscyndicum eiusdem villæ S. Maximini, exhibitas seu præsentatas. Post quarum quidem literarum testimonialium prainsertarum visionem, lectionem, & diligentem inspectionem, ac insertionem, de ipsis in præsente publico Instrumento, seu Vidimus, de verbo ad verbum facto, ac collatione facta, de præsenti transsumpto, transcripto, seu Vidimus cum literis Originalibus testimonialibus ante dictis, ipsas literas & transsumptum, seu Vidimus huiusmodi comperimus ad inuicem concordans. Nos Ioannes Inisam, Vicarius & Officialis præfatus, autoritate Ordinaria qua fungimur in hac parte, voluimus & decreuimus, volumúsque & decernimus præsenti transcripto, seu Vidimus nuncupato, tantam fidem vbilibet adhiberi, quanta adhiberetis, seu adhiberi posset dictis Originalibus literis testimonialibus prainsertis. Et pro maiori cautela & firmitate præmissorum, nos Vicarius & Officialis præfatus in eis omnibus, & singulis præmissis, tanquam ritè & legitimè peractis, atque actui legitimo, nostram, & curiæ Episcopalis Auenionensis iudiciariam autoritatem interposuimus pariter & decretum, in quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præmissorum nos Vicarius & Officialis præfatus de eisdem omnibus & singulis præmissis, eidem Priori, & Conscyndico instantibus, omnibúsque aliis & singulis, quorum interest, intererit, aut interesse poterit, voluimus, & concessimus, volumúsque, & concedimus vnum & plures, publicum & publica, fieri Instrumentum & Instrumenta, Vidimus nuncupata, per Notarios publicos infra scriptos, sigillique propriÿ dictæ Episcopalis Auenionensis Curiæ, iussimus & fecimus, post sigilla præfati Reuerendiss. ac Illustr. Patris, & Domini D. Cardinalis Vicariÿ & Legati, ac Vicegerentis appensione muniri. Datum & actum Auenione, in Palatio Episcopali, Indictione, die, mense, & Pontificatu quibus supra. Præsentibus ibidem venerabilibus circumspectis & discretis viris D.D. Ioanne Malseti in Legibus Licentiato præfato, Oliuario Nobleti in vtroque Iure Baccalaureo, Clauario, & Sigillifero, Magistro Henrico de Prala, Notario dictæ Curiæ Episcopalis Auen. & dicto Giriberto Reuersati, testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.*

9. *Et me Ioanne de Cruce, prædicto Notario, dictis autoritatibus ac curia*

ria prædictæ Cameræ Apostolicæ constituto, qui de nota per me de præmissis, vnà cum subscripto Notario sumpta, præsens Instrumentum huiusmodi, Vidimus vulgariter nuncupatum extraxi, & scribi feci, & facta diligenter collatione, cum prædictis literis, & Magistro quia inuenimus ad inuicem concordare, hîc nos ambos Notarios subscripsimus & Ego Ioannes de Cruce signo meo, vnà cum appositione dictorum Dominorum, hîc per edictum propositorum, signaui requisitus in testimonium præmissorum.

Et me Ioanne Lorini, Clerico Antisiodorensi, ciue & habitatore Auenionensi publico, Apostolica & Imperiali autoritatibus ac Cameræ Apostolicæ eiúsque Vicegerentiæ atque Episcopalis Auenionensis, Curiarum prædictarum Notario, & Scriba supradicto, qui de nota per me vnà cum prædicto Magistro Ioanne de Cruce, publico autoritatibus prædictis Notario, de præmissis sumpta præsens publicum Instrumentum, Vidimus nuncupatum, vnà cum Notario prædicto extraxi, & per alium, me aliis occupato negotiis, scribi & grossari feci, ac signo meo solito antepositio, hîc me, mea manu propria subscribendo, signaui, vnà cum appensione sigillorum prædicti Domini Cardinalis Vicarij, & Legati ac Vicegerentiæ & Episcopalis Auenionensis, curiarum. In fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum, per nos Notarios, facta diligenter collatione repertorum ad inuicem concordantium, per supradictos Priorem & Consyndicum requisitus & rogatus.

10. Legatus is fuit Petrus Comes de Fuxo, Gallus, filius Archambaudi ex Isabella Castelbona, Ordinis Minorum Theologus, anno 1405. quem professus fuerat in Conuentu de Morlac, olim fundato à Gastone Monchada, anno 1265. Fit Cardinalis Presbyter à Benedicto XIII. Antipapa, anno 1409. tituli S Stephani in Celio monte, Episcopus Lescariensis & Conuenarum & Archiepiscopus Tolosanus, postea Episcopus Cardinalis Albanus, ab Eugenio Papa III. creatus. Iterum perpetuus administrator Ecclesiæ Lescariensis, anno 1433. vt habetur in quodam Instrumento Communitatis vrbis, Fundator Collegij Fuxiensis Tolosæ. De quo Ciaconius addit, quod Pontificem suum Benedictum XIII. sequutus, à maiori Cardinalium parte desertum, eo tamen postea relicto, Constantiam ad Synodum accessit, vbi Martini V. creationi interfuit, sub quo Legatione Hispanica functus, reliquias Schismatis, quæ mortuo Benedicto XIII. supererant, omnino sustulit, & Clementem illum VIII. Pseudopapam, Pontificatu abdicare coegit, pœnitentes absoluit, contumaces & obstinatos carcere clausit: ad Vrbem rebus bene gestis rediit, 8. Idus Ianuarij anno 1428. De Legatione reuersus, tertius Auenionis Legatus, in locum Alphonsi Glarigli Cardinalis S. Eustachij mortui, ab Eugenio IV. anno 1434. creatur. Id munus sub Nicolao III. Pio II. & Paulo II. obtinuit cuius primo anno, salutis verò 1464. Cardinalatus 56. Auenione, idibus Decembris obiit sepultus ad Minores. Cuius successor fuit Carolus Borbonius Cardinalis à Sixto 4. creatus. Fratris Petri inscriptio sepulchralis huiusmodi est.

Sub hoc humili iacet loco, F. Petrus de Fuxo, creatus Cardinalis anno ætatis

suæ 22. qui in Concilio Constantiensi cum Cardinalibus, & in Hispania Legatus Schisma deleuit, & duos Hispaniæ Reges confœderauit, Thiaram B. Syluestri, Lateranensi Ecclesiæ restituit. Auenionem & diuersas Prouincias, vt pater patriæ, annis 32. rexit. Iacobi & Salomes Marias, alia locauit. Tandem anno 1464. de mense Decembri animam Cœlo reddidit, quem Sancta suscepit de terra, Luciæ. Pauli Pontificis Maximi anno primo.

11. Ludouicus Valesius Princeps potentissimus & Alensis Comes, iisdem rebus fidem tributam ac Tabulis publicis perscriptam testimonio autoritatem esse voluit, quæ apud Acta Domus Sanmaximinensis consignatæ habentur in hunc modum.

Anno à Natiuitate Domini 1640. die 20. mensis Augusti, Regnante Christianissimo Principe Ludouico XIII. Franciæ ac Nauarræ Rege ac Prouinciæ Comite. Nouerint vniuersi quod versante in hac vrbe Diuo Maximino nuncupata Illustrissimo ac Potentissimo Principe Ludouico Valesio Alensi Comite, Leuioris equitatus per Gallias Magistro & Prouinciæ Prorege, postquam die prædicta auditum fuit ab eo sacrum in Sacello subterraneo Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ, conuocati fuerunt R.P. Petrus de Licques Prior Conuentus FF. Prædicatorum dictæ vrbis vnà cum aliquot Religiosis eiusdem, necnon Dominus Petrus Baux & Iacobus Mure Consules memoratæ vrbis quibus pro parte demandata est clauium Sacelli & Reliquiarum in eo contentarum custodia, tum autem coram prænominato Illustrissimo Principe apertum fuit Scriniolum in eodem Sacello, iuxta reliquias asseruatum: in quo quidem Scriniolo inuenta est pixidula ex cristallo cum inclusis tribus ex pergameno Schedulis, in quarum vna lecta sunt distinctè, hæc verba: Requiescit hic corpus Mariæ Magdalenæ. Altera verò tota quidem legi propter characteres vetustate deletos non potuit, collata tamen cum scripto pridem exarato in vetusto codice qui in Archiuis asseruatur, huiusce tenoris deprehensa est. Anno Natiuitatis Dominicæ 700. die 16. mensis Decembris in nocte secretissima, Regnante Odoino &c. vt supra. Tertia verò lectu facilior nisi quod superne ad dexteram obliterata nonnihil apparuit tenoris fuit huiusmodi Anno Incarnationis 1283. die decima Decembris, Caput Beatæ & gloriosæ Magdalenæ fuit assumptum, & translatum de quadam capsula consignata sigillo paruo secreto Domini Caroli II. Regis Hierusalem & Siciliæ, & Comitis Prouinciæ in imagine præsenti Capitis aurea in præsentia D.D. Berengarij Gantelmy Seneschalli Prouinciæ, Hugonis de Baucio, Raymondi de Baucio, Guillelmi de Baucio, Guillelmi Ferenty, Rostagni de Labiono, Raymondi, Ruffi militum & plurium aliorum, & mei Iacobi Iordani Notarij & plurium aliorum tam Religiosorum quàm sæcularium, & ideo dictus Dominus Seneschallus sigillum suum præsenti Schedulæ iussit apponi.

Et quia tempus rerum edax potest denique characteres earum Schedularum imperceptos reddere, sed quantum fieri poterit propagetur, petierunt memorati Prior & Religiosi ex vna parte, dictique Consules ex alia, prædictas tres Schedulas de nouo scribi, & in authenticam formam redigi, idque per nos Regios publicósque eiusdem vrbis Notarios, qui votis illorum annuentes præsens Instrumentum confecimus, signóque nostro solito vnà cum prænominato Illustrissimo Principe subscripsimus

psimus postquam coram illo, & toto comitatu collatum, & publicatum fuit in superiori aula siue Bibliotheca memorati Conuentus. Ipseque Princeps Illustrissimus sigillum suum apponi subscriptum

LOVIS DE VALOIS.

MARESCOT, Secretarius.

VVILLERMIER, ARBAVD, FAVCHETE Notarij.

12. Magno itaque momento esse debet, tot præsulum sanctissimorum, & Illustrium virorum conspiratione perscripta autoritas, ad stabiliendam quamdam quasi firmissimam sedem, & fundamentum constituendæ huius fidei de Massiliensi aduena Magdalena, magísque timendum est ne inuidiæ, vel arrogantiæ genus sit, ibi reprehensione dignum aliquid quærere, vbi tot Pontifices tantúmque Concilium nihil inuenit, vel potius, dum nos calumniantur, ipsos quoque tacitè velle reprehendere.

CAPVT XXVI.

Bonifacij VIII. & plurium deinceps Romanorum Pontificum, approbatio & confirmatio.

1. ACcedit altera, non tantùm membrorum inter se, verùm etiam cum Capite consensio, quam apud veteres, semper habitam fuisse pro veritatis fidelissima nota, Cyprianus ad Cornelium Papam scribens, ex diuina traditione, & Apostolica institutione testatur. Mos enim fuit ab ipsis Ecclesiæ incunabulis diuinitus institutus, vt non modò Concilia, sed singuli etiam Episcopi, literas in quibus esset fidei ac regiminis Ecclesiæ formula, quam profitebantur, darent ad Romanum Pontificem. Cuius sententiæ starent, & consiliis vterentur, atque etiam manu, ne concideret. Audi Sophronium, Patriarcham Hierosolymitanum, qui sic ad Honorium Papam scribit. *Apostolica & vetus traditio inualuit, vt qui ad Hierarchiam eliguntur, ad eos qui in Hierarchiis capessendis, & administrandis maiores sunt, omnino sincerè referant, quid sentiant, & qua fide sint: vt Paulus illis tradidit valde cautè: ne in vacuum curreret si qua in parte fides manca esset. Paulus enim cum alioquin arcana Dei, quæ non licet homini loqui, vt ipse ait, cognouisset: metuebat tamen ne cum aliis prædicaret Euangelium salutis, ipse reprobus fieret. Vnde & Hierosolymam ascendit, quanquam Christi Discipulus cælestis, & antecessoribus suis discipulis se submisit, & Euangelicam doctrinam, quam prædicabat iis, qui conspiciebantur aliis antecellere, manifestauit, ac dogma cum iis communicauit.* Et post. *Communicauit poscens interrogando, vt firmum sibi fieret, quod tradebat; & exemplum firmum posteris relinquens, vt sic ipsi quoque facerent.* Et mox: *Huic quoque nos consuetudini seruientes ad vos diuina scientes, qualis sit fides nostra scribimus, vt probemur. Scribimus, inquam, ad*

vos

vos qui non solùm nostis discernere legitima dogmata ab adulterinis, sed etiam supplere quæ desunt, potestis.

2. Extant Stephani Archiepiscopi, & trium Conciliorum Africæ, ad Damasum Papam literæ, in quibus sic inter alia. *Antiquis enim regulis sancitum est, vt quidquid horum quamuis in remotis, vel in longinquo positis, ageretur Prouinciis, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam Almæ sedis vestræ fuisset deductum, vt huius autoritate iuxta quod fuisset pronuntiatum, ageretur.* De Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano Tharasij successore, Landulphus Sagax, qui vixit iis temporibus. Nicephorus, inquit Sanctissimus Patriarcha transmisit ad Leonem sanctum Papam Romanum Synodicas literas (sic enim vocari solent hæ literæ ab antiquis, veluti etiam *Communicatoria*, siue vt Concilium Antiochenum appellat, *Communionis*,) in quibus post expositam fidem quærit Nicephorus à Leone Papa sermones firmantes, & dantes intellectum, vt vestris ait doctrinis, & exhortationibus firmati, stemus in hac fide integri, ac solidi, omnia, quæ in ea sunt mysteria, ab initio tradita, inuiolata seruantes.

Niceph. lib. 1. hist. c. 17. & 18. Item tom. 1. Concil.

3. Neque tantùm quæ ad historicam, de gestis & vita Sanctorum spectant, decerni à Romano Pontifice, ac certitudinis normam atque regulam præscribi, ad quam omnes fideles dirigantur, satis ex eo liquet, quod certis quibusdam ac definitis, in Concilio Lateranensi, sub Innocentio III. legibus cautum est, ne propter periculum fraudis, nouas reliquias vllus venerari incipiat sine autoritate Summi Pontificis. Vnde est Lex canonica cap. Cum ex eo. De Reliquiis, & veneratione Sanctorum: cui similis etiam est Lex Ciuilis, C. de Episcopis & Clericis. L. Decernimus. Enimverò si in quauis humana Republica, sublatis Imperatorum legibus, institutisque maiorum, id vnicuique liceret, quod naturali sua prudentia æquum ac iustum censeret, quanta perturbatio rerum omnium, quanta confusio sequeretur? quam breui tempore, tota ea respublica funditus interiret? & tamen est, qui non aliquid sapiat in rebus humanis, quisque omni prorsus iudicio careat. Quid igitur fieret in Christiana Republica, quæ diuina potiùs, quàm humana est, & in qua multa necessariò supra rationem naturalem credenda, multa supra humanas vires agenda sunt. Si supremi Ecclesiæ apicis sacra oracula, & responsa diuinitùs inspirata tollerentur è medio, & solus internus afflatus, cuique fideli expectandus ac sequendus esset. Inde contingere posset, vt pro reliquiis Sanctorum, quod exprobrat Augustinus in libro de opera Monachorum, fortè ossa latronum, vel etiam belluarum veneraremur, nam ibi cùm dixisset Augustinus, quosdam Monachos circumferre, & venditare membra Martyrum; addidit, *si tamen Martyrum.* Scilicet quia priuati homines eas reliquias circumferebant. In iis enim quæ publicè in templis asseruantur & proponuntur, Ecclesiæ autoritatem intercedere necesse est, si fraudem atque fallaciam expurgare, ac suspicionem dimouere cupimus. Ita iuxta psalmum 71. *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam. Montes*, inquit Augustinus, *excelsæ animæ sunt, colles paruulæ animæ sunt, sed ideò montes excipiunt*

Concil. Later.

Aug. lib. de opere Monac. c. 28.

Aug. tr. 1. in Ioann. initio.

excipiunt pacem, vt colles possint excipere iustitiam. Quæ est Iustitia quam Colles excipiunt? Fides, quia iustus ex fide viuit, non autem acciperent minores animæ fidem, nisi maiores animæ, quæ montes dictæ sunt, ab ipsa sapientia illustrarentur, vt possint paruulis traiicere, quod possint paruuli capere, & viuere ex fide colles, quia montes pacem suscipiunt.

4. Nullum ex his prætermissum obsequij ac religionis officium, à Carolo Rege, & Synodo Sanmaximinensi erga Romanum Pontificem, nam & literas Synodicas, & Communicatorias de inuentione reliquiarum S.M. Magdalenæ, ad Bonifacium VIII. Romam miserunt, & approbationis ac confirmationis responsum retulerunt. Quod abs re non erit, æquè atque aliorum eius successorum diplomata, historiæ nostræ inserere. Rogatus igitur sententiam Bonifacius singulari Diplomate, egregium reliquiis dictæ Magdalenæ tribuit hoc testimonium.

5. *Bonifacius Episcopus Seruus Seruorum Dei, charissimo in Christo filio Carolo Regi Siciliæ Illustri, salutem & Apostolicam benedictionem. Ob tuorum excellentiam meritorum, quibus Regalis sublimitas dignoscitur insignita, non indignè petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, libenti animo exaudimus; illas præcipuè, quæ cultus diuini nominis augmentum respicere dignoscuntur. Sanè habet tua insinuatio, facta nobis, quod ob magna deuotionis affectum, quem ob Beatam M. Magdalenam geris, in Ecclesia S. Maximini, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Aquensis Diœcesis, tunc ad Monasterium S. Victoris Massiliensis, Ordinis S. Benedicti immediatè spectante,* IN QVA EST CORPVS DICTÆ SANCTÆ RECONDITVM, *cultum diuini nominis adaugeri desideras, & in honorificum eiusdem Sanctæ præconium percelebre ministerium solemnius deseruiri. Propter quod deuotius supplicasti, quod Ecclesiam ipsam, cum domibus & officinis, ac vacuis aliis sibi coniunctis, necnon thesauro, reliquiis, ornamentis Ecclesiasticis, & oblationibus, eidem Ecclesiæ prouenturis, pro executione tam laudandi propositi, per quod huiusmodi tuum desiderium efficacius, & liberius adimplere valeas ad hoc deputare ministerium, de Apostolica potestatis præsidio dignaremur.*

Nos igitur attendentes quod tu eximiam deuotionem à te habitam, ad præfatam Sanctam, ex eo præcipuè per operis euidentiam ostendisse dignosceris. Quod olim dū incertus existeret locus, vbi sepultum fuerat corpus ipsum, ad illud inquirendū, & inueniendum efficax studium impendisti, & tandē eodem inuento, ipsum in dicta Ecclesia fecisti cū debita deuotione ac reuerentia, cōueniēte ad hoc Cleri & populi partiū illarū copiosa multitudine, tumulari. *Ac intendentes in hac parte fauorabiliter annuere votis tuis, præcipuè cùm de prædictis, multa fide viderimus oculata, præfatam Ecclesiam cum domibus, officinis, & vacuis aliis sibi coniunctis, necnon Thesauro, reliquiis, ornamentis Ecclesiasticis, ac omnibus oblationibus eidem Ecclesiæ peruenturis, sic ad præfatum ministerium specialiter deputamus, vt licentiam habeas, Prioratum inibi de Ordine Prædicatorum, sub ipsius Ordinis approbata obseruantia regulari, illo Fratrum numero, qui tibi expedire videbitur, ordinandi: Nos enim ipsam Ecclesiam cum prædictis pertinentiis suis, & Prioratum, vt præmittitur inibi ordinandum*

dinandum, in ius ac proprietatem B. Petri, & Apostolica Sedis recipimus, & ipsos ab omni potestate, iurisdictione, & dominio dicti Monasterij, ac Abbatis, & Conuentus eiusdem & quorumlibet Ordinariorum, perpetuò ex certa scientia duximus eximendos. Ampliùs tibi præsentium autoritate concessa, quòd Prior qui praerit in Prioratu prædicto, pro tempore, ad tua requisitionis & informationis instantiam, correctionem, & reformationem in loco ipso facere teneatur. Non obstantibus quibuscunque priuilegiis, ab Apostolica Sede, sub quacunque forma verborum, Ordini Prædicatorum præfato concessis, qua huic nostra deputationi, receptioni, exemptioni, & concessioni fortassis obsisterent: etiamsi oporteret de illis expressam, vel de verbo ad verbum, præsentibus fieri mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostra deputationis, receptionis, exemptionis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac BB. Apost. Petri & Pauli eius se nouerit incursurum. Datum Laterani 8. Idus Aprilis, Pontificatus nostri an. 1.

6. Id quod tradit vel etiam inculcat (si quis sit tardior percipere) in alio posteriori Diplomate, ad eumdem Carolum II. Siciliæ Regem. *Intellecto quod ob magna deuotionis affectum, quem ad S. M. Magdalenam geris, in Ecclesia Prioratus S. Maximini Ordinis Fratrum Prædicatorum, tunc ad Monasterium S. Victoris Massiliensis, Ordinis S. Benedicti immediatè spectantis,* IN QVA EST CORPVS DICTÆ SANCTÆ RECONDITVM, *affectabas cultum diuini nominis adaugeri.* Datum Laterani 7. Idus Aprilis Pontific. anno 1.

7. Iterum & 3. istud idem in aliis literis reperit, quod cœperat, ad Episcopum Massiliensem. *Sanè habuit nuper eiusdem Regis insinuatio facta nobis, ob magnum deuotionis affectum, quem ad B. Magdalenam gerit, internè, in Ecclesia Prioratus S. Maximini Ordinis Fratrum Prædicatorum, Aquensis Diœcesis, olim ad Monasterium S. Victoris Massiliensis Ordinis S. Benedicti immediatè spectantis,* IN QVA EST CORPVS BEATÆ DICTÆ RECONDITVM, *affectabat cultum diuini nominis adaugeri, & in honorificum eius præconium, percelebre ministerium deseruiri.* &c. Datum Laterani 7. Idus Aprilis Pontificatus an. 1.

8. BENEDICTVS XI. BONIFACIO sublectus in Bulla, qua Monasterium Sanmaximinense, iurisdictione Monachorum S. Victoris Massiliensis exemptum, tradit Ordini Fratrum Prædicatorum, Ecclesiam eiusdem Monestarij commemorans, IN QVA, inquit, QVIESCIT CORPVS MARIÆ MAGDALENÆ. Tum de spelunca Sanctæ Balmæ: IN QVA, inquit, EGIT POENITENTIAM MAGDALENA. Datum Romæ 20. Ianuarij 1304. Pontif. an. 1.

9. GREGORIVS XI. in donationis capite, qua Cœnobiticum beneficium de Cæsolis, Conuentui Sanmaximinensi Fratrum Prædicatorum attribuit, de Magdalenæ Ecclesia collocutus, IN QVA EIVSDEM, inquit, CORPVS SANCTISSIMVM REQVIESCIT. Bullæ adscripta dies 12. Martij 1376.

IOAN

10. IOANNIS XXII. gemina & eadem verba fuere in literis eiusdem argumenti datis Auenione 3. Decemb. 1317.

11. EVGENIVS IV. in Bulla eiusdem tenoris, data Florentiæ an. 1442. 8. Idus Semptemb. Pontif. an. 12. *Magdalena*, inquit, *optimam éligens partem, vita videlicet contemplatiuæ ministerium, adeo calcatis prorsus sæcularium, & terrenorum fluctibus, qui in suauem supernorum ac cœlestium meditationem tota cordis affectione efferbuit, vt adhuc viuens, & carnis detenta ergastulo, diebus singulis septies in aëre Angelicis refectionibus cœlitus potiretur. Hæc est illa Maria cuius condignis precibus, defunctus eius frater Lazarus, Inferni solutus claustris, humanis membris restitutus extitit rediuiuus. Hæc est illa pia Peccatrix, lapsorum vis, transgressorum semita, quæ omnibus peccatoribus optata venia perfecta vestigia dereliquit. Ad Ecclesiam ergo, & loca in eius honorem dedicata, Apostolicos fauores, & gratias diffusius dirigimus, vt in suis structuris, & ædificiis decentiùs reparentur ac honorificè conseruentur. Cum Ecclesia dicta S. Magdalenæ apud S. Maximinum*, IN QVA IPSIVS SANCTÆ AC DIVERSORVM ALIORVM EXIMIORVM DE IPSIVS SALVATORIS SOCIETATE SANCTORVM, CORPORA VENERABILITER REQVIESCVNT. *Et quæ per claræ memoriæ Carolum II. Ierusalem, & Siciliæ Regem construi incœpta, ac in parte ædificata extitit, guerrarum turbinibus, mortalitatibus, & diuersis aliis, quibus partes illæ diutius miserabiliter concussæ fuerunt, euentibus, pro medietate imperfecta ac aliis defectuosa, & deformis remansit, vt & in loco Balmæ Massiliensis diœcesis*, IN QVO SANCTA POST RESVRRECTIONEM CHRISTI MIRA DEI DISPENSATIONE 32. ANNOS IN ARCTA SOLITVDINE COELIBEM CVM ANGELICIS CONSOLATIONIBVS, ET VISITATIONIBVS DVCENDO VITAM POENITENTIAM PEREGIT. *Et in quo ad ipsius Dei laudem ac gloriam, necnon ingem dictæ Sanctæ memoriam, alia dicti Ordinis Domus quæ sub ipsius S. Maximini Domus Prioris est regimine, ac Ecclesia, & Hospitale, necnon habitatio pro pauperibus, & peregrinis recipiendis, colligendis ac tractandis consistunt, quæ cum variis ornamentis Ecclesiasticis, casuali & fortuito ignis incendio cremata fuerunt, & ipsarum quoque domorum facultatibus & reditibus dictarum domorum, ac Ecclesiarum structura, nullatenus perfici possunt, seu etiam recuperari. Nos itaque, vt dictæ Ecclesiæ congruis honoribus frequententur, ac erga eas & dictam Sanctam Christi fidelium deuotio augeatur, ipsæque Ecclesiæ reparentur ac illarum & dictarum Domorum structuræ perficiantur & conseruentur: necnon fideles ipsi ad reparationem, perfectionem & conseruationem prædictarum, eo promptius manus adiutrices porrigant, quo cœlestis dono gratiæ vberius conspexerint se refectos: de Omnipotentis Dei misericordia, eius autoritate confisi, omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, qui à primis vesperis vsque ad secundas vesperas Dominicæ, post Octauas Paschæ anni videlicet 1444. dictas Ecclesias vel earum alteram deuotè visitauerint, & pro reparatione ac perfectione præmissis, si in facultatibus abundent, aut potentes sint, per triginta; & si mediocres fuerint per viginti, aliisque per decem dies personaliter laborauerint, vel suis sumptibus laborare fecerint, aut de bonis eorum, salarium ad opus inibi laborantium, vel pro dictarum Ecclesiarum*

rum fabricis ministrauerint, aut si legitimo detenti impedimento, Ecclesias ipsas visitare non potuerint; dummodo tamen, vt prefertur, laborarint vel laborare fecerint, seu salarium ad opus laborantium prædictorum, vel eiusdem fabricæ ministrauerint, seu ad dictas Ecclesias destinauerint aut destinare fecerint, quod singuli Confessores idonei, quos elegerint, omnibus suorum peccatorum de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, semel tantùm in mortis articulo plenam remissionem eis in sinceritate Apostolica concedere valeant, tenore præsentium concedimus facultatem &c.

Turscl. lib. 1. hist. Lauret. c. 22.

12. Clemens VII. cuius Pontificatum domesticis iuxta externísque bellis exercitum, non magis vrbis Romæ direptio, quàm Religio, tum Lauretanæ Virginis Domus in Italia, tum Magdalenæ in Gallia insignem fecit. Is quippe anno 1523. Sanmaximinensem ædem Pontificiis diplomatis honestauit, non modò quibus vetera prædecessorum suorum firmaret beneficia, sed etiam de Magdalenæ Sanmaximinensi Ecclesiæ hæc adiecit. *Cupientes vt Ecclesia domus Ordinis Fratrum Prædicatorum de sancto Maximino, Aquensis diœcesis,* In qua hodie super altari in quo caput Beatæ Mariæ Magdalenæ venerabiliter conservatur, Missarum solemnia celebravimus, *cógruis honoribus frequentetur. Et vt Christi fideles eò libentius deuotionis causa confluant: de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, eius autoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus & confessis qui in principali, & in Translationis eiusdem Beatæ Mariæ Magdalenæ festiuitatibus, ac die 16. Iunij Ecclesiam visitauerint, viginti annos de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. &c.* Datum in vrbe Regia sancti Maximini anno 1523. Pontificatus anno 1. Cæterùm hæc ab eo Pontifice testimonia nemo, vt opinor, inconsultè ac temerè scripta præsumpserit, qui cùm de Lauretana Domo apud ipsum ageretur, migrationem eius è Galilæa intentius explorare voluit. Proinde ex omnium familiarium numero, tres illuc dimisit, qui mensuris admotis, & sagaciori cura contemplati dimensíque singula, deprehenderunt prorsus omnia conuenire; siquidem præcipuas Pontificis partes esse ducebat, res tam inusitatas ac pene incredibiles certissimis argumentis explorare, vt aliorum indiciis accederet Pontificalis autoritas, quam ex mortalium pectoribus dubitationem omnem, si qua fortè resideat, tollere funditus oporteret.

13. Benedictvs XIII. Pseudopontifex in diplomate in quo concedit ducentos florenos de legatis piis applicari reparationibus Ecclesiæ S. Maximini Datũ Auenione 6. Nonas Maij, Pseudopontificatus an. 2. Hæc habet de S. Balma, Vbi B. Maria Magdal. svam egit poenitentiam.

14. Quo mihi etiam indigniùs videtur, obtrectare iam adhuc aliquos, & obloqui audere aduersus Magdalenam nostram, criticos Lipsanomastyges. Quamuis enim magna imprimis adhibenda cautio sit, ne fallamur, cùm plerumque contingat, falsa persuasione deceptos existimare nos, Dei dona esse siue miracula, quæ Sathanæ trãsfigurãtis se in Angelum lucis, præstigiæ sunt: refert Sozomenus Gazenses, miscuisse ossa

Sozomen. lib. 5. c. 8.

SS. Mar

SS. Martyrum Nectabij, & Eusebij Fratrum, cum ossibus camelorum & asinorum, quæ nisi sanctæ cuidam fœminæ diuina reuelatione fuissent ostensa, & ab eadem collecta, internosci deinceps à Christianis minimè potuissent. Si verò iam tunc cœperunt imposturæ, quid modò fieri credendum est? Deinde, quod tam multæ reliquiæ eiusdem generis ac nominis inueniantur, vt oporteat, vel eumdem Sanctum multa corpora habuisse, vel multas fuisse falsas reliquias: tamen negare non possumus in Ecclesia Dei nihil magis à suspicione mali aut falsi abesse, quàm quod omnium pene ordinum, cum Capite Ecclesiæ, consensu & conspiratione firmatur. Quid autem magis notum in hoc genere? quid certius ex bonorum omnium consensione habemus? quàm de certitudine reliquiarum nostræ Magdalenæ? quæ ego in hunc sermonem magno numero, Authorum simillima testimonia conieci, vt obstinatè acerbum, & litigiosum esse necesse sit, qui fidem illis abroget: notissima enim esse, testis est orbis Christianus, & consensio omnium gentium, ad sanctam Balmam, & Aram Magdalenæ Sanmaxinensem, religionis causa vndequaque peregrinantium; apud quas multis iam sæculis, summam semper autoritatem eiusmodi reliquiæ obtinuerunt. Certissima autem & verissima esse, nec humana inuenta, sed oracula diuina continere, testis est incredibilis quædam & planè diuina conspiratio, atque concordia, tot illustrium virorum, qui, vt aliàs numerauimus, diuersis locis, temporibus, linguis, occasionibus de Magdalenæ aduentu in Gallias volumina conscripserunt, aut sententias pro testimonio dixerunt, vt non tam ipsi scriptores diuersi, quàm vnius eiusdémque scriptoris, diuersi calami ac linguæ fuisse videantur. Itaque rectè Augustinus de hac admirabili scripturarum concordia loquens. *Authores nostri, inquit, in quibus non frustrà sacrarum literarum figitur, & terminatur Canon, absit vt inter se aliqua ratione dissentiant. Unde non immeritò cùm illa scriberent, eis Deum vel per eos locutum, non pauci in scholis atque gymnasiis, litigiosis disputationibus garruli, sed in agris atque in vrbibus, cum doctis atque indoctis, tot tantique populi crediderunt. Ipsi sanè pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret quod clarum religione esse oporteret, nec tamen ita pauci, vt eorum non sit miranda consensio: neque enim in multitudine Philosophorum, qui labore etiam literario monimenta suorum dogmatum reliquerunt, facilè quis inuenerit, inter quos cuncta quæ censere conueniant.* De variis eiusdem nominis reliquiis, quod opponitur, infrà diluimus. Aug. lib. 18. Ciuit. c. 41.

CAPVT XXVII.

Varij Pontifices Magdalenæ Domum Sanmaximinensem Indulgentiis, & immunitatibus ornant.

1. INter hæc dum ædem Sanmaximinensem, decretis ac testimoniis religiosissimis ornatam, nouo templo decorare molitur Carolus,

eiúsque deinceps regni hæredes, non ædificiis solùm, sed Indulgentiis quoque ac muneribus Pontificiis augeri voluerunt.

2. Postulatum est, à BONIFACIO VIII. vt certam delictorum Indulgentiam Magdalenæ templum ritè visentibus largiretur; haud ægrè impetratum: nam in Bulla editæ scripturæ die 2. Iunij anno 1295. tres annos concessit, & vt vulgò dicitur tres Indulgentiarum quadragenarios dies, iis qui S. Magdalenæ templum ad D. Maximini, vel ad sanctæ Balmæ in eius festo, & per Octauam, vel in die Remissionis, & per Octauam inuiserent. Idem verò Pontifex certior factus, idem Magdalenæ templum quouis anni tempore ab aduenis celebrari, priores suas indulgentias certis definitas temporibus videbat, indignum existimauit complures peregrinorum, tot tantísque itinerum laboribus, & periculis perfunctos, à Magdalena Sanmaximinensi, discedere Indulgentiarum prorsus expertes; præsertim ita tradito more, vt vix illum peregrinationis huius iam solemne munus esset, quàm animos sacra confessione impensius expiandi, nouæque in posterum vitæ instituendæ. Itaque ratus Pontifex B. Mariæ Magdalenæ decorum, neminem ab ea tristem discedere, omnibus quocunque anni tempore Ædem Sanmaximinensem ritè adeuntibus, si eius vrbis sint incolæ, quadraginta, peregrinis verò & aduenis centum Indulgentiarum dies (is in hoc genere tunc erat præscriptionis, & moderationis vsus) benignissimè elargitus est.

3. Nec Bonifacio VIII. EVGENIVS IV. animo cessit Magdalenæ domus ornandæ, nam & veteribus Indulgentiis addidit nouas, & antecessorum suorum immunitates, autoritate sua firmatas, adiecta facultate absoluendi à sceleribus ac flagitiis Episcopo reseruatis, ampla cumulauit. Pretium operæ visum est, exemplar literarum inserere, vt extet egregium Summi Pontificis, de eximia Sanmaximinensis Ecclesiæ sanctitate testimonium. Pauca igitur veteri Romanorum Pontificum more præfatus, ita scribit. *Nos huiusmodi supplicationibus inclinati, Priori & Conuentui S. Maximini, vel ei aut iis, quos ad hoc duxerint deputandos, vt singulis nobilibus, vel aliis potentibus, qui ad fabricam vel reparationem eius Ecclesiæ vsque ad viginti; mediocribus verò qui vsque ad quindecim: cæteris autem minoribus, vtriusque sexus hominibus, Arelatensis, Aquensis, & Ebredunensis prouinciarum qui vsque ad 10. Iornatarum valorem, de bonis eis à Deo collatis, munus per se vel alium porrexerint: Quod confessor quem eorum quilibet duxerit eligendum, omnem peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, semel tantùm, in mortis articulo plenam remissionem eis, in sinceritate fidei, vnitate sanctæ Rom. Ecclesiæ, ac deuotione, & obedientia nostra vel successorum nostrorum Rom. Pontificum, canonicè intrantium, persistentibus, autoritate Apostolica concedere valeant, tenore præsentium indulgemus. Sic tamen &c. Datum Florentiæ an. Incarn. Dominicæ 1435. 13. Kal. Sept. Pontif. anno 5.* Nec nihil vel ad Eugenij Religionem, vel ad domus Sanmaximinensis autoritatem facit, quod idem Pontifex ad instantiam Regis Siciliæ & Hierusalem Ludouici III. Ædem Magdalenæ visentibus amplissimas, iam olim

alias

alias facultates indulserat in Bulla data Romæ 1435. Idibus Martij Pontif. anno 1. *Consideratione*, inquit, *carissimi in Christo filij nostri Ludouici Hierusalem & Siciliæ Regis Illustris supplicantis, huiusmodi supplicationibus inclinatus, vt Prior pro tempore existens, & eius successores per se, vel alium, seu alios, quos ad hoc ducerent deputandos, quoties expediet, confessiones habitatorum S. Maximini, & illuc aduenientium quorumlibet vtriusque sexus, cuiuscunque status, gradus, vel conditionis fuerint, audire, & ipsis diligenter auditis à commissis necnon generalibus excommunicationis suspensionis & interdicti sententiis, generaliter vel specialiter, ab homine vel iure prolatis, & in casibus duntaxat, quibus locorum Ordinarij subditos alios absoluere possunt, in foro conscientiæ, Apostolica autoritate absoluendi, eisque pro modo culpæ pœnitentiam salutarem, & alia quæ nobis fuerint, prout eis videbitur, iniungendi, necnon cum prædictis in eisdem casibus, dispensandi, constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis statutisque, & constitutionibus dicti Ordinis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, concedimus. &c.*

4. Sixtus IV. Pauli II. successor anno 1471. de miraculis, & totius Galliæ magnificentissimo illo motu municipiorúmque concursu ad Aram Sanmaximinensem spectari solitis certior factus, Magdalenæ nostræ honestandæ animum adiecit, diémque translationis eius cœlestibus à Deo prodigiis commendatam, Pontificiis à Christi Vicario muneribus decorandam existimauit. Sacram igitur Domum visentibus ipso Reliquiarum translationis die, qui 15. à Paschali solemnitate celebratur, plenissimam delictorum Indulgentiam impertiuit, à primis Vesperis ad occasum solis, sequentis diei, & si à singularibus aliquot casibus abeas, de quibus Pontifex esset consulendus, ab aliis absoluendi potestatem, omnibus Sacerdotibus facit, vt patet ex eius Bulla data anno 1477. 1. Augusti 6. Pontif.

Mira omnino opportunitate, nam ex eo tempore maior etiam Christianorum pectoribus ardor iniectus, vt plerique illorum nullis ferè negotiis impedirentur, quominus Ædem Magdalenæ reuiserent quotannis, & vndique concurrentium populorum multitudo fuit pene incredibilis; ex qua complures ad locum tam celebrem ex itinere deflectere suadebat Religio.

5. Ivlivs ergo II. ante Pontificatum, qui Iulianus de Ruuera dicebatur, à gente Roborea, inter Cisalpinas nobili, (genus & gentilitia quercus aureæ insignia ducebat,) Sixti IV. ex fratre nepos, Episcopus Carpentoractensis, & Presbyter Cardinalis, titulo S. Petri ad vincula, postea Ostiensis, & Veliternus maior Pœnitentiarius, sub Alexandri VI. Pontificatu, quorum animi ob veterem priuatæ inimicitiæ discordiam, malo conueniebant, continuos 10. annos vrbe caruit, in Gallia & Auenione diuersatus, vbi Legati à latere officio fungebatur. Dum igitur magnifico sanè comitatu illuc missus, ad ineundum Magistratum, per Ligures, in Prouinciam transiret, Magdalenæ fama, totum iam vrbem peruagata, ad templum Reliquiis & miraculis maximè inclytum visendum, Cardi-

nalem

nalem accedit, & extat Sanmaximini celebre eius monumentum; nam septem annos & septem dies ter quadragenarios Indulgentiarum concedit, iis qui die Parasceues, Remissionis, & in festo S. Lazari, omnibus qui supradicto in templo pro D. Magdalenæ Sodalitio supplices ad Deum preces funderent.

6. GREGORIO XI. è viuis sublato, qui Pontificalem sedem aliquando retulit in Italiam anno 70. quàm translata erat in Galliam, creatur Romæ Pontifex VRBANVS huius nominis VI. cui à factione Gallica Clemens 7. obiectus, sedem suam Auenionensem, quam Romanam dici volebat, opposuit. Hic propter Schisma, ingenti licèt negotiorum mole exercitus agitatúsque, ad Magdalenam Sanmaximinensem ornandam, curæ aliquid deriuauit, cùm enim Fundis Italiæ ciuitate, vbi ad 12. Kal. Octob. ann. 1378. Romanus Pontifex, seu potius Pseudopontifex, secreto scrutinio delectus, & ante fores Ecclesiæ maioris, Proceribus adstantibus coronatus, Clementis VII. nomen assumpserat, Auenionem rediret, Sanmaximinensis ædis celebritatem sua præsentia cohonestare voluit. Ibi ergo dum commoraretur, & in altari S. Magdalenæ sacrum faceret 20. annos Indulgentiarum, in die festo illius Sanctæ, ac totidem in Translatione, iterúmque totidem concedit omnibus, qui 16. Iunij, ad eam se conferrent Ecclesiam. Idem Clemens VII. cùm Villanouæ prope Auenionem haberet, iis qui supradictas Ecclesias vel in huius Sanctæ festo, vel in die Remissionis inuiserent duos Indulgentiæ annos concedit, qui verò aliis diebus, annum vnum cum quadragenaria.

7. Quindecim annis ferè interiectis, Clementi successit Auenione BENEDICTVS XIII. item Pseudopontifex, qui & ipse, vt in tanta malorum partim instantium, partim vrgentium turba, pacem ac veniam precibus à Deo exposceret, Sanmaximinum & Sanctam Balmam inuisit 4. Decembris, anno 1405. vbi cùm degeret, viginti concedit Indulgentiarum annos, in festo Diuæ Magdalenæ, totidem in Translatione vel Remissione ac totidem die 4. Decembris, quod constat ex Bulla data Sauonæ mense Martio & Pontificatus sui prætensi, an. 12.

Ne tamen cuipiam fortasse videatur, in eo Schismate Pontificum id genus, sententias omnes ita explodendas & eiiciendas esse, quin aliquis supersit delectus habendus. Sic enim, teste Ciaconio, Martinus V. in Concilio Constantiensi, (in quo Schismatis huius factiones placatæ & pacatæ) decreta illa omnia ante Pontificatum suum in Schismate facta, penitus antiquata esse voluit, vt ea duntaxat, quæ ad fidem & bonos mores spectarent, firma & approbata legitimè deinceps haberentur.

8. ADRIANVS porrò VI. in principe diplomatis sui capite Bonifacij VIII. Martini V. Eugenij IV. Sixti IV. Innocentij VIII. & aliorum Maximorum Pontificum decreta Domui Sanmaximinensi perhonorifica perstringit, confirmátque illorum munera, Indulgentias, immunitatésque. *Ea propter dilecti in Domino filij postulationibus vestris iustis inclinantes, personas vestras, & locum in quo diuino estis officio mancipati, cum omnibus bonis*

quæ

quæ impræsentiarum, rationabiliter possidetis, & in futurum iustis modis poteritis adipisci, sub B. Petri protectione suscipimus, atque vestra, omnem quoque libertatem, & immunitates à fœlicis recordationis Bonifacio VIII. Martino V. Eugenio IV. Sixto etiam IV. Innocentio VIII. & aliis Summis Pontificibus prædecessoribus nostris siue per priuilegia, Indulgentias, vel alia indulta vobis & Domui vestræ concessas, necnon libertatem & exemptionem sæcularium exactionum, à Regibus & Principibus, & aliis Christi fidelibus, vobis & eidem Domui rationabiliter indultas, specialiter autem census, fructus, reditus & prouentus Domus, hortos, vineas, campos, prata, pascua, terras, nemora, syluas, piscationes, aquarum decursus, molendina, possessiones, grangias, iura, Iurisdictiones & nonnulla alia mobilia & immobilia, ad dictam domum, quæ ex priuilegio Apostolico cui non est hactenus derogatum, obtinere potest legitimè spectantia, sicuti & omnia pacificè, & legitimè possidetis, vobis & domui vestræ autoritate Apostolica confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat &c.

Data ad Priorem & Conuentum Fratrum Prædicatorum S. Maximini, Romæ apud S. Petrum anno Domini 1523. Nonas Aprilis, Pontificatus anno primo.

CAPVT XXVIII.

Miraculis celebrior redditur.

1. S. Chrysostomus in libro contra Gentiles de reliquiis Sancti Babilæ Martyris: *Sententia*, inquit, *nostra abundè fidem faciunt quæ quotidiana à Martyribus eduntur miracula.* Neque grauioribus argumentis, aut quasi rerum notis certioribus, ad illustrandas Cypriani reliquias vtitur Gregorius Nazianzenus, quàm miraculorum. *Omnia potest puluis Cypriani cum fide, vt sciunt hi qui experti sunt, & miraculum ad nos vsque transmiserunt.* S. Basilius oratione in Mamantem & in Iulittam, Augustinus de laudibus S. Stephani, Hieronymus de Elisæo, Ioanne Baptista, atque Abdia, Palladius de Philemone, Sulpitius in vita S. Martini, multa similiter miracula ad eorum reliquias facta fuisse narrant. S. Epiphanius in vita Isaiæ, Ezechielis & Ieremiæ scribit à plurimis coli solita eorum sepulchra, ob plurima beneficia, quæ in illis locis propter merita eorumdem Prophetarum, Deus conferebat. Atque illud est quamobrem Concilium Nicænum II. vocet Sanctorum Reliquias *Fontes salutares*, quibus Deus multa beneficia hominibus præstat.

Naz. Orat. in S. Cypr. Aug. 22. de ciuit. c. 8. Hier. Ep. ad Eustoch. Pallad. in hist. Lausia.

Hoc ad refellendos dixerim Magdalenæ nostræ vanissimos, & importunissimos Lypsanomastyges, nam facta esse miracula non pauca, quæ attestarentur vni illi grandi salubrique miraculo, quo vera & germana ossa

c nerésque Magdalenæ diuinitus inuenta Sanmaximini, & deprehensa sunt, negare non possumus. *In eisdem*, inquit Augustinus, *veracissimis libris, cuncta conscripta sunt, & quæ facta sunt, & propter quod credendum, facta sunt. Leguntur quippe in populis, vt credantur, nec in populis tamen nisi credita, legerentur: nam etiam nunc fiunt ibidem, in eius nomine; sed non eadem claritate illustrantur, vt tanta quanta illorum est, gloria diffamentur. Miracula vbicumque fiunt, ibi sciuntur vix à tota ipsa ciuitate, vel quocumque commanentium loco: nam plerumque etiam ibi paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maximè si magna sit ciuitas, & quando aliis alibique narrantur, non tanta ea commendat autoritas, vt sine difficultate vel dubitatione credantur, quamuis Christianis à fidelibus indicentur.*

Aug. lib. 22. de ciuit. c. 8.

2. Quare hîc mihi consilium fuit, etsi miraculorum à D. Magdalena patratorum monumenta, Sanmaximini visenda proponantur, & obuia fiant omnibus, qui singulari pietatis erga illam sensu, ad templum in eâ vrbe sacrum eius reliquiis, eiúsque virtutibus percelebre venerandum, in dies ex omnibus Europæ finibus confluunt. Tamen & ad posteritatis memoriam sempiternam, & ad eorum qui longè absunt, pietatem augendam, insigniora aliquot eorum quæ extant cum cura persequi, & non tabellis tantùm, aut parietibus, in quibus ibidem repræsentata habentur, sed scripto etiam posteris consignare.

§. I.

Ter laqueo suspensus, morte liberatur.

3. PEregrinator quidam, sacras D. Magdalenæ reliquias quæ in vrbe S Maximini honorificè habentur, religiosè veneratus, animo summè in D. Magdalenam affecto, Massiliam versus iter aggreditur, ea animi voluptate, eóque mentis ardore, nihil, vt morari videretur posse incedentem; sed ex miranda Dei ordinatione, non diu prosperum iter habuit ac fortunatum: obuius enim factus hæretico cuidam perduelli, eumdem in viæ societatem admittit, & colloquium. Nec mora, hæreticus vt assolet, cùm dira blasphemo ore in D. Magdalenam euomeret, primùm suauiter, tum verbis paulò durioribus arguitur. Denique, nec hæretico alterius pietatem tolerante, nec peregrinatore hæretici infidam mentem ferente, districtis ensibus mutuò in se insurgunt, & tanto cum ardore, vt hæreticum peregrinator ad suos pedes cruento, lethalíque vulnere abiecerit traiectum. Cuius cædis fama, vicinos circumquaque pagos peruagata, peregrinator & in iudicium vocatur, & trahitur in quæstionem, in qua, cædem cum nec possit, nec velit desfiteri, conatur omnibus, quibus potest rationibus, iustam efficere, ne criminis reus damnetur. Nihilominus lata mortis sententiâ, miser ad patibulum agitur, non tamen ad necem: Occurrit enim tanto malo D. Magdalena, atque fune, quo fauces eliderentur, ter cæso, & iudicum potestate vindicat, & tortoris eripit manibus clientem, qui hoc

hoc beneficio accepto, nullâ morâ ad S. Maximinum reuersus, perpetuo se D.Magdalenæ obsequio, religiosa professione mancipauit.

§. II.

Duo viri illustres ex mortis faucibus eripiuntur.

4. DVo nobiles æquè, ac pij equites, eodem pariter in D. Magdalenam moti animo, visendarum eius reliquiarum consilium ineunt, paràntque se ad iter vnà tenendum. Dicto tandem die conueniunt, multóque celerius itinere confecto, ad vrbem nomine Tauroentum, citius quàm arbitrarentur concedunt, multùm equitando. Hîc nullâ facta mora cum se à sacra D. Magdalenæ specu, celebrique spelæo, accipiant propius abesse, animosiores effecti, vrgent equos, vt sub noctem, ad optatum securi pertingant locum. Verùm quacumque adhibita diligentiâ vix arduum montis cacumen exsuperant; ideo, decedente sole, densissimâ nocte, rupes inter & saxa intercluduntur. Illi nihilominus, & magis equos concitare, & calcaribus admotis, ad cursum impellere nituntur, aut cogere: Quid plura? præcipites ferebantur in abrupta & altè depressa montis, nisi diuina virtute & dextera repressi constitissent equi, irrito omni equitantium conatu, quo fatigati equites, eodem in loco pernoctauere. Illucescente interim die, viso, quod imminebat periculo, metu pariter ac gaudio permoti, aliam ineunt viam, qua tandem ad sacrum D. Magdalenæ Spelæum accedunt, gemino erga eam voto obstringendi.

§. III.

Quidam mortiferis plagis acceptis sanatur.

5. CVm Regia strueretur, in Vrbe S. Maximini, ædes D. Magdalenæ dicanda, casu quodam contigit, vt equi, à quibus plaustrum vehendorum lapidum traheretur, per aurigam concitati, nullis habenis, nulláque vi cohiberentur. Dum verò ferociùs ita circumquaque per vicos excurrunt, celeriúsque plaustrum trahunt, in hominem obuium insiliunt, quem pedibus ita conterunt, plaustríque rotis super eum versatis, vt iacuerit homo mutilatus, ac semiuiuus. Ad tam insolitum casum, accurrunt ciues vndique, sublatúmque hominem in templum, quod ædificabatur, mortui ad instar efferunt. Mirum dictu; precibus pro eo fusis, erigitur homo, státque in pedes ita sanus, vt operam omnem suam, ad ædem iam fundatam collocauerit erigendam.

§. IV.

Cæcis duabus mulieribus lumen restituitur.

6. QVædam mulier cùm aliquot iam annos cæca perseuerasset, aliquam, vt visum recipiat, tentare viam meditatur, atque artem experiri. Humanis igitur in vanum adhibitis remediis, vt erat pio in D. Magdalenam animo, eamdem modò precibus exorare, modò fletibus flectere, vltimò assidua deprecatione implorare non desistit, peregrinationémque, si imploranti opituletur, ad S. Maximinum vsque vouet suscipiendam, sacras eius ibi Reliquias summè veneratura. Vix illa perfectè votum conceperat, & perfectè subueniente D. Magdalena visum recepit, atque vt tanti miraculi fides certior haberetur, absque vllo itineris duce, ad sacram D. Magdalenæ ædem, paucis post diebus peruenit, tantùm támque singulare commendatura laudibus beneficium. Hæc dum aguntur, mulier altera tanti miraculi fama commota, vt quòd à tribus annis oculorum lumine destitueretur, simile votum concepit, simili etiam arte sanata, decussáque vtriusque oculi caligine, mulieres ambæ acceptum multis precibus beneficium, innumeris prope laudibus reliquo vitæ tempore D. Magdalenæ memores retulere.

§. V.

Luscus alterius oculi vsum recuperat.

7. SImile planè quoddam aliud patratum est, à Magdalena miraculum. Quidam pestilente correptus febri, ingentíque humorum è cerebro defluentium in oculos laborans fluxione, alterum amisit in hac humorum copia. Quid agat? planè ignorat; re tamen benè examinata placuit D. Magdalenæ auxilium implorare, nec in vanum, nam eo facto visum oculi extincti ita recuperauit, vt fixam aciem Soli obuerteret, nullo eiusdem oculi sensus detrimento.

§. VI.

Surdis duobus audiendi facultas redditur.

8. NEc satis ad probandam D. in clienies Magdalenæ operam, visum à pluribus recuperatum adducere, nisi pariter eamdem, auditus confirmaret restitutus. Quidam igitur, casu aliquo auditum amisit, non tamen spem eiusdem recuperandi, qua spe confirmatus sacram D. Magdalenæ ædem, religiosa peregrinatione suscepta, inuisit. Nec frustrà, ad eius aras emissis votis supplex accedit, eo enim ipso temporis articulo, quo vi-

sendæ

sendæ proponerentur reliquiæ, auditum recepit, præter omnium spem, acutissimum, itavt nihil gratius audiret imposterum, præter diuinas humanásque D. Magdalenæ laudes, & pias ad eius auxilium implorandum orationes. Idem beneficium à D. Magdalena impetratum, alterius imago testatur ibidem. Sic duobus, & visum pariter & auditum restituit, vt miracula à D. Magdalena patrata æquè audirentur per orbem ac ab omnibus viderentur.

§. VII.

Mutæ mulieri subuenitur, eique lingua restituitur.

9. IN Niceno Episcopatu, mulier quædam omni linguæ ac vocis vsu orbata, non omni tamen in D. Magdalenam deuotionis sensu, ad eius etiam constanti animo confugit præsidium. Ad hoc verò multorum exemplo roborata voto adstringit se, data nimirum occasione sacram eius ædem inuisuram: statim eumdem eius, ac cæterarum preces euentum habuere, pristinus enim linguæ ac vocis vsus ei diuinitus conceditur. Sed, vt assolet, præteritorum damnorum immemor, & patronæ suæ & voti aliquo post tempore, oblita mulier, in gratiis referendis diu obmutuisset, nisi Deo permittente elinguis iterum effecta, nouo iterum voto se obstrinxisset: eo verò emisso, longóque postea itinere confecto, sacram D. Magdalenæ Basilicam ingreditur, patronam suam deprecatura, vt linguæ vsum iterum restitueret, quo per miraculum restituto, vixit memor accepti beneficij, immemorem animum semper detestata.

§. VIII.

Quidam ab insanabili morbo, & mortis præsentissimo periculo liberatur.

10. QVidam morbo febríque debilitatus, sumptis frustra variis medicamentis, desperata planè eius salute, breui credebatur moriturus. Omnibus in desperationem adductis, vnum tentandum; motus enim illa miraculorum fama à D. Magdalena patratorum, ad salutis recuperandæ spem erigitur. Itaque vt potest in iis angustiis positus, in Cœlum oculos attollit, contempto omni humano subsidio opem Patronæ suæ, cuius templum non multùm aberat, omni qua potuit, pietatis sensu implorat. Inuocata de more adest Magdalena, quæ pristina valetudine reddita sibi; à cliente suo oblata in templo munera admisit, vt vicini non minus ac dissiti singulare experirentur eius auxilium.

§. IX.

Stulta mulier sanatur.

11. IN Opido Foroiuliensis Diœcesis, mulier quædam omnem, quod grauius est, rationis amiserat sensum, sicque brutarum animantium, instar annis 30. errauerat inter cognatos. Cùm mulieris ita errantis commiseratione moti, aut vicini aut propinqui, eam ad D. Magdalenæ Basilicam ducunt, atque votis pro salute eius nuncupatis, ad patrios lares mulierem reducunt pristinæ mentis compotem, singulari omnium lætitia. Adeo potens erga omnes D.Magdalenæ patrocinium.

§. X.

Sterilis altera concipit & parit.

12. IN vrbe Apta Iullia, mulier absque liberis annos 12.cum marito traduxerat, non sine graui mentis angore, & quòd concipiendæ prolis desiderio siquidem maximo, teneretur. Deo impellente, paratam semper D. Magdalenæ in omnes opem, sibi pollicebatur affuturam, quam ardenter continuóque exposcit, nec frustra, concepit enim peperitque prolem, & quidem singulari corporis pulchritudine decoram. Tamen vt humanæ vicissitudini patent omnia, flos ille tenellus breui grauissimo morbo emarcuit. Quo viso voluptate parentum in maximum luctum conuersa, ad pristinum confugit asylum mater, vt ab ea, cuius patrocinio filium à Deo obtinuerat, eiusdem filij salutem impetraret. Tanta igitur fide ac spe animata, D. Magdalenam supplex humilisque deprecatur, vt desperatum & à Medicis derelictum filium, pristinæ breui valetudini videat sumúlque gaudeat restitutum.

§. XI.

Adolescens æstuantium libidinum fluctibus eximitur.

13. ANnulum Reliquiarum D. Magdalenæ, præcipuè verò brachij contactu sacrum, in digito secum solitus erat homo quidam summa veneratione gestare. Contigit tamen, vt Venerea perturbatus cogitatione, motionéque irritatus, in turpe libidinosæ voluptatis consenserit flagitium, detracto, ne contaminaretur, è digito prius annulo. Re verò confecta annulum de more parat induere, digitóque admouet vt inferat, sed diuina quadam vi obluctante, nec induere annulum, nec loco mouere potest omni etiam parato conatu. Ad hæc stupor ingens hominem corripit, & agitat, de scelere perpetrato, vindicis numinis metus non

non exiguus. Ita vt nulla interposita mora ad S. Maximinum se contulerit ibique crimen sacra confessione expiatum, detestatus, de more annulum nullo induerit labore, Deo precibus D. Magdalenæ admissum scelus condonante.

Hæc & alia quamplurima miracula ex quodam veteri quod in Tabulariis Regij Conuentus D. Maximini asseruatur in M. S. Codice, desumpta referuntur.

§. XII.

Magdalenæ cultus religiosi, & famæ violatores, diuinitus puniuntur.

14. ANno Domini 1208. *In festo B. Mariæ Magdalenæ exercitus Cruce signatus, contra Hæreticos Albigenses, & Tolosanos & Carcassonenses, in terris subiectis Comiti Tolosano, veniens de partibus Gallicanis primò omnium, Biterrim capit, eámque incendio tradit & in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ, ad quam ciues confugerant in ipso festo vsque ad 7000. occiduntur & quidem satis iustè, quia requisiti ex parte exercitus, per suum Episcopum ad ipsos transmissum, scilicet Magistrum Reginaldum de Monte Pessulano, virum ætate venerandum & scientia, quod Hæreticos, qui ibi erant quos ipse Episcopus qui eos scriptis notauerat, nominaret, redderent, aut si istud non valerent, quod de ciuitate Catholici exeuntes dimitterent Hæreticos, ne pariter cum eis perirent. Quod quidem facere noluerunt, sed se aduersus Deum & Ecclesiam erigentes, exercitui diu superbè resistere præsumpserunt in festo S. Magdalenæ, ac in eius Ecclesia merito Dei iudicio capti sunt, & destructi, quia de ipsa S. Maria Magdalena contumeliosè blasphemabant.* Hæc ex Chronico adiecto ad calcem historiæ Guillelmi Catel De Comitibus Tolosanis.

15. Quod postremum occasione data, superioribus miraculis additum volui, vt in Reliquiarum ac nominis Magdalenæ violatoribus euidens Dei numen appareret. Ex illis enim malis coruis, mala etiam nunc superesse oua, & Catholicos ex ea Hæreticorum gente perpaucos Antidicomagdalenitas, ad maiorum suorum ingenium rediisse fama est (nomini parcimus, vt famæ parcatur, memores illius præcipiuè sententiæ D. Gregorij ad Benonem Abbatem. *In correctione hunc esse ordinem noueris obseruandum*, vt personam diligas, & vitia persequaris.) Viros haud obscuro loco natos, sed curiosos magis, quàm pios, qui non suspicari modò atque etiam credere, sed apertè ac palam diuulgare incipiant, Sanmaximini sacram ædem non vetus esse monumentum B. Mariæ Magdalenæ, sed nouum commentum superstitionis auaritiæque. Sibi ergo ac saluti caueant, viri cæteroquî prudentes ac sapientes, & in illis popularium suorum ossibus ac cinere discant moniti, criticorum aduersus Magdalenam haud inultam temeritatem talia audentium fore. Greg. lib. 9. ep. 8.

16. Cæterùm prodigia quædam alia & indicia, quæ sæpe in ipsis

Sanctorum

Sanctorum mortuis corporibus cernuntur, partim miraculorum materiam olim præbuerunt, partim eorumdem Sanctorum religionem longè ac latè propagarunt. Chrysostomus in sermone de SS. Iuuentio & Maximo, Vultus eorum corporum ita splendere ait cœpisse post mortem, vt non posset in eos intendi sine horrore quodam, & planè tales fuisse, qualem describit vultum Stephani, S. Lucas. *Intuebantur vultum eius tanquam vultum Angeli.* Hieronymus item de corpore Hilarionis testatur post 10. menses adhuc omnino integrum repertum, & tantis fragrans odoribus, vt delibutum vnguentis videretur. Sulpitius in Epistola ad Bassulam socrum, De obitu S. Martini refert, post mortem eius, in ipsius corpore, glorificati hominis apparuisse figuram, fuisse enim carnem eius vitro puriorem, lacte candidiorem, vt septemnis pueri decorem ostenderet. Præclarum illud quoque, ac perenne miraculum sanguinis S. Ianuarij Martyris, Beneuentanæ ciuitatis Episcopi, qui cùm ampulla vitrea concretus contineatur, liquescere tamen & fluere perinde ac si recens effusus esset, conspicitur. Nec eiusmodi est quòd vnius duntaxat, vel alterius hominis testimonio comprobetur, sed ita manifestum vt ipse Martyris sanguis assidua miraculorum operatione, vocibus quibusdam, velut Abel sanguis clamans, per vniuersum Christianum orbem audiatur.

17. Haud disparem religionem habent, in Magdalenæ nostræ reliquiis, prodigia huius generis, atque indicia simillima miraculorum. Nam de ea frontis parte, quam Christum tetigisse diximus, quis non admiretur, cutem in ea superstitem relictam fuisse, & sub cute carnem incorruptam, in albedinem declinantem, cui Christus manum intulerit, & in perpetuam, ac perennem quasi iuris possessionem, vestigium fecerit. Quis odorum fragrantia, quæ ex nudis demortuæ ossibus, afflatur & mirificis suauitatibus non capiatur? Sed illud prælucet omnibus, sacrum vasculum Christi sanguinis, dum in Cruce moreretur, ab ipsa Magdalena collecti, quem singulis annis, in die Parasceues, perlecta Domini Passione, admirandum in modum colliquefieri, & ebullire, proinde atque recens effusum, ad hæc vsque tempora cernimus. Quid amabo afferre nobis maius potuit Magdalena, quàm Christi sanguinem? quid melius, hoc sanguine? quid pulchrius hoc rubore? quid tersius hoc bullienti feruore? quid suauius hac dulcedine? quid pretiosius hoc infiniti pretij pignore? O sanguinem olim humanæ salutis pretium; nunc autem Magdalenæ in Prouinciales amoris illustre monumentum. O dulces amoris exuuias; quibus ideo se Christus exuit, vt illis aliquando Magdalena Prouinciam decoraret. Hunc sanguinem, ô quisquis in hac sacra Ampulla vides, nisi amas crudelis es, nisi adoras infidelis, nisi Magdalenam donatricem effers, ingratus.

CAPVT XXIX.

A Carolo II. Siciliæ Rege, Magdalenæ Domus nouo templo, & egregiis ornamentis decoratur, ac Fratrum Prædicatorum curæ committitur.

1. EXempto rebus humanis Carolo Andegauensi, fratre S. Ludouici Francorum Regis Christianissimi, quem ad Siciliæ Regnum Clemens IV. promouerat, Carolus cognomento CLAVDVS eius filius, sublectus, à Nicolao IV. Reate, die Pentecostes, quæ erat 1. Maij, Siciliæ & Apuliæ Rex coronatus est. Legendus Franciscus de Claperiis in historia Comitum Prouinciæ in Carolo II. Carolus, inquit, II. anno 1284. regnum auspicatur, quo regnante Clemens V. Pontifex Maximus, sedem Pontificiam, ab Vrbe sede antiqua, Auenionem Galliæ transtulit, vbi per annos septuaginta constitit. Item & Templariorum Ordo & nomen, Concilij Viennensis decreto damnatur, Mariam, Stephani Regis Pannoniæ filiam duxit vxorem, ex qua liberos tredecim suscepit, masculos octo, filias quinque, vtpote Carolum Martellum, qui ex materna stirpe Pannoniæ Rex, patri prædecessit; Ludouicum, qui S. Francisci ordinem professus, postea Tolosanus Episcopus inungitur: Robertum, qui patri in regno, & Comitatibus Prouinciæ, & Forcalquerij successit; Philippum, quem Tarentini sibi Principem designarunt, & quem Episcopi, ac cæteri Sardiniæ insulæ Prælati, in Regem illius Insulæ, viuente adhuc Carolo 1. anno 1270. elegerant. Ioannem Tristanum Peloponnesi Principem; Raymundum Berengarium, Pedemontis Comitem, Ludouicum II. Ducatæ in Macedonia Ducem; Petrum denique Grauinnæ Comitem. Tum verò, Clementiam, quæ Carolo primogenito Philippi Pulchri Francorum Regis, Blancham quæ Iacobo Tarasconensi, Helionoram quæ Friderico Regi Siculo, Mariam quæ Maioricarum Regi, & Beatricem quæ primò Azoni Marchioni Hestensi Ferrariæ, secundò Bertrando Badzæ, & tertiò Roberto Viennensi Delphino nupsit. Carolus anno 1360. die 13. Februarij, Comitatus Pedemontis, Prouinciæ & Forcalquesij, æquè (quod aiunt Iurisconsulti) principaliter vniuit, æquóque fœdere coniunxit, vt vniti sibi mutua auxilia præstaret. Anno 1380. ij. Calendas Aprilis, icto prius fœdere, Bertrandus Bauci Auriacæ Princeps seipsum ciuitatémque suam, & Principatum suum spontè Comiti Prouinciæ submisit, & Carolo, vt fideicommissi sacramentum, hominio, quod aiunt, ligio pro ipsa Ciuitate & Principatu præstitit. Carolus moritur Neapoli, anno 1390. ætatis 60. cuius corpus in Prouinciam delatum sepelitur Aquis Sex-

Aa tiis

tiis in Monasterij Monialium Nazarethi templo, quod fundauerat & dotauerat. Insignis pietate Princeps, Religionis amantissimus, Monasteriorum, & Templorum fundationibus, & ædificiis addictissimus.

2. Porrò patri Carolo I. demortuo suffectus, haud felicior fuit, & opulentior cùm rerum potiretur, quàm priuatus. Frequentibus enim, quà externis ac domesticis turbis exercitus, quà Siculi hostis factionibus implicitus bello, nullam penè facultatem, opportunitatémque habuit de Magdalenæ Domo bene merendi. Attamen huius laudis non penitus expers fuit, is quippe, pactis cum Aragonensi hoste induciis, siue ipse sua sponte & voluntate, suóque erga Magdalenam singulari Religionis studio, siue quod in salute ac libertate recuperanda, eius præsentissimam sensisset operam; Conuentum Sanmaximinensem, omni ope ornare cœpit. Omnium primùm, cùm eductus è custodia, commisit se viæ, ad Philippum Regem Francorum, & Carolum eius fratrem iturus, in Prouinciam diuertit, Magdalenæ Sanmaximinensi exoluturus vota. Exultantem, lætitia, & triumphantem gaudio, complures nobilium Gallorum vndequaque, plenis effusi portis, viísque prosequuti, quos partim Regis autoritas, ac reuerentia, partim miraculi fama, partim etiam visendarum Reliquiarum cupido, ex omnibus propè Prouinciæ oppidis exciuerat. Itaque ad Magdalenæ patronæ suæ conspectum, valens ac vegetus peruenit, & præsentis opis in bello ac vinculis expertæ memor, votum persoluit.

3. Nunquam alias antè, maior Sanmaximinensis Religionis & maiestatis species visa. Vno tempore Regiæ familiæ, ac cæterorum, genere, nobilitatéque totius Prouinciæ facilè principum quamplurimos, qui se honoris gratia Carolo adiunxerant, satis etiam multos, ex vniuerso Clero dignitate ac autoritate præstantes, quos ad rem explorandam, vt suprà diximus, & faciendam fidem conuocauerat, ipsúmque Regem imprimis; cum purpura & sceptro, atque aliis insignibus Regiis, ante sacra Magdalenæ Lipsana, supplices & venerabundos vidisses. Quod olim aspiciebat, admirabatur, stupescebat S. Augustinus, de veneratione Reliquiarum SS. Petri & Pauli ad Madaurenses scribens. *Videtis*, inquit, *imperij nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri, submisso diademate supplicare.* Similiter Chrysostomus in libro quod Christus sit Deus. *Romæ*, inquit, *quæ Vrbium est regalissima, relictis omnibus, ad sepulchra piscatoris, & pellionis currunt Reges & præsides, & milites: & Constantinopoli, Reges nostri, magnam gratiam putant, non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula, corpora sua sepeliamur, fiántque piscatorum* OSTIARII REGES.

Spondan. ann. 1284. n. 4.

Aug. Ep. 42.

Non prætermitto magnam pecuniæ vim, in votiuum munus ab ipso oblatam, coronámque suam Regiam eximia pulchritudine auream, gemmis distinctam clarissimis, quam ipse Rex, cum gentilitiis insignibus, decreta supplicatione donum tulit, sacro Magdalenæ capiti exornando, velut suæ erga illam, Religionis indicium. Thecam insuper, fabrile opus

au[r]arium

aurarium, ex argento, magnificis sanè ac præclaris imaginibus cælatam, margaritisque conspicuam. Ad hæc peripetasmata, vmbellas, sacerdotales ornatus, & aliam sacram supellectilem, intextam ex auro sericóque.

4. Hinc aliquo pòst tempore, cùm ad quietem integer rediisset, intentus Sacello extrinsecùs magnificè amplificando, (& materies, ad id nuper præparata, stimulabat) eam construendæ Basilicæ formam concepit animo, quæ digna Magdalenæ nomine, digna Rege potentissimo, digna ipsius loci maiestate, religionéque quoad paterentur humanæ opes, foret. Nec defuit regio Caroli consilio, sapientissimi Architecti solertia, ideam quippe talem descripsit, quæ Principis munificentissimi responderet opatis. Eius hodie vestibuli aditúsque, qui in destinata mole, omnem illius sæculi magnificentiam vinceret, vel dimidia pars, multorum annorum labore sumptúque, vix absoluta. Ad officij diuini pensum quotidie exoluendum, Religiosorum chorus institutus, quotum hospitio, circa templum ædes sanè ingentes ac magnificæ inchoatæ arcis speciem referunt, sic vt earum sinus basilici obuersus, ad Septentrionem, duobus lateribus, quasi brachiis, cingat. Quod vtique opus, fuisset operum Caroli maximum, nisi præpropera & immatura æuo mors, cæptis eius interuenisset, Deo tam ingentem laudem alteri reseruante.

5. Quia verò vitæ Religiosæ disciplina, Sancti Cassiani Abbatis Massiliensis, cuius familiæ ibi habebatur institutum Monasterium, vt ex superioribus patet, multis post annis, quod natura fert in omnibus ferè rebus, paulatim consenescere, & aliqua ex parte laxata crederetur, quasi minus splendoris & famæ, in Magdalenæ sacram Domum videretur inde refundi. Haud parum memor sibi diuinitus in somnis à Magdalena prænuntiatum, vt Monachis Cassianitis Fratres Prædicatores substitueret, & venerandas reliquias ipsorum curæ committeret. Eosdem ex autoritate Pontificis, Sanmaximinensi præposuit Cœnobio. Lecti aliquot, ex Fratrum numero, ad Regiæ Domus celebritatem illustrandam, ac promouendam maximè idonei. Monasticam præfecturam detulit Rex ipse, Magistro Fratri Guillelmo de Tonais, sacræ suæ pœnitentiæ administro, eximiæ integritatis ac prudentiæ viro, quem simul ac successores eiusdem Monasterij præsides, exemptione ab autoritate Ordinariorum spectabiles fieri voluit: facultatémque indulgeri habendi curam animarum, super habitatores villæ dicti loci Sancti Maximini, & illuc aduenientes quamdiu ibi commorarentur, verba sunt concepta, Bonifacij VIII. in Diplomate suprà citato cap. 26.

Delegatæ verò à Principe cognitionis iudices, fuere Durandus Episcopus Massiliensis, & Petrus cognomento, Girardi, Episcopus Cistaricensis. Executorio iure, literæ sunt huiusmodi.

6. *IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI Amen. Anno Incarnationis eiusdem* 1295. *die* 20. *Iunij, octaua Indictione. Nouerint vniuersi, præsentes pariter & futuri, quòd Reuerendus in Christo Pater, Dominus*

Petrus, Dei gratia Cistariensis Episcopus, obtulit & præsentauit in præsentia Notarij, & testium subscriptorum, Vobis Durando, miseratione diuina, Massiliensi Episcopo, quasdam patentes literas, seu priuilegia sanctissimi in Christo Patris, & Domini D. Bonifacij, Dei gratia, Romanæ & Vniuersalis Ecclesiæ Summi Pontificis, cum veris bullis, & vero filo, de serico & cannapo, non cancellatas, non vitiatas, nec in aliqua parte sui abolitas, petens instantia, quanta potest à vobis executioni mandari & expediri, ea omnia & singula, quæ in litera Commissionis inde vobis facta, plenius continentur. Quarum literarum, Prioris videlicet tenor dignoscitur esse talis.

7. BONIFACIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, Charissimo in Christo filio Carolo, Regi Siciliæ Illustrissimo, salutem & Apostolicam benedictionem. Ob tuorum excellentiam meritorum &c. Dedimus ad verbum suprà cap. 16.

8. *Secunda verò litera, cum vera bulla, & serico, tenor describitur esse talis.* BONIFACIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, Charissimo in Christo filio, Carolo Regi Siciliæ Illustrissimo, salutem & Apostolicam benedictionem.

Desideriis tuis in his libenter annuimus, per quæ Summi Regis reddaris conspectui gratiosus, tibique salutis proueniat incrementum. Equidem, intellecto quòd ob magnæ deuotionis affectum, quem ad S. M. Magdalenam geris, in Ecclesia Prioratus S. Maximini, Ordinis Fratrum Prædicatorum, tunc ad Monasterium S. Victoris Massiliensis, Ordinis S. Benedicti, immediatè spectantis, IN QVA EST CORPVS DICTÆ SANCTÆ RECONDITVM, affectabas cultum diuini nominis adaugeri & in honorificum eiusdem Sanctæ præconium, percelebre ministerium solemnius deseruiri. Nos intendentes in hac parte, fauorabiliter annuere votis tuis, Ecclesiam & Prioratum, prædictos cum Domibus, officinis, & vacuis aliis sibi coniunctis necnon thesauro, reliquisque ornamentis Ecclesiasticis, ac omnibus oblationibus eidem Ecclesiæ prouenturis, sic per alias literas nostras tibi directas pro exequutione tam laudabilis propositi duximus deputandos. Quod in loco ipso, Prior & dictus Conuentus Fratrum eiusdem Ordinis Prædicatorum, per quos ibidem, perpetuò sub ipsius Ordinis Fratrum Prædicatorum obseruantia, diuinis insistatur laudibus; ordinem prout tibi visum fuerit expedire, dictumque locum, cum domibus & aliis supradictis, & personas inibi ordinandas, in ius & proprietatem ac protectionem B. Petri, & Apostolicæ sedis recipimus, illum ab omni iurisdictione Abbatis, & Conuentus dicti Monasterij, & Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Aquensis, qui nunc est & pro tempore fuerit, & quorumlibet Ordinariorum aliorum, perpetuò eximentes, prout in prædictis literis pleniùs pro Guillelmo De Tonais, prædicti Ordinis Fratrum Prædicatorum Professore, præsentialiter nobis factis continetur. Nunc autem ad præsentationem tuam, eumdem Fratrem Guillelmum, in Priorem constituimus dicti loci, autoritate Apostolica statuentes, vt idem Prior, pro Conuentu inibi ordinando, illum numerum

fratrum

fratrum Professorum dicti Ordinis, qui tibi expedire videbitur assumere valeat, & illos in loco collocare prædicto, iidémque Fratres qui sic assumpti fuerint, teneantur prædicto Fratri Guillelmo & successoribus suis, tanquam Prioribus suis, in omnibus obedire, nec assignati sine tuo consensu ab officio administrationis eiusdem loci absolui valeant. Quódque locus qui nunc Prioratus existit VBI POENITENTIAM DICTA S. EGISSE DICITVR, ET QVI BALMA VVLGARITER NVNCVPATVR, in concessione tibi facta per alias prædictas literas, sit inclusus, & pari, cum cæteris in ipsa concessione contentis, exemptionis priuilegio gaudeat & eisdem conditionibus censeatur. Electio verò Prioris illius loci, quoties opus erit, ad dictos Conuentus, ac eius confirmatio ad Prouincialem Priorem vel ad Magistrum dicti Ordinis Prædicatorum pertineat, eo modo videlicet, quod post electionem celebratam ab ipsis, de Priore eiusdem Conuentus, tuum assensum requirere teneantur, & si illum super hoc præstare nolueris, possint, procedere ad aliam electionem faciendam: nec aliqua electio, quàm de Priore in loco ipso celebrari contingat, præsentari Superiori, seu confirmari valeat., nisi tuus assensus primò super hoc requisitus, fuerit obtentus. Et quod eidem Priori suísque successoribus habitatorum villæ dicti loci S. Maximini, & illuc aduenientium, quamdiu ibi fuerint, cura immineat animarum, quæ per sæculares Presbyteros idoneos instituendos & destituendos per ipsum, quoties viderit opportunum, valeat exerceri, quibus idem Prior & successores eius teneantur, in vitæ necessariis congruè prouidere, & quod dictæ curæ Prior, seu Presbyteri supradicti iurisdictioni Diœcesani in nullo penitus sint subiecti, teneantur sibi & aliis reddere rationem. Quódque præfati Prior & Conuentus, cùm ad prædictum locum accedere personaliter te contingeret, te tanquam verum patronum illius loci recipere personaliter teneantur. Nonobstantibus quibuslibet eiusdem Ordinis Prædicatorum, seu quarumlibet personarum contrariis constitutionibus, ordinationibus, seu statutis, vel priuilegiis, quæ præmissis vel eorum alicui, possent in aliquo obuiare, etiamsi oporteat de illis expressam, vel de verbo ad verbum, præsentibus fieri mentionem. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ institutionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Laterani septimo Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

9. *Tertia verò litera executoria cum vera Bulla de cannapo, quæ nobis dirigitur, tenor dignoscitur esse talis.*

BONIFACIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei Venerabili Fratri Episcopo Massiliensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

Ob excellentiam meritorum quibus charissimi in Christo filij nostri, Caroli Siciliæ Regis Illustrissimi sublimitas dignoscitur insignita, petitiones ipsius Regis, quantum cum Deo possumus, libenti animo exaudi-

mus: Illas præcipuè, quæ cultus diuini nominis augmentum, respicere dignoscuntur. Sanè habuit nuper eiusdem Regis insinuatio facta nobis ob magnæ deuotionis affectum, quem ad B. Magdalenam gerit, internè in Ecclesia Prioratus S. Maximini Ordinis Fratrum Prædicatorum Aquensis Diœcesis, olim ad Monasterium S. Victoris Massiliensis, Ordinis S. Benedicti immediatè spectantis, IN QVA EST CORPVS BEATÆ DICTÆ RECONDITVM, affectabat cultum diuini nominis adaugeri, & in honorificum eius præconium percelebre ministerium deseruiri. Nos intendentes votis ipsius Regis, annuere fauorabiliter in hac parte, prædictos Ecclesiam & Prioratum, cum domibus, officinis & vacuis aliis sibi coniunctis, necnon thesauro, reliquiis, ornamentis Ecclesiasticis, & omnibus oblationibus eidem Ecclesiæ prouenturis sicut per alias literas nostras eidem Regi directas, pro executione tam laudandi propositi, duximus deputandas. Vt in loco ipso Prior & dictus Conuentus Fratrum eiusdem Ordinis Prædicatorum, per quos ibidem perpetuò sub ipsius Ordinis obseruantia, diuinis insistatur laudibus, ordinem prout ipsi Regi videbitur expedire, dictúmque locum. Et cætera quæ ad verbum in superiori diplomate exscripta habentur.

10. *Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus venerabilem fratrem nostrum Episcopum Sistaricensem, præfati Regis nomine, in corporalem possessionem Ecclesiæ, Prioratus & loci Balmæ, ac domorum, officinarum & aliorum vacuorum eidem Ecclesiæ coniunctorum, necnon thesauri, reliquiarum, ornamentorum Ecclesiasticorum, pertinentiarum & iurium prædictorum, per te vel alium seu alios, autoritate nostra inducas & defendas inductum. Contradictores autoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, non obstante, si aliquibus, cuiuscumque status, conditionis seu dignitatis existant, à sede Apostolica sit indictum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam de indulto eiusmodi mentionem. Datum Laterani septimo Idus Aprilis, Pontificatus nostri an. 1.*

11. *Visis igitur & intellectis plenariè concessionibus & priuilegiis factis Domino Regi, ex dicto & commissione executionis huiusmodi nobis facta, ac volentes, sicut obedientiæ filij, obedire & exequi quæ mandantur. Nos prædictus Durandus, miseratione diuina, Massiliensis Episcopus, ad Prioratum prædicti loci S. Maximini personaliter accedentes, venerabilem in Christo Patrem Dominum D. Dei gratia, Sistaricensem Episcopum antedictum præsentem, & per ipsum D. Summum Pontificem specialiter deputatum, prælibati D. Regis nomine, in possessionem Ecclesiæ & Prioratus, ac domorum, officinarum, necnon thesauri, Reliquiarum, ornamentorum Ecclesiasticorum, pertinentiarum & iurium prædictorum, autoritate Apostolica induximus corporalem, cùm nec per aliquam legitimam personam sit oppositum rationabile, propter quod minus debeant exequi supradicta, vel eorum debeat executio retardari, in omnes impedientes & turbantes quomodolibet, publicè vel occultè, cuiuscumque status, conditionis, seu dignitatis, existant, in his scriptis præsentibus, autoritate prædicta, autoritatis sententiam promulgantes, quam faciemus, quandocumque vobis videbitur, tam generalite*

neraliter quàm specialiter, vt expediens fuerit, publicari. Præcipientes tibi Iacobo Iordano Notario publico, de his omnibus, per te fieri publicum instrumentum vel publica instrumenta, sigilli nostri munimine roborandum, vel etiam roborand. Acta fuerunt hæc & publicata apud S. Maximinum in Ecclesia S. Maximini, in gradibus ante altare S. Michaelis, quod est in dicta Ecclesia, extra cledas, coram testibus ad hæc vocatis & rogatis, scilicet D. Berengario Gantelmi milite, D. Paulo Fabro Maiore Iudice, D. Guidone de Tabia, Regio Procuratore & Aduocato, in Comitatibus Prouinciæ ac Forcalquerij. D. Hugone Lautando, D. Guillelmo Amaturo Capellanis Bernardo Audeberto, Guilelmo Berardi, & me Iacobo Iordano Notario publico infrà scripto.

12. *Post hæc verò anno Incarnat. Domini 1295. 21. Iunij Octaua Indictionis. Visis similiter vt intellectis plenariè concessionibus & priuilegiis suprà scriptis Papalibus, factis dicto D. Regi & commissione executionis huiusmodi nobis memorato Durando, miseratione diuina, Massiliensi Episcopo facta, ac volentes sicut obedientes filij obedire, & exequi quæ mandantur. Nos prædictus Durandus ad Prioratum prædicti loci,* VBI DICTA SANCTA POENITENTIAM EGISSE DICITVR, QVI BALMA VVLGARITER NVNCVPATVR, *personaliter accedentes dictum venerabilem Patrem D. Petrum, Dei gratia, Cistaricensem Episcopum præsentem, & per iam dictum D. Summum Pontificem, ad hoc specialiter deputatum, præfati Regis nomine, in possessiones Ecclesiæ ac Prioratus, ac domorum, officinarum &c. vt suprà mo. de Ecclesia & Prioratu S. Maximini. Acta fuerunt hæc & publicata in dicto loco qui Balma vulgariter nuncupatur, coram testibus ad hoc vocatis, & rogatis, scilicet D. Paulo Fabro Maiore Iudice, Guidone de Tabia, Procuratore Regio, & pluribus aliis testibus præsentibus, & me Iacobo Iordano prænominato, ab Illustrissimo D. Carolo fœlicis record. Hierusalem & Siciliæ Rege, in Comitatibus Prouinciæ & Forcalquerij Notario publico constituto, qui supra notata rescripta Papalia, vt prædictum est, veris Bulla bullata, vidi & legi atque publicaui, mandatóque dicti D. Massiliensis Episcopi, ad requisitionem memorati D. Cistaricensis Episcopi, nomine quo supra Regio requirentis, nihil addito vel diminuto in dictis rescriptis Papalibus, per quod in aliquo mutentur, vel varientur nisi forte litera, pro syllaba, titulo vel puncto, quæ sensum vel rei subiectum non mutant, & prædicta omnia acta, quibus omnibus præsens fui, manu propria, in præsentem publicam formam redegi & hoc meo signo consueto, signaui.*

13. *Nos autem prædictus Durandus, miseratione diuina, Massiliensis Episcopus, in præmissorum omnium, & singulorum testimonium & ad maius & perpetuum rei robur, hoc publicum Instrumentum manu præfati Iacobi Iordani Regia autoritate publici Notarij, vt prædictum est, scriptum proprij sigilli nostri fecimus appensione muniri. Datum & actum annis & diebus Domini & locis quibus* Suprà.

14. Quæ res hoc explorátior esse debet, quod memoriæ prodita [illegible] ab [illegible] [illegible]

tissimas esse oportuit. Fratres Prædicatores inde, Cœnobij Sanmaximinensis curam & administrationem exceperunt, quorum inclyta omnibus in rebus pietas, in D. Magdalenæ cultu satis enituit. Nihil quippe illis antiquius fuit, quàm vt illam, sanctitatis fama, vitæque religiosæ exemplis, & ad populum celeberrimis atque gratissimis Concionibus insignem facerent. Quibus otium ac solitudo Sanctæ Balmæ beneficio sortis obtigit, hanc in gratiis agendis & gratulationibus habendis, votorum summam (deprompt am scilicet ex ea quæ olim luce palam extabat tabella, nunc ex Manuscripto Sanmaximinensi) in speluncæ Sacello proposuerunt, vt eius cognoscendæ potestas omnibus foret, & scripta est rudi versus ac simplici, atque ad vulgi intelligentiam accommodato, gratum aduenis non illiteratis pabulum, nec leue pietatis & religionis antiquæ, erga Magdalenam monumentum.

O salue semper regio tutissima mundi;
O salue quæsita diu tu saxea moles;
Purgans à piè longa rubigine mentes,
Et multas missura animas, in tecta Deorum.
O salue, superûm mons impinguatus amore,
Cuius terra licet sterilescat munere glebæ,
Culturâque carens & frugibus: haud tamen vnquam
Est caritura illis salicetis, atque virore
Illo, ex quo sancti gignuntur in æthera fructus.
Herbis aret humus, sed ager virtutibus almis
Semper opimus erit, messésque ostendet adultas.
Saluete ô tacita Sylua, Saluete Miricæ,
Sumite nos, hilari vestra in consortia vultu,
Venimus huc victuri omnes simul & morituri.

CAPVT XXX.

Renatus Rex inchoatum ædificium absoluit, munitque, simul & Collegium Fratrum Prædicatorum instituit.

1. EX in Renatus Ludouici II. filius, Fratri Ludouico III. successit, in Regno Siciliæ, & Comitatibus Prouinciæ & Folcalquerij anno 1433. de quo Franciscus de Claperiis in breui historia citata. Is, inquit, à principio Regni à Philippo Duce Burgundiæ capitur, sed dum captiuus detinetur, Isabella, Lotharingiæ Ducis Filia & Renati vxor, assumptis secum Ioanna & Ludouico liberis, anno 1446. Neapolim proficiscitur, eique publicè honores decreti. Eodem anno Eugenius IV. Pontifex Maximus

ximus, 13. Kal. Mart. Eo tunc Florentiæ sedente, consentientibus sacri Concilij Patribus, toto Cardinalium ordine, Regni Siculi prius comprobata infeudatione quam Martinus V. ante aliquot annos, Ludouico III. & hæredibus contulerat; iam denuo, Renatum in Beneficiarium eiusdem Regni inuestiuit, descendentésque vtriusque sexus, & post eos Carolum Andegauum, eiúsque fratrem, eiúsque liberos, natos, & nascituros, conuentionibus in ipso diplomate expressis. Tandem verò liberatus carcere Renatus, anno 1438. in Italiam proficiscitur, & Neapoli Rex salutatur, publicè, & magnificè receptus. Cuncta mutua congratulatione plena erant. Nullum lætitiæ, religionísque genus munusue prætermissum fuit, à ciuibus, aduenienti Renato, congratulantibus. Initio omnia prospere succedebant, maiorémque partem Regni Tarasconensis armorum viribus profligatis recuperauit. Sed mutata fortuna, vt est vitrea, quæ cum resplendet frangitur, rebus Alphonsi melius sese habentibus, capta Neapoli Vrbe, omnes Ciuitates & arces Regni, excepto Castro nouo, à Renati partibus desciuere. Tunc verò Renatus, cum Magnatibus, & Regni Proceribus ad Eugenium Summum Pontificem conuolat, Castro nouo prius bono communito præsidio, cui iurauerat, intra paucos menses, se cum auxiliis venturum, paríque iureiurando, eos astrinxerat præsidiales milites, arcem se prius, quàm aduenisset, non desetturos. Renatus apud Eugenium aliquot dies moratus, cùm Tarasconensis fœlicibus pugnaret auibus & iam totius Regni sibi possessionem firmasset, rebus postea in magno discrimine versantibus, deficiente etiam quæ neruus est belli, pecunia, magno cum comitatu Procerum, qui ab eius partibus steterant, in Prouinciam rediit, sed priusquam vela solueret, militem strenuum & eximiæ nobilitatis virum Cosensem, misit Neapolin, ad eos quos in arce reliquerat, vt eos à fide & iureiurando solueret, & arcem Alphonso relinquerent. Vixit summè à Prouincialibus desideratus, inter suorum temporum putatus, DELICIÆ. Ex Isabella Lotharingiæ, vxore septem suscepit liberos, mares quatuor & filias tres. Ioannem, Calabrorum Ducem, & ex eo nepotem Nicolaum, Ludouicum, Pontis Marchionem, Carolum Guisiæ Comitem, & Renatum qui omnes naturæ ordine turbato, patri prædecesserunt, nullis liberis superstitibus. Filias habuit, Iolandam Lotharingiæ Ducatus hæredem, quæ Vaudemontio Consobrino nupsit, Margaretam Henrici VI. Anglorum Regis vxorem, & Blancham, quæ in ipso Virginitatis flore decessit. Itaque nullos habens masculos, quos hæredes institueret Carolum ex fratre Nepotem filiabus antetoluit & eum testamento sibi hæredem instituit. Moritur Cal. Iulij anno salutis 1488. ætatis anno 73. Regni 47. Aquis Sextiis, in sua Metropoli, cuius corpus Andegauiam delatum in Mauritiano fano sepultum est. Vixit optimus Princeps, adeo vt BONI REGIS elogio publicè etiam hodie à nostris hominibus vulgo donetur.

2. Idem porrò insigni liberalitate simul atque religione, erga Magdalenam memorabilis perhibetur, nec tantùm Caroli II. Superiorúmque

Regum, Roberti, Ioannæ Reginæ, Ludouici I. Ludouici II. Ludouici III. priuilegia, immunitates, beneficia, Sanmaximinensi Conuentui tributa, stabili perpetuóque iure rata esse iussit: sed deinceps, aliis etiam super alia decretis ac muneribus impensè cumulauit: ædificia enim à Carolo inchoata, quorum absolutio variis casibus turbata fuerat, extruere illico, ac permunire parat. Basilicæ corpus, ex pilis constat ingentibus, columnarum instar, duodeuiginti, quarum vtrinque octo, concameratum ex lapidibus tectum sustinent. Huic corpori duæ velut alæ, hinc atque hinc adiectæ, cum Sacellis aliquot maioribus, quæ inter columniis respondent. Alia item circa templi caput Sacella disposita, atque his ab latere sinistro maioris Aræ, quod vulgò cornu Euangelij vocatur, adiunctum sacrarium, amplum admodum, & excelsum; quo ferè sacra Ecclesiæ supellex, & Magdalenæ conduntur dona. Pauimentum ad loci munditiem, quadratio saxo constructum. In Hypogæo quod est veluti Basilicæ meditullium, sacra Reliquiarum cella, præcipuam sedem obtinet, ac peregrinorum votis aspectabilem, tumulis circa, vti diximus, marmoreis Sanctorum Maximini, Cedonij, aliorúmque excitatis, & scalpro cælatis: Diceres aliquod vnum, ex antiquis illis Martyrum templis, sumptuosum atque magnificum, de quibus Gregorius Nyssenus oratione in Theodorum Martyrem, narrat multis verbis, eos qui ad visendum, intra fines illorum ingrederentur, primò mirari molem ædificij, deinde parietes & pauimentum pulchrè ornata, tum statuas & picturas varias, & subiungit tandem. *Vbi his, inquit, oculos oblectarit, cupit deinceps ipsi conditorio propinquare, sanctificationem ac benedictionem, contrectationem eius esse credens; quod si quis etiam puluerem, quo conditorium vbi Martyris corpus quiescit, obsitum est, auferre permittat, pro munere puluis accipitur ac tanquam res magni pretij condenda terra colligitur; nam ipsas attingere reliquias, si quando huiusmodi prospera fortuna contingat, vt id facere liceat, quàm id sit multùm desiderandum & optandum ac summarum precum donum sciunt experti, & eius desiderij compotes facti.*

3. Cæterùm quia vix, non minus sanctimoniæ, quàm opulentiæ non vulgaris fama inclytam ædem, in villà immunita, expositam, seu prædonum, seu militum auaritiæ fore videbat: vt humana etiam ope talia pericula arceret in posterum, Sanmaximinum fossis, mœnibus ac turribus cinxit, satis etiam instrumentorum bellicorum adiecit, ad propugnandos & procul arcendos improuisos hostes: cuius rei fama finitimos nonpaucos ad oppidum incolendum, non tantùm peregrinos ad visendum exciuit.

4. Postremò Rex optimus probè gnarus, morum emendationem ex bene instituta iuuentute pendere, Collegium instituit eorumdem Fratrum Prædicatorum, priuilegiis, immunitatibus, cæterisque Academiarum insignibus ex parte attributis. Viginti quinque Fratres inibi Conuentuales, ex quorum numero, Prior Academiæ præses, & Vicariùs forent, tres præterea religiosos Professores, vnum in Actibus liberalibus, & Philoso-phia.

phia naturali ; Alterum in Decretis ; Tertium in sacra Theologia esse voluit. Sui cuique annui reditus, pro rata portione assignati. Poriò præcipua omnium cura semper fuit, peregrinorum animos, confessione expiare, a grestes homines, Christianorum mysteriorum rudes informare, omnes ad vitæ perfectæ studium accendere.

Et quàm ista frequens opera, vniuersim tum aduenis tum indigenis frugifera & salubris extiterit, satius est aliis cogitandum relinquere, quàm nos literis prodere. Eminet Regis munificentissimi animus, in fundationis instrumento quod libet attexere. Sic igitur habet.

5. *Renatus Dei gratia Rex Ierusalem, vtriusque.*

Siciliæ, Aragoniæ, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ, & Corsicæ Rex : Ducatuum Andegauiæ, & Barris Dux. Comitatuúmque Prouinciæ, Forcalquerij, ac Pedemontis Comes. Eminentibus, ac magnificis, spectabilibus, egregiis, & nobilibus viris nostris, Consilio, Cancellario, Iudici maiori, magno Præsidenti, Magistris Rationalibus, Thesaurario, Argentariis, Receptoribus, Collectoribus, Tracheriis, Gabelloriis, & cæteris Officialibus, Clanariis, & Officiariis quibuscumque, infra districtum nostrum huiusmodi vbilibet constitutis quacumque dignitate, ac distinctione notatis, præsentibus videlicet & futuris, ad quos spectat, vel spectare potest, vel poterit quomodolibet in futurum fidelibus nostris dilectis, gratiam & bonam voluntatem.

Gloriosus Deus in Sanctis suis, & in Maiestate mirabilis, ineffabilis altitudo prudentiæ nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti censurâ iudicij cœlestia pariter, & terrena disponit. Etsi cunctos eius ministros magnificet, altis decoret honoribus, & cœlestis efficiat beatitudinis possessores, illos tamen, vt dignis digna rependant, potioribus attollit insignibus dignitatum, & memor vberiori retributione prosequitur, quos digniores agnoscit, & commendat ingentiorum excellentia meritorum. Sic & alma mater Ecclesia eius sacra vestigia prosequens, & exemplo directa laudabili, licèt vniuersos in Regnis cœlestibus constitutos, studiis honorare sollicitis, & honoris efferre præconiis non desistat: Gloriosissimam tamen, *Magdalenam secretariam, & solam Apostolam Iesu Christi*, quæ in carne viuens pellucida, & salutaria documenta, verbo, ac etiam opere religionem fidei Christianæ protegens, virtutibus & optimis moribus decorauit : quasi luminosa, ardénsque lucerna super candelabrum in domo Domini posita, errorum tenebris profugatis, tanquam sidus irradiat matutinum summis attollere vocibus, laudibus personare, præcipuis & specialibus disponit honoribus venerari.

6. Non immeritò igitur fœlicis recordationis Rex CAROLVS II. noster inclytissimus Progenitor, gratia inspirante diuina sacratissimi corporis inuentor ipsius gloriosissimæ Sanctæ, in Dei omnipotentis, ac ipsius gloriam, & honorem, Conuentum, & Ecclesiam Fratrum Prædicatorum

villæ nostræ sancti Maximini: vbi corpus ipsum sacratissimum in Domino requiescit, & diem solemniter veneratur, instituit, & fundauit, ac diuersis specialibus dotauit priuilegiis, atque bonis. Nos enim debentes Deo gratias de vniuersis beneficiis, quibus nos misericorditer in omni nostrorum successuum tempestate præuenit, dignè in eius reuerentiam qui redemit nos, promptos, & munificos exhibemus, honorando eum ex publicis, & opportunis impendiis, ampliando venerabiles Domos eius, eidem, & aliis post eum nostris Progenitoribus inhærentes: actibus intenti salubribus, & operibus expositi pietatis, solerter exequimur quæ sunt Dei. Quia ipsius Ecclesiæ, & Conuentus curam, & Iuspatronatus ex serie fundationis prædictæ, & ad eamdem Sanctam gloriosissimam singularem deuotionem habemus ad Dei laudem, & vt ipsa gloriosissima Sancta pro nostrorum delictorum indulgentia consequenda, apud eumdem altissimum Dominum intercedat; certiorati plenariè, quod in iisdem Ecclesia, & Conuentu à Sancta Balma in Eremo existente, *Vbi ipsa sancta gloriosissima residens diuersis temporibus peregit pœnitentiam salutarem*, per Reuerendos modernum, & Priores præteritos, ac Fratres Conuentuales eiusdem, fuit incessanter diuinus cultus solemniter celebratus, & deuotione crescente: die, noctéque laudabiliter celebratur, ac per eorum aliquos diuina scientia sufficienter instructos, seminatur salubriter verbum Dei, quo populus instruitur, & fides Catholica augmentatur. Præmissa, & alia diuersa sollicitè, ac dignè considerando debita meditatione pensantes, in aciésque mentis meæ sæpius reuoluentes, quod non solùm ad protegendum, manutenendum, amparandum, verùm etiam crescendum præmissa omnia, & singula nos reputamus obnoxios, ac etiam obligatos. Igitur ex deuotione, ac omnibus, & singulis præmissis, & aliis causis iustis: in laudem, decus, honorem, & gloriam omnipotentis Dei, & præfatæ gloriosissimæ Sanctæ, de certa nostra scientia motúque nostro proprio, ac deliberato proposito, absolutáque, & Dominica potestate, dicto Conuentui, & Ecclesiæ sequentia accrescentes, omnia vniuersa, & singula subscripta fundanda, instituenda, & facienda duximus, etiam ordinanda valitura perenniter, & in perpetuum inuiolabiliter duratura.

7. Imprimis enim quia inter virtutum nobilium quas humanis sensibus indidit Patris Æterni sapientia singularis, literalis scientiæ bonitas tanquam à suo bono, forma specifica, nec immeritò locum tenens, non solùm mentes quibus in funditur, sed etiam loca studentium in eadem decenter irradiat, nobilitat, & illustrat, idéoque altissimi Domini nostri Iesu Christi quantùm possumus imitantes exemplum, qui ituros per vniuersum mundum ad Euangelisandum aptos in omni genere fore voluit eruditos, Catholici iuris diuini notitia abundare sanctam affectamus Ecclesiam præcipuè supradictam, si confutatis erroribus vniuersis fidem Catholicam scientificè sustinentes, manuteneam de bono in melius, & augmentem. In iisdem igitur Ecclesia, & Conuentu Beatæ Magdalenæ ipsius,

ipsius villæ nostræ sancti Maximini, Ordinis Prædicatorum; quorum Iuspatronatum (vt præmittitur) possidemus matura deliberatione, præambulâ, vnum venerabile, & deuotum Collegium viginti quinque Fratrum, & trium in sacra pagina Magistrorum Ordinis supradicti de quibus numerum Fratrum ipsius Conuentus ordinarij augmentamus, fundandum, & statuendum duximus in perpetuum, ac etiam ordinandum, & ad fines prædictos, scientia, motu, & deliberatione præmissis, fundamus, & instituimus per præsentes. Ita videlicet quod vnus in artibus & Philosophia naturali, secundus in Decretis, & tertius eorumdem Magistrorum in sacratissima Theologia, præfatis ac aliis studentibus quibuscumque volentibus ibidem edoceri, eorum lectiones ordinarias, legere, aliósque actus Scholasticos in disputationibus, & verbum Dei prædicando, tam ad populum quàm ad Clerum & alios, provt modernus, ac Priores eius in posterum successores ordinandum duxerint, exercere laudabiliter teneantur.

8. Quibus quidem Prioribus, & ipsorum cuilibet pro suo tempore, liceat Fratres ipsos atque Magistros & ipsorum quemlibet assignare, admittere, ordinare, recipere, mutare, & remouere semel, ac pluries; & in eorum loco alios provt eisdem visum fuerit subrogare, & præfatos studentes pariter, & Magistros, quos ipsius Prioris, & successorum suorum, provt fuerunt, & soliti sunt Conuentuales eiusdem in omnibus, & per omnia volumus esse subiectos. Corrigere, & præmissa quoad prædictos alios animaduersione punire, ipse enim Prior modernus, & prædicti pariter successores, vt iidem Magistri ad lectiones melius sint attenti & studentes ipsi, studium diligentius exercentes, sub eorum doctrina proficiant opportunas ac necessarias exemptiones indulgere non omittant. Item fundationem, accrementum, & institutiones nostras huiusmodi supra, & subscriptas, iuxta earum tramitem per nos datum, cupientes laudabiliter obseruari, quæ pro maiori parte moderno, & futuris Prioribus committuntur. Institutionibus igitur earumdem vt ritè fiant, sequenti remedio prouidemus. Videlicet quod moderno, ac aliis futuris vitâ functis, ipsóque, per ipsius Prioris obitum, Prioratu vacante, assignati Conuentuales ipsius, & dictæ Ecclesiæ Sanctæ Balmæ, vnum Fratrem dicti Ordinis, & de patria nostræ Prouinciæ originarium, in sacra Theologia Magistrum, modo legitimo ipsorum, Ecclesiæ, ac Conuentus eligant in Priorem: Cuius electionem nobis, & exinde nostris successoribus, præsentare, & vbi illam recusauerimus acceptare, aliam electionem facere similiter teneantur, donec nostra, & successorum nostrorum acceptatio subsequatur. Quæ quidem facta electio, & sic vt præmittitur acceptata, per Priorem Prouincialem Prouinciæ, aut dicti Ordinis prædictum Magistrum Generalem, solemniter informetur, provt ex indultis Apostolicis præcipitur, & fieri mandatur & præmissa omnia & singula vicibus singulis ipso Prioratu vacante inuiolabiliter obseruentur. Quidquid factum fuerit in contrarium, vel omissum, ex nunc irritum decernimus, & inane.

9. Item quia sicut amor vniuersa congregat, sic communione vnità pariter virtus se conseruat, statuimus igitur, ordinamus, & perpetuò obseruari volumus, ac iubemus quod Magistri, & Fratres qui assignati fuerint tam maiores videlicet, quàm minores in eiusdem Conuentu, & loco de sancta Balma personaliter residentes, sub communitate viuant, & in alimentis, vestimentis, & aliis necessariis, prout etiam præsenti ac futuris Prioribus visum fuerit: religione, & charitate laudabiliter obseruatis de communi volumus, & intelligimus prouideri. Item Prioribus aliquibus, ac Lectoribus supradictis ad immoderatos sumptus, & excessiuas expensas forte volentibus prosilire in damnum, ac grauamen Communitatis, eiusdem cupientes dare regulam perpetuò obseruandam Statuimus volumus ac etiam ordinamus, quod modernus ac futuri Priores, tribus equitaturis, & duobus seruitoribus debeant esse contenti; qui cum eisdem familiaribus & equitaturis, sanus videlicet ac infirmus, intra Conuentum ipsum ac extra etiam existentes pro illius negotiis vtiliùs exercendis. Necnon tres Lectores præfati, & eorumdem Priorum Lectorum ac seruitorum quilibet iuxta personarum decentiam induendis alimentari debeant, & vestiri, ipsius Conuentus sumptibus, & expensis. Et quia omnis labor congruo præmio carere non debet, vt idem Prior modernus, ac etiam successiuè futuri omnium sibi commissorum bonus pastor existat, & ipsius Conuentus negotia diligentius administret volumus quod singulis annis vltra prædicta percipiat florenos centum viginti quinque, monetæ Prouinciæ, quolibet pro sexdecim solidis Prouincialibus computato, & quibus disponere valeat pro libito voluntatis, & quilibet Lectorum legentium prædictorum, etiam vltra præmissa, vt ad legendum, & auditorum instructionem melius sint attenti, habeant dictæ monetæ florenos viginti quinque superius designati valoris.

10. Item vt tanquam veri patroni ipsorum Ecclesiæ, ac Conuentus circa prædictam singularem deuotionem necessariam vacare, ac cùm locus affuerit illius intelligere moderamina valeamus huiusmodi, nostris ordinationibus regulanda; statuimus ac etiam ordinamus, quòd Prior & Conuentus prædicti nos, nostrósque in posterum successores, tanquam illius patronos veros, & legitimos, eosdem Conuentum, & Ecclesias duxerimus, atque duxerint processionaliter visitandos recipere, & quamdiu permanebimus, ac permanebunt in eodem velut religiosæ personæ dicti Conuentus de pitantia nobis, & iisdem successoribus prouidere teneantur. Sic & pariter Prior ipsius Conuentus modernus ac futuri ad nostram Curiam venientes, quamdiu apud illam voluerint permanere; pro se, & sua familia supradicta alimenta necessaria eisdem perpetuò volumus elargiri. Item in seruitio altissimi Domini nostri regnare, & saluti animæ nostræ salubriùs prouidere cupientes, statuimus & hac nostra ordinatione sancimus; quod quamdiu vixerimus in humanis: diebus singulis, Completorio præfinito, hic psalmus (*Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam &c.*) cum versu *Saluum fac.* Et Collecta *Deus cui proprium* &c.

&c. post verò nostrum obitum, & decessum Psalmus (*De profundis &c.* cum oratione. *Inclina Domine aurem tuam.* Ministrantes diuinum officium, in Ecclesia supradicta, deuotè flexis genibus, & nihilominus die nostri obitus, & Serenissimæ Ioannæ eorumdem regnorum Reginæ dilectissimæ consortis nostræ, quam in beneficiis huiusmodi volumus esse participem, Missam & mortuorum Vigilias decantando vnum solemne Anniuersarium pro nostra, & ipsius anima consortis nostræ, eisdem diebus annis singulis, & perpetuis temporibus iterandum continuatione deuota dicere, & celebrare teneantur.

11. Item vt salubrius modernus ac futuri Priores ipsius Conuentus, quoties opportunum fuerit, brachium Iustitiæ implorare, & illius negotia expedire valeant, atque possint: Statuimus & iubemus, quòd iidem Priores, modernus ac futuri, nostri, ac nostrorum successorum Consiliarij, & de nostro existant consilio, perpetuis temporibus in futurum. Item quia iisdem Ecclesiæ Priori, Fratribus & Conuentui, per nos ac Illustrissimos progenitores nostros fuerunt hactenus, & non immeritò concessa priuilegia varia, & diuersa quibus vtantur, potiantur, & gaudent & quæ in perpetuum debent esse mansura, illa omnia, & singula, ad cautelam, vt perpetuò robur obtineant inconcussum, duximus confirmanda, prout motu, potestate, ac deliberatione præmissis earumdem serie in solidum confirmamus, & quatenus opus est de nouo concedimus, ac volumus & iubemus inuiolabiliter obseruari. Item vt prædicta, & alia ipsius Conuentus onera facilius supportentur: nam rationi consonum est, ac expedit, vt cui seruile onus augetur, opportunum tribuatur beneficium & congruum, cùm sine re titulus potius sit oneri quàm honori.

12. Igitur ex causis omnibus, & singulis prænarratis scientia, potestate, motu, & deliberatione præmissis, & aliis animum nostrum iustè mouentibus ipsum per Nos, sic vt præmittitur, fundatum Collegium, ac dicti Conuentus, & diuini cultus augmentum, de florenis tribus millibus ac successionibus quibuscumque dotandum duximus harum continentia, & dotamus. Quod quidem Collegium, & augmentum, illorúmque dotem, vt præmittitur, constitutam fundamus, dedicamus, ac dotamus; & fundatas, dedicatas, & assignatas esse volumus, intelligimus & iubemus, firmo iure, integro statu, & irreuocabiliter dehinc, & super Gabella salis antiqua, & magna tracta maris villæ nostræ Arearum, quam quidem Gabellam, & magnam tractam in solidùm cum omnibus earum iuribus, & pertinentiis, prouentibus, & emolumentis quibuscumque, quos & quæ Nos habere, & quomodocumque percipere soliti sumus, per Nos aut nostram Curiam supradictam nostrósque Thesaurarios, Granaterios & Officiarios, quoslibet ratione ipsius dotis ac in præmium aliorum omnium præmissorum necnon omnes & quascumque actiones nobis competentes, ac competituras quomodolibet super eisdem etiamsi dictam summam trium millium florenorum excederent, & ascenderent ad maiorem

iorem, de parua, magna, maxima, & quantacumque fuerit quantitate quam hîc haberi volumus pro expressa de eisdem omnibus & singulis sufficienter, ac plenariè informati dictis Ecclesiæ Priori, Conuentui, & Fratribus pro se & eorum successoribus quibuscumque in perpetuum damus cedimus, largimur penitus, & desamparamus donatione libera, à principe inter viuos perpetuò valitura, illásque cum iuribus, & pertinentiis supradictis amortisando penitus, & omnino à nobis, & nostra Curia, dominio, & patrimonio, & aliis quibuscumque illarum Ministris, ac super eis modò quolibet assignatis, proprietate, ac possessione nostris extrahimus, & perenni exilio totaliter, ac in solidum abdicamus, illorum Gabellæ, & Tractæ dominium, proprietatem, ac possessionem realem quibus expoliamus nos ac priuamus totaliter nostram Curiam supradictam per traditionem huius nostræ præsentis dotationis, donationis, assignationis, & fundationis Collegij prædicti perpetuò valituram, penitus transferimus in eosdem.

13. Ita videlicet quod Ecclesiæ Prior, Conuentus, & Fratres prædicti ex nunc in antea Ministris à quibuscumque personis ipsas Gabellam & magnam Tractam, ac illarum iura prædicta occasione administrationum, concessionum vel in parte vel in solidum occupantibus, quoquo modo quas & earum quamlibet ipsarum serie penitus reuocamus, expulsis realiter ab eisdem, Gabellam ipsam, & magnam Tractam in solidum, cum iuribus & pertinentiis suis prædictis habere, tenere, possidere, arrendare, locare, fructus colligere, ac leuari, & colligi facere, & eisdem iuribus & actionibus vti, & aliter facere pro eorum libito voluntatis atque possint, vt veri, & legitimi Domini earum, quos earum veros Dominos constituimus per præsentes, provt nos ante dispositionem, & fundationem huiusmodi facere pariter poteramus, legibus, iuribus statutis, & edictis, rescriptis, literis, priuilegiis, consuetudinibus, stylo, more, ritu, ac obseruantiis nostrorum Prouinciæ, & Forcalquerij Comitatuum prædictorum bonorum dominialium ac Paternorum & aliorum quorumcumque alienationem prohibentibus specialiter, & signanter tam à Serenissimo Rege Roberto prædecessore nostro factis, atque concessis, necnon donationes, assignationes, & largitiones alias continentibus, quas vt præmittitur reuocamus, quibus pro hac vice duntaxat specialiter derogamus nonobstantibus quibuscumque.

14. Ipsarum tamen Gabellæ, & Tractæ in parte ac in solidum alienatione eisdem Priori, & Conuentui penitus, sed interdictæ eis perpetuò conseruata ad fines & effectus præmissos, & quia traditio dotis huiusmodi per nos facta est, vt præponitur pro oneribus impositis Ecclesiæ, ac Conuentui supradictis facilius sustinendis quæ alias per eosdem ferri à superius per nos edita non possent in parte nec in solidum quomodolibet adimpleri. Volentes igitur nos reddere iuri ac rationi conformes, & opus peragere perpetuò firmiter duraturum: Gabellam ipsam, & magnam Tractam, & omnia superius assignata, cum iuribus, & illarum pertinentiis

tiis supradictis, eisdem Ecclesiæ Priori, Conuentui, ac Fratribus, præsentibus, & futuris à quibuscumque controuersiis defensare, auctorisare, ac disbrigare facere, & de quarumcumque euictione ac illius prosecutione teneri, eáque omnia vniuersa, & singula perpetuis temporibus inuiolabiliter obseruare promittimus per nos, & nostros in futurum successores, & in fide ac verbo *Regalibus* pollicemur, quos, & nos propterea specialiter obligamus. Volumus etiam insuper quod Ecclesiæ Prior Conuentus, & Fratres prædicti præsentes pariter, ac futuri in assignatione Gabellæ, & magnæ Tractæ supra facta potiantur, ac gaudeant beneficio L. Bene à Zenone, & L. Omnes C. De quadriennij præscriptione. L. Quod cùm multa C. de Bo. quælibet. Et L. Sancimus, C. De donat. tanquam illi qui rem consequuntur à Principe pro anima, & in pios vsus etiam dum ex eorum propria substantia, & dominio processerint, quia efficiuntur Patroni inconuincibiles, & irreuocabiles, ac aliis iuribus quibuscumque eis competentibus ac competituris.

15. Vbi autem aliqui hæredes aut successores nostri aut Officiales quicumque volentes prætendere Gabellam ipsam, & magnam Tractam tanquam de nostro dominio alienari non posse, illásque ab eisdem Ecclesia, Priore, & Conuentu auferre tentauerit, cum effectu, quod nullatenus credimus, quia laudem Altissimi, & præfatæ *Gloriosa Magdalena* decorem & gloriam, fideique Catholicæ laudabile respiciunt incrementum: & salutem animæ nostræ, & animarum ipsorum successorum concernunt, eis tamen contrauenientibus ex nunc pro tunc maledicimus & vt absorbeantur, & vt viuentes deglutiantur à terra sicut Datham & Abiron: Deum omnipotentem, & præfatam Apostolam sacratissimam deuotius deprecamur in præmissis omnibus, nostros successores damnando, grauando, etiam obligando, ac maledicendo eo casu; supplentes insuper ipsius fundationis, & dotationis serie, omnem, & quemcumque defectum iuris, & facti, & cuiuslibet alterius solemnitatis omissæ, aut forte aliàs non seruatæ ex plenitudine potestatis, motu, & scientia prædictis qui obiici possunt quomodolibet in aduersum, & quos hîc haberi volumus pro expressis. Ipsarum etiam serie declarantes hac ordinatione nostra perpetuò valitura, quod præsens nostrum priuilegium, donatio, dotatio, ac fundatio prædicta iuxta ipsarum continentiam, & tenorem, omniáque vniuersa, & singula in eisdem comprehensa, roboris inexpugnabilis obtineant firmitatem, & refragationis, ac obiectionis alicuius dispendia non incurrat, & quod huiusmodi nostra donatio, ac fundatio, vim, robur, & efficaciam plenam habeat perpetuæ dotationis Collegij, seu Ecclesiæ, adeo vt non possint ab inde in antea, & ex interuallo, quacumque occasione, causa, seu ratione apponi, seu adiungi aliqua alia pacta, modi, conditiones, seu reseruationes, modificationes, vel interpretationes, quacumque etiam causa conuertendi in meliores vsus. Et vbi interpretari contigerit, ad commodum, & vtilitatem ipsius Ecclesiæ, ac Conuentus, & non aliàs, eius interpretatio fiat. Etsi fortè, à casu aliquando numerus Magistrorum, &

aliorum Religiosorum studentium deesset in dicta Ecclesia, & Conuentu, quod ratione huiusmodi defectus vel similis alterius non possit huiusmodi dotatio, assignatio & donatio reuocari per quempiam in futurum, nisi prius legitimè requisito Priore, & in mora constituto de non obseruantia præmissorum pactorum, & modorum.

16. Item vt eidem Prioratui cùm per obitum vel promotionem ad maiorem dignitatem Prioris vacare contigerit, singulis vicibus prouideat de Prioribus successiuè, modo & forma per nos superius declaratis & non aliter, frænum eis qui contra facere voluerint imponentes, statuimus, facimus, fundamus, & eodem nostro ordinamus edicto in perpetuum efficaciter obseruandum, quòd nullus Prioratum ipsum in titulum seu aliter in Commendam valeat impetrare, possidere, ac obtinere, nisi iuxta modum & formam per nos superiùs ordinatos in singulis suis punctis, perpetuis temporibus obseruandam. Etsi secus factum fuerit ac obtentum quouis modo in præiudicium fundationis, ac priuilegiorum ipsorum Ecclesiæ & Conuentûs ex nunc pro tunc dictam Gabellam antiquam & magnam Tractam necnon omnia alia vniuersa & singula supra fundata, & eisdem Ecclesiæ, Priori, Conuentui & Fratribus elargita propter præfatos Illustrissimos progenitores nostros ac impræsentiarum per nos cassamus, irritamus, ac viribus & efficacia penitus vacuamus, & pro non factis, donatis, fundatis & assignatis habemus, & habere volumus per easdem, ita videlicet quòd ipsa Gabella antiqua, magna Tracta, ac iura prædicta ad Nos nostrósque in posterùm successores, & curiam pleno iure in solidum reuertantur, ac si nunquam fundationes & assignationes ipsæ factæ ac institutæ fuissent. Vt propterea vobis Magnificentissimis, Magno Præsidenti, & Magistris Rationalibus nostræ maioris Curiæ Prouinciæ præsentibus & futuris, ex nunc pro tunc iniungimus & expressè mandamus, quatenus casu contingente prædictos & non aliter Gabellam, Tractam ac bona prædicta nostro dominio applicanda recuperetis integraliter & perfectè. Quos quidem Magnum Præsidentem, & Magistros Rationales præsentes & futuros tanquam illos, qui iura nostra habetis, & habere debetis charissima, nostris fundationibus, donationibus & statutis, actionibus & singulis supra & subscriptis clarentibus efficacia & robore earumdem omnium, quas plusquam nostrum proprium reputamus peculium, animæ & corporis nostri salutem respiciens & concernens, necnon Ecclesiæ, Prioris, Conuentúsque Fratrum, bonorum ac priuilegiorum suorum prædictorum, & aliorum quorumcumque concessorum & concedendorum per nos & alios quoscumque, in futurum esse volumus defensores, conseruatores ac etiam protectores: vt eos, & eorum iura prædicta tanquam fiscalia & nostra propria patrimonia, repulsis iniuriis, aggressionibus, & damnificationibus quibuscumque, tueamini diligenter, vt eis pacificè gaudeant & fruantur, iuxta nostræ intentionis propositum supradictum.

17. Et hoc nostrum priuilegium Archiuetis, ac de verbo ad verbum in

in Archiuio nostro faciatis iuxta solitum Archiuari, exceptionibus, ac expectationibus iussionis secundæ,& statutis aliis facientibus in aduersum, quibus, eorum cuilibet, solùm pro nunc specialiter derogamus, non obstantibus quibuscúque. Item vt præmissa omnia vniuersa,& singula perpetuis temporibus inuiolabili obseruatione seruentur, vinculum subiungi volumus subscriptum, videlicet quod modernus Prior,& eo vita functo eius successores in dicto Prioratu postquam electi, acceptati, & confirmati fuerint successiuè modo, & forma superius enarratis, fundatam Collegij inditionem anniuersariam, omniáque vniuersa, & singula ratificantes in solidum, solemni promissione iurabunt penitus adimplere, & per Magistrum ipsius Ordinis ratificari faciant, ac etiam tanquam iuri & rationi consona in fauorem Ecclesiæ prædictæ confirmari in solidum obtinebunt. Item quia fortè de huiusmodi nostro priuilegio oportuerit facere fidem etiam simul & semel in diuersis iudiciis, & locis, & Originale ipsum sine periculo vastationis, ac illius prædictæ Ecclesiæ detrimento ad loca singula ferri non posset; statuendum ducimus, volumus, & iubemus, quod illius transumpto atque transumptis signandis manu publica, & solemniter in aliquo iudicio faciendis fides detur plenaria, prout præsenti Originali nostro, in omni & quocumque iudicio atque parte.

18. Quapropter quia præsidia Principum facienda, maximè venerandis Ecclesiis, sic sunt exhibenda, & obseruanda præstantius, vt exoluatur eis integrè debitum, nec defalsetur in aliqua cuiusuis malignitatis astutia per obiectum, ad hoc igitur institutiones, fundationes, & ordinationes & singulas edidimus supradictas, vt integrali executione sequuta, Domino nostro Altissimo & præfatæ *Gloriosissimæ Magdalenæ* complaceant,ac nostræ dictæ Consorti Serenissimæ ac animarũPrædictorũ successorum nostrorum saluti proficiant, & redundent in decorem ipsius Ecclesiæ ac Conuentus. Executionem igitur omnium præmissorum perpetuò singulis vicibus ardenti faciendam desiderio affectantes, volumus, & nobis vniuersis, & singulis supradictis,& cuilibet vel loca tenentibus vniuersis, scientia, motu, proposito, autoritate, ac deliberatione præmissis, iniungimus earumdem serie,expressis in mandatis, & ad pœnam ducentarum marcharum argenti fini, fisco dictæ curiæ applicandarum,nostræque maledictionis incursum, per quemlibet qui nostris huiusmodi neglexerit obtemperare mandatis, incurrendum quatenus ipsius nostri priuilegij serie diligenter attenta, dum pro ipsorum Ecclesiæ, Prioris, Conuentus & Fratrum parte,requirentium, alter seu vestrum peculiariter requiretur, Priorem, aut rerum & ipsius Ecclesiæ, aut Conuentus Oeconomum, & Procuratorem in possessionem actualem, & corporalemipsarum Gabellæ, Tractæque ac omnium quorumcumque iurium & pertinentiarum prædictarum assignatarum, & præmittitur in dotem, & fundationem præmissorum Collegij, & diuini cultus augmenti immittatis, ponatis, & inducatis, ac immissos ac impositos manu teneatis,tueamini, & defendatis.

19. Et nihilominus omnibus & singulis Collectoribus, Granateriis, Gabellotis, Firmatis, Receptoribus, Commissariis ac supra ipsis Gabellis, & iuribus modo quolibet assignatis, per nostras, aut quascumque alias literas, cuiusque seriei consistant, per nos, vt præmittitur, iam reuocatas, & quibuscumque aliis, onus, administrationem, ac dispositionem quamcumque habentibus super Gabella, Tracta, ac iuribus à pertinentiis ipsis in parte, vel in solidum amotis realiter ab iisdem penitus, & expulsis, quos nos & eorum quemlibet ipsarum serie amouemus, ipsos Ecclesiam, Priorem, Conuentum & Fratres præsentes & futuros, de dictis Gabella, Tracta, iuribus & pertinentiis supradictis ac illorum fructibus, gausitis, prouentibus, & obuentionibus, & quibuslibet emolumentis quomodocumque percipiendis vti, frui, & integraliter ac in solidum faciatis gaudere ex nunc in antea, & perpetuis temporibus in futurum.

20. Et aliàs præmissa omnia vniuersa, & singula per nos, vt præmittitur fundata, decreta, & ordinata supra ipsius nostri priuilegij seriem, & nostræ intentionis intentum, prout vobis, & vestrûm cuilibet pertinet inuiolabiliter obseruantes, æternaliter, & ab aliis pœnarum impositionibus, ac manu iniecta si opus fuerit, facientes efficaeiter obseruari, exequamini diligentia qua conuenit, & executioni debitæ demandetis, quantùm pœnam ipsam, & grauiorem nostro arbitrio reseruatam, præter indignationem nostram cupitis singulis vicibus euitare, quia sic fieri volumus & expressè iubemus. In quorum omnium & singulorum fidem ac testimonium præmissorum, has nostras literas, priuilegium huiusmodi in se continentes, fieri fecimus, & sigilli nostri munimine iussimus appositione communiri. Datum in nostra ciuitate Aquensi, sub nostra propria subscriptione; Die tertia decima mensis Decembris, Anno Incarnationis Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto. Prioribus suæ ac datum & supra.

Visa per Viuandum Bonifacium Iud icem Maiorem.

CAPVT XXXI.

Ædes Sanmaximinensis Apostolicis literis stabilitur, simul & reditibus augetur.

1. GREGORIVS XI. Gallus, sanctimonia pariter & doctrina inclytus, vt erat Sanmaximinensi Magdalenæ eximiè deditus, eius cultum omni ope fouere atque augere statuit. Nam inter plura luculenta sanè ac frugifera prædia, quæ haud procul Sanmaximini oppido distant, Cœnobiarchicum vectigal, de Cæsoliis dictum, Magdalenæ donauit, dicauitque, cuius donationis caput in Tablino Conuentus Sanmaximinensis asseruatum

asseruatum legere licet, vt inde appareat quàm singularis erga Magdalenam nostram Pontificis optimi pietas extiterit. Suspensum est è templi pariete, notum signum, imago huius sanctissimi Pontificis ab latere Pronai dextro ad memoriam posteritati traditam beneficiorum ab eo susceptorum, ac singularis eruditionis atque doctrinæ, cui tantam morum maiestatem, pietatem & humanitatem adiunxit, vt ab omnibus dilectus, Summo Sacerdotio dignus, continuò haberetur. Et in Ecclesiæ generalibus Comitiis, vniuersim à Cardinalibus, nemine excepto, Pontifex Maximus Romanus creatus est.

2. Sixtvs eo nomine IV. anno 1481. Rege Renato intercedente, Cœnobiarchica prædia huic Conuentui ex nouo adiiciendi potestatem facit, vel vt hi reditus addicerentur Collegio, vel vt celeberrimum illud templum cuius posuerat Carolus fundamenta, quódque adhuc sui ad integritatem, ducatorum triginta millia vel ipso Pontifice in Bulla authore, desiderabat, absolueretur.

3. Benedictvs Pseudopontifex XIII. concedit ducentos florenos de legatis piis applicari reparationibus Ecclesiæ Sancti Maximini, in Diplomate cui subscripsisse Legitur Auenione 6. Nonas Maij, Pontificatus prætensi an. :.

4. Nec opibus magis ac reditibus Magdalenæ sacram Domum Pontifices, quàm Apostolicis literis & immunitatibus ac priuilegiis, auctam esse voluerunt.

5. Martinvs V. Ædem Sanmaximinensem vnà cum ministris cæterisque rebus ad eam pertinentibus ab Episcoporum iurisdictione exemptam, in suam sedisque Apostolicæ, & Apostolorum Petri & Pauli tutelam recepit, suúmque erga Magdalenam egregium studium, pietatémque testatam reliquit his verbis. *Martinus Episcopus Seruus Seruorum Dei &c. Nos igitur huiusmodi periculis quantùm cum Deo possumus fauorabiliter obuiare præmissorum intuitu, necnon consideratione charissimi in Christo filij nostri Ludouici Regnorum prædictorum Regis, dicti Prioratus Patroni, eiusdem Regis ac Prioris & Conuentus prædictorum supplicationibus inclinati, Priori præfato, ac eius successoribus, vt ipsi per se, vel alium, vel alios, quoties fuerit opportunum, & eis expedire videbitur, omnes & singulos habitatores dicti loci de S. Maximino, Ecclesiæ Romanæ immediatè subiecto, vt præfertur, aduenientes quod ipsi diebus Dominicis & festiuis audienda diuina, in dicta Ecclesia, quandiu ibidem moram traxerint, necnon ad Communicandum, & confitendum, semel saltem in anno, & alia faciendum, quæ animarum salutem respicere dignoscuntur, & alia Ecclesiastica Sacramenta ab ipsis vel ad hoc deputatis, seu deputandis, inibi ab eis recipiendum, vt iuris & laudabilis consuetudinis fuerit, conuocari & moneri, ipsósque si forsan contradicentes, renitentes & rebelles extiterint, per censuram Ecclesiasticam & alia iuris remedia, ad præmissos, in casibus tamen, in quibus verè Diœcesani suos subditos in hoc compellere possunt, autoritate Apostolica compellant, astringant, coerceant, seu constringi, coerceri & compelli etiam per se vel alium vel alios faciant auctoritate prædicta, tenore*

præsentium indulgemus: Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, nonobstantibus si secus super his à quocunque, quauis autoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo hominum liceat &c. Datum Romæ apud S. Petrum 6. Nonas Martij, Pontificatus nostri an. 2. Christi an. 1418.

6. BONIFACIVS VIII. eandem facultatem extendit ad Conuentum loci sanctæ Balmæ, Diœcesis Massiliensis, datis literis ad Carolum Regem Siciliæ quibus, Ecclesiam ipsam S. Magdalenæ, apud S. Maximinum & aliam, quæ vocatur S. Balma (quæ 1. ad Monasterium S. Victoris Massiliensis Ordinis S. Benedicti immediatè spectabant) IN QVA EST CORPVS DICTÆ S. MARIÆ MAGDALENÆ RECONDITVM, cum omnibus domibus & officinis, Religiosis sancti Dominici confert, & eundem Conuentum in ius ac proprietatem & protectionem Beatorum Petri & Pauli, & Apostolicæ Sedis recipit, & ipsum ab omni iurisdictione ac Dominio dicti Monasterij Massiliensis eximit &c.

7. Prodituretiam alia Bulla EVGENII IV. non omittenda. Die quinta Idus Martij, Pontificatus anno 1. Christi 1432. eiusdem omnino tenoris vt præcedens, vbi locus S. Maximini nullius Diœcesis dicitur, & immediatè Romanæ Ecclesiæ subiectus. Insuper hæc addita sunt.

Nos præterea qui quorumlibet Religiosorum locorum commodum, & vtilitatem, & personarum in illis sub suaui contemplationis iugo Altissimo famulantium pacem, & quietem sinceris desideriis exoptamus, Priorem & Fratres præfatos eorúmque singulos, quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque censuris Ecclesiasticis & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione, vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati singulas literas prædictas approbamus, innouamus, & de nouo concedimus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinuisse, & obtinere decernimus. Et quia aliquando contingit Ecclesiam, & Cœmeterium dictæ Domus per effusionem sanguinis, vel seminis violari: Priori pro tempore existenti præfato, quod Ecclesiam & Cœmeterium huiusmodi quoties opportunum fuerit, aqua prius per aliquem Catholicum Antistitem, vt moris est benedicta, reconciliare, ac mappas, vestes & alia ornamenta, ac paramenta Ecclesiastica, ad diuinum cultum necessaria, & deputata, in Ecclesia dicta Domus benedicere, ac quoscumque Episcopos Catholicos ibidem transeuntes rogare, requirere, & inuitare, vt omnes etiam sacros ordines Religiosis dicti Prioratus ac aliis Clericis, & Scholaribus, eidem subditis Prioratui, conferant, Prior quoque & fratres præfati, Chrisma & Oleum sanctum, à quibuscumque Catholicis Episcopis, illa ipsis sponte concedere volentibus, recipere; Fratres etiam & Clerici & Scholares prædicti à quibuscumque maluerint Catholicis Antistitibus, ad omnes etiam sacros Ordines statutis à iure temporibus, se promouere facere, ac eisdem Antistitibus, vt illos ad huiusmodi Ordines promouere liberè & licitè valeant, dicta autoritate, de speciali dono gratiæ, indulgemus. Non obstantibus &c.

7. EVGENIO IV. NICOLAVS V. subrogatus, Religione pariter & studio erga Magdalenam clarus. Is quippe anno Pontificatus sui decimo quarto, Christi 1450. tertio Ianuarij, siue Eugenij exemplo, siue Renati Regis Siciliæ postulato interposito, non solùm confirmauit omnia priuilegia, à suis prædecessoribus, huic sanctæ Domui Sanmaximinensi concessa sed etiam nouis, Regiarum decumarum aut vectigalium immunitatibus adauxit. Diplomatis caput, in quo perhonorifica fit mentio huius sanctæ Domus, libet apponere. Id est tale. *Omnem libertatem & immunitatem à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia, vel alias indulgentias, vobis, & Domui vestræ prædicta concessas; necnon libertatem & exemptionem sæcularium exactionum, à Regibus, & principibus vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis & Domui vestræ præfatæ, indultas, sicut eas iusto & pacifico possidetis valore, & per vos eidem Domui vestræ, autoritate Apostolica confirmamus & præsenti scripti patrocinio communimus. Nulli ergo liceat, &c.*

9. IVLIVS II. alia multa beneficia, quæ longo explicata Diplomate operæ pretium non est recensere, superioribus adiecit & est diploma, ad reformationem Conuentus S. Maximini, datum Romæ ad instantiam Ludouici XII. Regis Francorum Christianissimi apud sanctum Petrum die 11. mensis Iulij, an. 1504. Pontificatus an. 1.

10. Exin LEO X. cunctas Iulij secundi, superiorúmque Pontificum Indulgentias, immunitates, Beneficia, Conuentui S. Maximini immediatè Ecclesiæ Romanæ subiecto, tributa, luculento diplomate rata esse iussit, ac deinceps aliis super alia diplomatis cumulauit. In priori scriptionis consignata dies est, nona Calendas Iulij, anno Christi 1515. Pontificatus anno 7. Ex alio, idem eiusdem tenoris, Romæ anno Domini 1521. pridie Idus Octobris, Pontificatus anno 9. super expositione facta à Priore & Conuentu, de furto quodam facto in præiudicium Domus, hæc habentur. *Quocirca discretioni vestræ, per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnes huiusmodi præmisso rum occasione damnorum, illatores, auxiliique consilij & fauoris præstitores, ac prædictorum bonorum detentores occultos, ex parte nostra, publice in Ecclesia coram populo, per Vos vel alios moneatis, vt intra terminum, quem eis præfixeritis, debita restituant, ac reuelent. Ac de illis, & damnis præmissis plenam & debitam satisfactionem impendant, & si id non adimpleuerint, intra alium competentem terminum, quem eis ad hoc dixeritis, peremptoriè præfigendum, ex tunc, in eos generalem excommunicationis sententiam proferatis, & eam faciatis, vbi quando expedire videritis, eósque ad satisfactionem condignam & solemniter publicari.*

11. Alia habentur indulta PAVLI III. anno 1548. octauo Idus Septembris, Pontificatus an. 14. Iulij 3. an. 1550.

MARCELLI II. qui viginti vel duobus & viginti diebus duntaxat Pontificatum gessit. Anno 1555.

PAVLI IV. anno 1556. 4. Calendas Maij.

PII IV. anno 1560.

PII I

PII V. Ordinis Fratrum Prædicatorum anno 1565.

GREGORII XIII. Datum Tusculi anno 1575. Idibus Maij, Pontificatus an. 3. ad Officialem Aquensem.

CAPVT XXXII.

Ludouici XIII. Regis Christianißimi, aliorúmque Principum & virorum illustrium dona.

1. INnumerabilia Caroli II. Regis Siciliæ, in Conuentum S. Maximini beneficia, quæ extant, votiua fuisse dona, causa duplici titulo inscripta declarat. Alter est in maioris portæ supercilio, Romanis characteribus incisus.

CAROLVS ASTRIFERO NOBIS DEMISSVS OLYMPO
FLORIGER EREXIT TECTA TONANTIS OPE. Anno 1279.

Alter, in argentea lamina, ex aurea theca Magdalenæ reliquiarum, suspensa.

Carne prius lubrica, post hac ploranda pudica.
Hospita mirifica, Christi specialis amica,
Transita post Maria venit bonitate Maria,
Bis sexcenteno iunctis tribus octuageno.
Princeps Salerne, bonitatis amore superna
Hanc auro decorat, quam sacra corona decorat,
Ergo patrona pia, tu semper adesto Maria:
Da huic viuenti, & Paradisum da morienti.

2. Nec contemnendus, ad cætera, quasi cumulus accessit, hæc eius testamenti clausula, qua Magdalenæ memoriæ non paucorum dierum gratulationem, sed æternitatem immortalitatémque donare dicaréque voluisse videtur. *Exinde legauit siue reliquit iam dictus Dominus Rex noster testator, venerabili Conuentui Fratrum Prædicatorum, & deuota Ecclesia Beata Maria Magdalena, villa S. Maximini amore Dei & ad honorem eiusdem gloriosa Sancta, omnes & quoscumque libros suos, exceptis duntaxat libris Medicina, quos legauit siue reliquit egregio viro Magistro Petro Morelli, Serenissimi Regis Consiliario, tanquam sibi dilecto, & de ipso optimè merito. Item pariter legauit siue reliquit, dictus Dominus noster Rex testator, dicto venerabili Conuentui eorumdem Fratrum Prædicatorum, villa S. Maximini, sex mille libras Turonenses, ipsi eidem Conuentui, per hæredem suum infra scriptum ad opus fabrica ipsius Ecclesia, semel tantùm exoluendas.*

3. Haud minore animo, Rex Siciliæ ac Ierusalem ROBERTVS, eiusdem cum patre Carolo II. pietatis ac Religionis opera aggressus, quàm quanta mole, simultatibus & lite contendebat, aduersus nepotem suum Carolum

Carolum Humbertum, Caroli Martelli, Caroli II. primogeniti Filium, hic enim iure primogeniti se in successionem Regni, potiorem sperabat, cùm Roberto prædecessisset Carolus Martellus, & eo tempore quo deferebatur Patris Caroli II. successio, priorem se gradu, & potiorem affirmabat. Longa contentio & obscura, quam CLEMENS V. Pontifex Maximus in cuius arbitrium patruus & nepos consenserant, pro patruo definiuit, iudicium sequutus Baldi Perusini, summi illo tempore Iurisconsulti. Conuentum igitur Sanmaximinensem à Carolo patre inchoatum non extruere solùm, sed etiam sanctissimis legibus permunire parat. Habet multas cautiones, & in iis sigillatim, interdicit Religiosis Regij Conuentus Beatæ Mariæ Magdalenæ, *vt nullos recipiant nouitios, quin sint bonæ vitæ & vt vita semper regularis vigeat studiosè diligentérque, curarent.* Idque Regiis literis datis Aquis Sextiis, anno Domini 1371. in quibus hæc leguntur verba. *Quo feruentius ad Beatam Mariam Magdalenam & alios Sanctos, quorum reliquiæ ibidem requiescunt, nostræ deuotionis prouocetur spiritus, ac tota spes in ipsorum Beatæ & Sanctorum suffragiis conquiescat.* Aliæ datæ sunt eiusdem argumenti patentes literæ cum eadem clausula, ab eodem Roberto, filio Caroli II. Auenione anno Domini 1321. die sexta Aprilis. Item mandat Ærariis ac Regiæ pecuniæ præfectis, B. Mariæ Magdalenæ, loco sancti Maximini, cuius pater Illustris Carolus II. extitit fundator, ducentas libras numerare ad perfectionem Ecclesiæ & Conuentus per spatium decem annorum tantùm, idque Regiis literis, datis Neapoli anno Domini 1315. Octauo Maij Regnorum suorum anno 17. in quibus literis ista reperiuntur. *Pridem agentes in Prouincia partibus ac in nostræ mentis examine penitius reuoluentes, quòd in Ecclesia B. Maximini, paterna dispositione fundata, corpus gloriosissimæ Magdalenæ seruatur, paterna vestigia sequi cupientes, prouidimus quod pro perfectione operis &c.* Per literas etiam Regias datas Neapoli anno Domini 1337. permittit celebrari generale Capitulum in Conuentu S. M. Magdalenæ, loci S. Maximini: Prouinciale verò non sine sua speciali licentia.

4. Robertus Carolum vnicum filium suscepit, vulgò *Sine terra* dictum. Sed & ex Maria Valesia coniuge, Ioannam primogenitam & Mariam. Carolus Filius Patri prædecessit. Robertus Ioannam testamento fecit hæredem, quam iussit nubere Andreæ Filio Humberti nepotis Caroli Martelli, Regis Pannoniæ. Moritur Robertus, anno 1344. & per annos 35. Regnum produxit, sepultus Neapoli cum hoc Elogio.

Aspice Robertum nulla virtute refertum.

5. Ioanna patri successit anno 1344. vel vt aliis placuit 1340. quater nuptias contraxit. 1. cum Andrea nepote Martelli, ex patris Roberti testamento, quem Neapoli laqueo dicitur interemisse. Tum nupsit Ludouico Tarentinorum Principi consobrino, cui Regium nomen communicauit. In eámque causam Pontifici Maximo Clementi VI. & Romanæ Ecclesiæ, Auenionem ciuitatem cum territorio, omni iure & iurisdictione, octog inta millibus Florenorum auri, Florentiæ vendidit anno 1348.

D d Die

Die Nonis Iunij, vt illa venditione pellectus Pontifex, nomine Regio Ludouicum maritum cohonestaret. Sed postea morte Ludouici, soluto matrimonio, tertiò nupsit Iacobo Aragonio Maioricarum hæredi, eximiæ pulchritudinis viro. Sed nec is diu superstes, post cuius mortem Otthoni Brunzineo, ex Saxonum antiquissima nupsit familia. Extat igitur Regis Ludouici & Reginæ Ioannæ Ierusalem & Siciliæ diploma, quo indicitur Senescallis & Officialibus Prouinciæ existentibus, præsentibus & futuris, diligenter pensionem & legata, Conuentui S. Maximini à Regibus suis prædecessoribus, dari eo iure, quo quibus, optimo. Idque per Regias literas Datas Neapoli anno Domini 1351. Octauo Maij, Regnorum Regis anno 3. & Reginæ anno 5. Ludouicum autem illum fuisse Principem Tarentinorum, siue alterum Ioannæ maritum, satis perspicuè colligitur, ex annis Regnorum vtriusque, cùm enim ab initio Imperio anno 4. de Auenionis venditione inter ipsam Ioannam & Clementem, pacto conuenerit, & Ludouicus Tarentinorum Princeps tres minimum annos vt in diplomate constat, regnauerit cum Ioanna, mihi de hoc inde affirmare certius est, quàm de alio.

6. Sunt qui scribant Ludouicum II. Ierusalem & Siciliæ Regem ac Comitem Prouinciæ vota Beatæ Magdalenæ nuncupasse, pio, iustóque bello, subditos suos rebelles, ac Tyrannos persequi molientem. Certè id & belli euentus, & Regis maximè pij, ob partam victoriam doua testantur: de quibus in sua breui historia de Prouinciæ Comitibus Franciscus de Claperiis: in hæc verba. Ludouicus II. impubes regnare cœpit, anno 1384. sed Mariæ Reginæ Matris & tutricis nutu, omnia gerebantur, & penes eam totus vertebatur cardo administrationis. Regnum ab initio, suámque Neapolim inuenit à Duratio occupatam, & Prouinciam in varias factiones distractam & diuisam, æmulationes, bellísque pressam ciuilibus, solis Arelatensibus & Massiliensibus, Principis partes defendentibus, sed has omnino factiones ciuium, breui tempore Regina Mater composuit, Prouinciámque in pacato collocauit, consilio Georgij Marliensis viri clarissimi, magni Senescalli: Nam factionem illam Aquensem, ad sui Principis obedientiam reduxit, & vt animos degeneres incitaret, & discordes ad pacem exciperet, oppidis, quas vellent immunitates & priuilegia, quasi vltrò concessit. Pacis capitula, vt vocant, cum Aquensibus pacta sunt anno 1387. Quæ Ludouicus, maior factus, rata habuit, & quæcumque Maria Mater, & custos gesserat. Atque iis artibus cœpit quiescere Prouincia. Sed vix, vt in tranquillo Oceano constituta malatia, ecce iam noui diffidij principium, & graue &, intestinum bellum suboritur, anno 1389. Raymondi Rogerij Thurenij, Qui vt erat vir seditiosus, Ludouici Regis aliàs Beneficiarius, & Vectigalis Gregorij XI. Pontificis Maximi, & Clementi VII. Pseudopontifici Maximo cognatione proximus, per eamdemque nobilissimis familiis coniunctus nouos motus concitat, propter adoptatum à Guillelmo Patre, & Comite Bellofortis, in eóque Comitatu institutum hæredem Ludouicum I. huius Ludouici patrem, cui ea propter

pter Raymondus & Helionora mater inuidebant, omnibus exulibus Italiæ, & perditissimis vndique conuocatis hominibus, non hostili, sed prædonum modo, castra, oppida, vrbesque inuadunt, passim rura populantes, & oppidanos miserè cruciantes; furtis, rapinis, stupris, incendiis, omnia fœdant. Ædes sacras, fana, & Monasteria quamplurima demoliuntur, ferro, sanguine, cæde omnia miscent & ea quorum mœnibus non fidebant oppida, miserabili vastant incendio. Denique nullum atrox & immane facinus, vel quod natura ipsa abhorreat, quod ab iis non tentatum, non & expertum, non patratum sit. Huic nonnulli ex proceribus, & inter cæteros Clemens Pseudopontifex aderant; & factionibus illius fauebant. Quamobrem & calamitas hæc in nouemdecim annos miserè producta est. Nec priùs à tantis cladibus cessatum, quàm Raymondus à Ludouico, bello pulsus dum fuga salutem quærit, Rhodanum ad Tarasconem traiicit, & in flumen armatus decidit: anno 1399. nusqum posthac visus, cuius mors Prouinciæ incolis pacem attulit.

Inde Ludouicus, vt gratus etiam, non tantùm pius in Magdalenam foret, Sanmaximinensem Basilicam decorare impensiùs cœpit, ac patentes literas dedit, in quibus eadem pietatis verba leguntur, erga sanctam Mariam Magdalenam & alios Sanctos, quorum reliquiæ apud S. Maximinum seruantur, quæ in antecessorum suorum literis superioribus allatæ sunt.

7. Renati Regis item Ierusalem, & Siciliæ egregia studia, erga Beatam Magdalenam Priori capite 30. commemorauimus, cuius extat in Hyperthyro maioris portæ, Ecclesiæ Sanmaximinensis hoc elogium incisum.

Andegauis pastor nostris Renatus in oris
Hoc simul inceptum continuauit opus. *Anno* 1480.

8. Quo exemplo rebus humanis, Carolus ex fratre Carolo nepos, ipsius patrui testamento successit, anno 1480. Princeps bonus sed breui adeò vt vix 18. menses excesserit. Testamento condito, anno 1481. die 10. Decembris Ludouicum XI. Gallorum Regem hæredem instituit & post mortem eius Carolum filium, & omnes Regni Galliæ successores. Defunctus est eodem mense, Massiliæ, cuius corpus Aquas Sextias delatum in D. Saluatoris æde sacra, honorificè sepelitur.

9. LVDOVICVS ergo XI. Rex Christianissimus, haud regno magis quàm prædecessorum suorum Comitum Prouinciæ instituto successor, nihil in huius administratione potius habuit quàm vt in Magdalenæ Sanmaximinensi æde conseruanda nemini cederet.

10. Ac procedente deinceps tempore Reges Gallorum maxima erga Magdalenam religione, ac liberalitate vsi fuerunt. Ludouicus XII. cùm laxata paulatim Collegij Sanmaximinensis disciplina videretur, per literas egit, apud IVLIVM II. Summum Pontificem, vt de instaurandis tantæ gloriæ reliquiis ac renouandis, decreto aliquo statueret, cuius decreti illa est insignis sanè & honorifica clausula, quam indicauimus

atque innuimus capite proximo superiori.

11. Franciscus I. ædis item istius celebritatem, & præclaris adornauit operibus & sua præsentia cohonestauit, cùm à Cisalpina expeditione in Galliam rediret; extat hodie in Ecclesiæ Hypogæo & sacro Sacello Reliquiarum, tabula his incisa literis; haud obscurum magnifici ac Regij huius aduentus monumentum.

Rex super illustris Franciscus Francus in ædes.
Venit, cum duabus principibúsque sacras.
Claudia, nobilium hic magna stipante caterua.
Cum genitrice, viri cumque sorore fuit.
Hoc fuit Italici post martia bella triumphi
Cùm Rex Franciscus debita vela daret.
Cúmque fuit præsens in sancta Magdalis æde
Est Rex largitus munera magna potens. *Anno* 1516.

Et in decumani ostij limine summo, hæc Epigraphe legitur eiusdem Regis Christianissimi munificentiæ indicium.

Franciscus sublime decus, radiantia pergit
Templa quidem, cuius nomen ad astra volat. *Anno* 1515.

12. Ludouicus XIII. qui modò clauum tanti Imperij tenet, & gubernacula reip. tractat fœlicissimè, vt ædis Sanmaximinensis religionem præclaris maiorum suorum operibus fundatam, sua æquè præsentia cohonestaret, rarus ab se principibus viris prodendum exemplum, non solùm ornandi Lipsanothecam Magdalenæ, sed etiam celebrandi: cùm rebelles hæreticos bello persequeretur, & montem Pessulanum obsidione cingeret, in Prouinciam digressus, templum D. Magdalenæ inuisit. Annus huius sæculi XXII. tam fausto & fortunato aduentu insignis perhibetur. Et extat in templo celebre eius rei monumentum, nam mille aureos nummos, fenestrarum claustris ex vitro reficiendis addixit. (Visitur in his egregiè facta & insignibus coloribus picta eius imago) & si quando tandem tranquillitatis & pacis optatæ potiatur, vltimam, vt sperare licet, vniuerso operi manum imponet.

13. Ab aliis Principibus viris ac fœminis donorum magna vis fuit. Ab Anna Britanniæ Francicæ Ducissa quæ cum Carolo VIII. Rege Christianissimo primis nuptiis, atque alteris deinceps cum Ludouico XII. coniugium iniit, thecæ reliquiarum Magdalenæ, solido ex auro egregiè factæ stylobata & basis, atque expressæ hinc inde quatuor Angelorum, sacrum Magdalenæ caput quasi cingentium & extollentium imagines, ex argento, eximiè cælatæ pulchréque auro interlitæ. Hæc enim Galliam obiens venit Sanmaximinum, vbi cùm immortalem hausisset ex reliquiarum veneratione lætitiam, & præclara quæ diximus B. Mariæ munera attulit, & effigiem suam supplicis in modum, solido ex auro cælatam adiici voluit, perpetuum religionis ac munificentiæ suæ argumentum.

14. Ab Isabella Estensi Mantuani tunc Marchionis vxore suum simulachrum.

lachrum & alia ornamenta, ex argento expressa, quæ votiuum fuisse donum causa Tabulæ inscripta declarat.

Salue præsidium meum
Magdalena tuo grata Theandropo.
Quare perpetuum tibi
Debetur, tacita laude silentium
Cui Ferraria patria,
Estensis, genitor cui inclytus Hercules,
Mater sanguine Aragonum,
Qua cum Gonziaco coniuge, Mantuam
Princeps imperio regit,
Isabella, Italis gloria plurima
Hic tua dum voto supplex vestigia adorat
Orabat Marius talibus Equicolus. An. 1517.

Sub digressum misit præterea cum donis Regalis opulentiæ, altarium, Sacerdotis, Ministrorum solemni ritu operantium vestes, auro argentóque, mirabili opere artificióque contextas.

15. A Sancto Ludouico Ordinis Fratrum Minorum Tolosano Episcopo Sacerdoris item ac Ministrorum solemni ceremonia sacris operantium amictus ex holoserico magnificis operibus picto.

16. A Renato Principe Sabaudiæ pecuniarum vim claustris fenestrarum ex vitro conficiendis, cuius beneficentiæ, hoc etiamnum extat, inscriptione perenni, monumentum.

Quippe Renatus ouans clara de stirpe Sabaudus
Has ædes vitreas nunc rutilanter agit. An. 1519.

17. Gerardus III. Comes Rossillonæus, Gerardi II. filius, vir pietate imprimis & prudentia ac rerum vsu inter cæteros eminens, pro sua in Magdalenam singulari pietate Domus Sanmaximinensis accessionem aliquam moliri instituit: inde opus cœptum strenuè ædificare cœpit. Nouam Templi Sanmaximinensis partem à Gerardo III. Comite Rossillonæo extructam esse, facit Nostradamus, in suis de Laudibus Prouinciæ Commentariis.

18. Renatus Luxemburgius Dux Mercurij, nouo doni genere ædem Sanmaximinensem honestauit, hic enim erga Magdalenæ Reliquiarum venerationem, singulari quodam studio, sanus & valens, ædem ipsam inuisit. Vbi solemnibus expiatus mysteriis non paucas horas, supplex, ante Magdalenam iteratis absumpsit precibus. Neque his contentus ira discessit, vt paucis post diebus, in vicina Comitis Carcensis Dynastia, magno & iam desperato morbo correptus, fixum habuerit, Ædem Sanmaximinensem aliquo dono colere perpetuo. Huic ergo quinquaginta libras in annuos reditus, testamento legauit, & in Templo Sanmaximinensi, haud procul ara maiori, sedem sepulchro suo delegit. Igitur vita functus, Sanmaximinum defertur. Ibi funus maximo apparatu factum, & absoluto sepulchro, corpus illatum.

19. De Vuillermo Geraudo filio Hugonis Marchionis Italiæ, meminit Alphonsus Delbene Tractatu de Regno Burgundiæ Transiuranæ & Arelatis libro 3. Iustis Contadi more regio ritè & magnificè peractis, ne quid temerè & inconsultò agere viderentur, omnes vtriusque regni Proceres ad consilium conuocant. Ex sententia omnium statuitur, vt Rodulphus Regnum Burgundiæ Transiuranæ, Boso verò Arelatis acciperet: sic iudicio familiæ herciscundæ vnumquodque Regnum, suum Regem habuit. Eo ipso Conuentu ambo Reges, omnes præfectos regios à patre constitutos confirmant. Boso autem Vuillermum Geraudum filium Hugonis Marchionis Italiæ, Præfectum totius regni Arelatis declarat: quod testatur vetus monumentum Altæcombæ, in quo sic scriptum est. *Geraudus non fuit Comes, sed Officialis Regum, primò quidem Bosonis deinde Rodulphi, quibus defunctis cessauit Regnum Arelatense & Viennense.* Cuius monimenti extrema verba satis demonstrant id de Bosone & Rodulpho filiis Conradi intelligendum esse, quorum morte regnum Burgundiæ Transiuranæ, quod vocant Viennæ, & Arelatis finem habuit. Tum infrà quod propius ad rem nostram spectat. His peractis, inquit, Vuillermus dimisso exercitu Arelatem proficiscitur: hinc cùm Rex abesset, is enim erat Massiliæ, in itinere antrum, in quo D. Magdalena pœnitentiam egit & animum efflauit, vt fert eius historia, visere statuit, ibique summas Deo gratias agere ob res prosperè gestas. Eò cùm venisset suas Deo fudit preces, summásque gratias agit ob patriam à prædonibus liberatam. Dicebat enim Deum plerumque insignes calamitates mortalibus inferre propter eorum peccata, vt conflictati resipiscant. Precibus peractis Massiliam contendit: huc cùm venisset summa gratulatione à Rege est acceptus, atque maxima lætitia tota vrbs effusa est. Hactenus Delbene.

20. Plurimis verò non pecuniis solùm sed etiam muneribus aliis, à viris aliis insignibus auctam Magdalenæ Domum Sanmaximinensem reperio. Quod tamen, me iam longius prouectum videam, attingo potius quàm persequor. Argenteos calices patinásque, illusos auro, & antiquo opere cœlatos. Vasa & Candelabra, eiusdem materiæ atque operis. Aræ ornatus (frontalia vocamus) ex holoserico villoso tum ex argento textili perelegantibus sericis floribus distincto; Vrceolos, cum Pollubris, Cruces cum Christi effigie, vascula lustralis aquæ, cum suis aspergillis, Thuribula, pyxides, paciferásque imagines: omnia ferè ex argento, mirabili elegantia artificióque perfecta. Annulos aureos, eximiis adamantibus, aliisue lapillis insignes, torques eiusdem materiæ, Magdalenæ iacentis effigies, ex ligno expressas, & auro interlitas. Amicula Magdalenæ argento sericóque sutilia, tabellas virorum, mulierum, infantium, naturali statura, in morem supplicantium; Sacerdotis, ministrorúmque, solemni ritu operantium, vestes. Aræ Thoralia, & materia & opere maximè insignia, peristromata, sacrorum calicum velamenta, & generis eiusdem alia, quæ inter dona Regalis opulentiæ ad cumulum accesserunt.

Lichni

21. Lichni etiam argentei complures dono missi, artificio & pondere præclari, sed qui eminent inter omnes, pluribus imaginibus sigillatis conspicui, lucent ante Magdalenæ reliquias, virorum illustrium votiua munera. Et quod ait Vigilantius apud Hieronymum: *Videmus moles cereorum sole fulgente accendi.* Nam quod lumen, sit Religiosi honoris signum, nec superstitiosum videri debeat, ante rem inanimam lumen accendere; ne quid in hoc ritu forte causentur Antidicomagdalenitæ, quod olim aduersus Magdalenam causatum esse Iudam proditorem, scribit idem Hieronymus. *Causabantur*, inquit, *Apostoli quod periret vnguentum; sed Domini voce correpti sunt. Neque enim Christus egebat vnguento, nec Martyres lumine cereorum; & tamen illa mulier, in honore Christi fecit, deuotióque mentis eius recipitur, & quicunque accendunt cereos secundùm fidem suam habent mercedem.* Et de Constantino, habetur primo tomo Conciliorum, in vita S. Syluestri inter alia dona, quæ obtulit sacris reliquiis Petri, Pauli, Laurentij, Sanctæ Crucis, multa fuisse Candelabra, multas lucernas, quæ perpetuò ardere deberent. Præterea Theodoretus testatur in translatione reliquiarum sancti Chrysostomi plurima accensa lumina prælata fuisse. Gregorius meminit lampadis, quæ ardebat etiam noctu, dormientibus omnibus in templo sancti Petri.

Hier. lib. in Vigilantium.

Theod. lib. 4. hist. c. 16.
Greg. lib. 3. Dialog. c. 24.

22. Denique non Prouincialium & Gallorum propria hæc laus & religio, erga Magdalenam: sed communi, Cisalpinis, transmarinísque. Nam, & à Sinarum gentibus, ab Europa nostra longissimè remotis, votiua dona sunt missa in Templum Sanmaximinensis Magdalenæ. Neque vllum omnino tempus anni, nullus mensis, dies vix vllus abit, quin Magdalenæ sacra ædes à pluribus aduenis celebretur. Duo tamen sunt anni tempora, populorum gentiúmque omnium frequentia & celebritate præcipua. Ver, & Æstas, quorum alteri dies Parasceues, exeunte ieiunio quadragenario, quo in sacra pyxide Christi sanguis, non sine miraculo ebullire dicitur; alteri Natalis sanctæ Mariæ Magdalenæ 11. Calendas Augusti celebritatis initium facit.

CAPVT XXXIII.

Sententia Græcorum, de Magdalenæ reliquiis è Cypro, aut Epheso, Constantinopolim transuectis Apocrypha & falsa.

1. Græcos aliam à nostra, hoc est à sorore Lazari & Marthæ, Magdalenam sibi vendicare iam supra demonstrauimus. Sed plura non desunt, quæ in gratiam Criticorum proferenda esse duximus, quibus tam facilè

facilè veram in hoc capite sententiam inuenire possimus, quàm falsam conuincere.

2. Nomine reliquiarum non solùm intelligi ossa & vestes, sed etiam loca vbi sancti passi sunt, vel vbi habitauerunt, aut aliquid præclari gesserunt docet Bellarminus. Et hoc modo, inquit, extructæ fuerunt Cypriano duæ Basilicæ, vna vbi passus erat, altera vbi iacebat corpus eius. Similiter hoc modo extructæ sunt multæ Ecclesiæ B. Mariæ vel Angelis in locis vbi apparuerunt, vel miracula aliqua ostenderunt. Addit etiam posse erigi Basilicas ad Sanctorum memoriam conseruandam per imaginem, vel per ipsum solum nomen. Nimirum potest erigi Basilica S. Petri vt qui ingrediuntur, admoniti imagine ibi depicta, vel ipso templi nomine, recordentur S. Petri, cúmque in eo loco tanquam patronum colant & deprecentur. Neque hoc est contra Concilium Carthaginense V. Canon, 14. quod statuit vt nulla memoria acceptetur, nisi ibi sint reliquiæ eiusdem Sancti, vel constet ibi eum esse passum, aut habitasse; nam Concilium non vult prohibere simpliciter ne extruatur Basilica sine reliquiis eiusdem Sancti cui Basilica dicatur: sed vult vt non habeatur pro tali memoria Martyris, in qua credantur esse eius reliquiæ, nisi fidelissima historia constet, ita rem se habere.

Bell. to. 1. lib. 4. de cultu ss. c. 4.

3. De Reliquiis Magdalenæ huius posterioris generis, quæ ipso Magdalenæ domicilio Ephesino dedicatæ, religionem habuerunt: Græcos loquutos fuisse, probabilis ratio reddi potest, ex iis quæ supra de hoc argumento docuimus & commonefecimus. Similiter domum eius Hierosolymitanam, in Ecclesiam consecratam fuisse reperio apud Hegesipum autore Philippo Bergomensi in libro *De Claris mulieribus*, & Chronicorum libro octauo. Si autem hoc quod accidit aduersariis, interpretari velis, de reliquiis prioris generis sic habeto, imprimis videri hoc pronuntiatum, ab Ecclesiæ autoritate planè alienum, & Apocryphum.

Bergom. lib. de Claris mulier. c. 17.

4. Meminisse hîc oportet quæ in Gelasij Papæ responso, de Canonicis libris & Apocryphis obseruant Couarruuias, & alij Canonici Doctores. Scriptura, inquit, seu libri de rebus Ecclesiasticis tractantes, in tria genera distinguuntur. Primi enim generis libri sunt, qui Canonici censentur. Secundi generis sunt, Agiographi, tertij verò Apocryphi. Canonici libri dicuntur, omnes scripturæ, quas recipit Ecclesia, vt publicè legantur, in ædificationem fidelium, & ex quibus sumatur efficax argumentum, ad probandum ea quæ fidei sunt, & ad fidem pertinent, quibúsque vti debemus ad hæreses, earúmque autores confutandos. Has verò Canonicas appellamus, non alia ratione, quàm quod fuerint hæ scripturæ, ab Ecclesia probatæ, & in canonem diuinarum Scripturarum receptæ, siquidem Ecclesia, regula est firmissima & certissima ad discernendum ac diiudicandum, quæ sit scriptura canonica, autore Augustino libr. contra Epistolam Manichæi, quæ dicitur fundamenti. *Ego verò*, inquit, *Euangelio non crederem nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret autoritas.* Agiographi dicuntur ij, quos eadem Ecclesia probauit, vt publicè legerentur, ad ædificationem

Couar. lib. 4. variarum resolutionem c. 17.

Aug. contra Ep. Manich. c. 5.

ædificationem fidelium, non tamen haberent Canonicam autoritatem, ad probanda ea, quæ ad fidem pertinent, irrefragabili approbatione; deducitúrque hæc librorum Agiographorum definitio, ex multis, potissimum ex Augustino, qui eos distinguens à Canonicis, docet illos pertinere ad vbertatem cognitionis, hos verò ad religionis autoritatem, in qua autoritate custodirur Canon. Sed & Ruffinus, *in Expositione Symboli,* ad hæc scribit de his Agiographis scripturis. *Quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad autoritatem ex his, fidei confirmandam.* Apocryphi appellantur, qui nec hæretici sunt, nec autorem incertum habent, nec inter Agiographos connumerantur, est tamen eorum autoritas leuis, minimèque ab Ecclesia, & Sanctis PP. probata, propterea quod falsa quædam in eis, veris quandoque misceantur, & peregrina quædam aut portentosa narrentur, quæ nec piè, nec commodè credi possunt; vel eo denique, quòd eorum aûtores quædam veterum dogmata fuerint sequuti, quæ postea testimonio sacrarum Scripturarum, conuicta sint. Atque ideò hi libri Apocryphi dicuntur, qui non sint, publicè in templis legendi, licèt priuatim, cautè tamen legi possint. Ita Augustinus, Hieronymus, Ruffinus & alij cùm Canonicorum & Agiographorum meminere; addunt. *Cæteras verò scripturas Apocryphas nominarunt, quæ in Ecclesiis legi non debeant publicè, possint tamen priuatim legi & cautè, quia eorum autoritas in obscuro & abscondito est.*

Aug. lib. 18. ciuit. c. 38.

Aug. l. 18. ciuit. c. 38. Hier. Ep. ad Lætam. Ruff. in Symb.

5. Iam Græcorum narrationem, de Magdalenæ obitu, ac tumulo Ephesino, eiusdémque reliquiis in Thraciam asportatis, interdictam omnino esse diuino Officio, & horis Canonicis, diurnis & nocturnis, ac Martyrologiis, quæ cantantur in Choro: atque adeò publicè legi non posse, manifestè docent Pij V. Clementis VIII. Gregorij XIII. Vrbani VIII. & aliorum Pontificum decreta, superius allegata. Quibus statuitur, Breuiarium & Martyrologium Romanum, quod Magdalenæ aduentum in Gallias tuetur ac sustinet, nullo vnquam tempore vel totum vel ex parte mutandum; ac quoscumque, qui Horas canonicas ex more & ritu ipsius Romanæ Ecclesiæ, iure vel consuetudine dicere vel psallere debent, oppositis pœnis, per canonicas sanctiones constitutis, in eos, qui diuinum Officium quotidie non dixerint, ad dicendum & psallendum posthac in perpetuum, Horas ipsas diurnas & nocturnas, ex Romani Breuiarij præscripto, & ratione omnino teneri. Neminémque ex iis quibus hoc dicendi psallendíque munus necessariò impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse. Quibus adde, quod ex decretorum Nupero Registro sacra Rituum Congregatio ad Breuiarium Romanum, nunc denuo Vrbani VIII. autoritate recognitum adiecit. *Sacra Rituum Congregatio declarauit & decreuit, non potuisse post Bullam Pij V. de Breuiario Romano neque posse locorum Ordinarios, tam sæculares quàm regulares, addere Calendariis etiam propriis Sanctorum Officia, nisi ea duntaxat, quæ Breuiarij Romani rubricis, vel sacra rituum Congregationis seu sedis Apostolicæ licentia conceduntur. Neque propria autoritate, quouis prætextu, mutare ritum, qui habetur in*

Calendario Romano, seu rubricis Breuiarij, in alium ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum.

6. Addidi non Apocrypham modò, & ab Ecclesiæ autoritate, sed etiam à veritate alienam ac falsam, cùm eædem semitæ, quibus in hoc toto tractatu orationis nostræ pedem stabiliuimus, contrariis vestigiis perdifficiles & ita lubricæ existant, vt illis insistere, aut ingredi Antidicomagdalenitæ, sine casu aliquo aut prolapsione, vix possint.

§. I.

Ad Græcos Historicos legendos cautio.

7. MElchior Canus veraces à fallacibus historias, certis quibusdam legibus definit. Vt prima sit; quæ ex autorum probitate & integritate sumatur. Et hæc imprimis locum habet, cùm quæ narrant historici, ea vel ipsi se vidisse, vel ab aliis, quæ viderint, se accepisse testantur. Scriptoris autem probitas & integritas non in iis, qui olim fuerunt, licèt aliquando in scriptis ipsis eluceat; sed fama & graui atque frequenti præteritorum hominum testimonio cognoscetur. Altera est, vt eos Historicos cæteris anteferamus, qui ingenij seueritati, quamdam adiunxere prudentiam, ad eligendum & iudicandum, quíque inanem vulgi sermonem aucupari non solent. Postrema est, si cui Historico autoritatem Ecclesiæ tribuit, hic dubio procul dignus est, cui nos eamdem autoritatem adiungamus. Contrà verò cui Ecclesia derogauit fidem, ei quoque nos fidem iure ac meritò derogabimus.

8. Quibus ita constitutis, liquidò apparet, quàm opposita Græcorum testimonia frigeant; Græcos enim *fallaces* vocat Tullius, ac *leues & diuturna seruitute ad nimiam assentationem eruditos*. Et alibi. *Græci artibus, Hispani numero, Galli robore, Pœni calliditate* valent. Tum in suo Oratore; *Verbi controuersia tamdiu torquet Græculos homines*, inquit, *contentionis cupidiores quàm veritatis.* Res nota, atque apud omnes peruulgata, quòd Scipio apud Liuium, quòd Quintilianus, Plutarchus, Pausanias & alij scripserint, Græcos Historicos non coluisse testimoniorum religionem; aut dixisse pugnantia siue mendacia, vel fabulas immiscuisse. Vnde vel ipse Historiæ parens Herodotus, vt inquit M. Tullius, innumerabiles fabulas scripsit, quem proinde appellauit Strabo, Mythihistorem, id est fabularum scriptorem. Itaque vulgò *Pater mendaciorum* appellatus est. Plinius portentosa Græciæ mendacia exprobrat. *Et mirum est*, inquit, *quàm procedat Græcia credulis; nullum est tam impudens mendacium quod teste careat.* M. Tullius de Græcis, alibi loquens, hoc ait. *Testimoniorum religionem & fidem nunquam ista natio coluit.* Quo allusit Iuuenalis. * *creditur olim*

Velificatus Athos, & quidquid Græcia mendax
Audet in historia.

Alexander ab Alexandro, vbi cæterarum nationum naturas, & ingenia exponit.

Cicer. ep. ad Quint. Frat. Cic. lib. 1. de orat. n. 47. Liuius lib. 10. Quint. lib. 10. c. 1. Plut. in Solo. Pausa. in Corinthiacis Philo. lib. 1 de vita Mosis; Tull. 1. De Legibus. Plinius lib. 8. Tull. Pro Flacco.

Iuuenal. Saty. 10.

Alex. l. 4. c. 13.

exponit, ait Græcos, licèt ingenio & facundia præstent, tamen collactaneo quodam succo, leues, assentatores, atque infideles esse; vnde *Græcam fidem*, in prouerbium venisse affirmat, pro debili & quæ facilè violetur. Quare Plautus, Græcam fidem dixit, cùm aliquid præsenti ac numerata pecunia emitur.

Plautus in Asina.

Cetera, quæque volumus vti, Græca mercamur fide
Semper oculatæ nostræ sunt manus, credunt quod videm.

Ex his sapienter Hieronymus. *Non debemus*, inquit, *eorum autoritati acquiescere, quorum mendacia detestamur.* Ecclesiastici autem antiquiores qui Græcè, post Christum natum, Historias conscripsere, quamuis intra cancellos veritatis sese studiosiùs continuerint, & ob ipsum Religionis Christianæ donum, magis à mendaciis abstinuerint, quod nostra causa nos monet Posseuinus, tamen sic illi legendi sunt inquit, vt antiquorum Patrum qui etiam fuerunt eiusdem gentis ne obliuiscamur. Eusebium enim Cæsariensem, quamquam meritò Hieronymus collaudat, quod diuinorum librorum fuerit, cum Pamphylo martyre, studiosissimus, atque Chronologiam ex probatissimis autoribus libauerit. Alibi nihilominus testatur idem Hieronymus fuisse propugnatorem Arianæ impietatis, cuius idcirco Epistolam publicè lectam, quoniam Arianismũ sapiebat reiecit septima Synodus. Et Epiphanius scribit in omnibus Opusculis, potissimùm historicis, eum fuisse Arianum, ac duplicis animi ac Synodo Nicænæ subscripsisse. Gelasiúsque Pontifex, eo nomine respuit in his quibus Origenem laudat: cùm cæteroqui, Chronica eius & historica fide digna censeat. *Quæ ideò inquit, frequens vsus reuocauit Ecclesia.*

Posseu. lib. 6. Biblio. sect. 2. cap. 1.

9. Sæculis verò posterioribus, quibus Photius nefarius signifer secessionis, autor fuit extrema quæque audendi, contra Romanam Ecclesiam, mendaciis aduersus eam intexuerunt historias suas, arrogantia, vel leuitate, vel peruicacia, vel odio, vel inclrata omnibus illis affectæ mentis perturbatione? vix scio. Certum illud quod ex Gregora, & Coniata Thomas Bosius affirmat, Græciam, à quo tempore sic in contrarias partes agi cœpit, nullos omnino è suis Sanctos numerasse, qui nobiscum non consenserint, nec Doctores planè vllos habuisse, nisi hæreticos, quotquot à nobis discesserunt: ac tandem in tantam barbariem deuenisse, vt quæ fuit olim disciplinarum mater, quæque in omni facultate viros excellentes & Principes scientiarum, quæ Basilios, Epiphanios Athanasios, Gregorios, Chrysostomos, vt innumerabiles alios heroas Christianos sileam, in quolibet genere doctrinæ præstantes tulerit. Nunc, cùm apertius & longius à Latinis recessit in magna inscitia squaleat, & vix etiamnum paucos edere possit, qui suæ gentis pristinum nomen, ac famam sustinere valeat. Cautiùs itaque ij legendi nunc sunt, præsertim qui ab octingentis circiter annis de rebus ad religionem, imperiúmue spectantibus egerunt, cùm enim in Latinos implacabile odium concepissent, & Ecclesiam Constantinopolitanam æquare primùm, deinde præferre Ro-

Bosius De signis Eccl. lib. 7. sig. 15. & lib. 5. signo 15.

manæ Ecclesiæ, cúmq; Canones hæresibus aspersos, in Synodos ipsas, latenter ausi fuissent inserere: vix vlla ab iis prodiit Historia, quæ à mendaciis omnino fuerit immunis, vt sapienter Gretserus noster, præfatione in Cantacusenum scripsisse videatur cùm dixerit, per illa tempora tam non fuisse Monachum aut scriptorem à Romana Ecclesia non alienissimum in Græcia, quàm hodie difficile est Pseudopræconem inueniri Catholicum aut beneuolum erga Catholicos, in Prouinciis quæ Lutheri, aut Caluini, aut aliorum veneno fuerunt infectæ.

§. II.

Quidnam viri docti senserint de Cedreno ac Zonara.

Posseui. in Appara. v. Cedrenus, & Bibliot. lib. 6. Xilan. Præf. in Anno. Cedreni.

10. De Cedreni fama, & autoritate multùm derogari ab omnibus, demonstrat Posseuinus, simul & illud ostendit non tam vt Ecclesiasticum scriptorem fidem facere, quàm ne certioribus historiis fides ex eo dematur. Xilander (cuius prauam Cedreni Græci versionem non vno in loco meritò sugillat Gretserus noster in notis ad Tomum secundum de Cruce,) haud iniquus tamen rerum æstimator censoriæ seueritatis hanc illi notam inurit. Quis fuerit Cedrenus certo deprehendere nullo indicio potui, cùm de se ipso nihil, hoc quidem in opere, memoriæ prodiderit: neque ab aliis sit, quod ego sciam, laudatus aut nominatus scriptoribus. Eò tamen inclinat animus, vt Sacerdotem fuisse suspicer, aut etiam Monachum: tametsi videtur hoc non fuisse dissimulaturus. Meæ coniecturæ ansam præbent, cùm genus dicendi quo est vsus, tum quas de religione & ceremoniis habet disputationes. De quibus non impedio, quin quisque pro suo captu & sensu iudicet. Quid ego iudicem satis credo esse bonis omnibus notum: neque est cur mutem sententiam vlla idonea causa. Quando vixerit, nihilo magis constat, quàm qua conditione vixerit, nisi quod probabile est rerum potito Isacio Comneno (qui iniit Imperium eodem ferè, quo Henricus IV. anno, qui fuit à Christo nato LIX. supra millesimum) eum scripsisse suos Annales. Hi enim in istam desinunt. Is qui codicem vestrum scripsit Librarius, Isacij Angeli aliquoties mentionem fecit in margine, fuit hic Isacius Friderici Ahenobarbi Imperatoris Germani æqualis, & accepit Constantinopolitanum Regnum, circa annum 1185. vt centum ferè annis Codex iste, autore suo recentior fuisse videatur. Non dissimulauit Librarius, aliquoties se in exemplari, quod descripsit, aliquot paginarum defectum sensisse. Sed vtrùm reliqua omnia ita fuerint ab autore composita, quomodo ad nos scribæ istius opera peruenerunt dubitari haud iniuria potest. Non enim mendosa modò quædam, sed plura etiam his mutilata, vel comperi vel suspicatus sum quod aliquoties in Annotationibus ostendi. Porrò autem facilè crediderim, lectores in bonis scriptoribus versatos & iudicio aliquantùm, quàm vulgus, acriori præditos, vbi lectionem huius operis instituerint, molestiæ principio aliquid

aliquid aut etiam nauseæ contracturos. Pollicitus enim autor, ab initio mundi vsque ad sua tempora historias se compendio recitaturum: vbi ad rem ventum est, neque optimo ordine ea proponit, quæ in sacris literis, & Flauij Iosephi Antiquitatis Iudaicæ descriptione, atque alibi copiosè describuntur; & inserit multa nescio, quàm relatu aut creditu digna: & interpolatis narrationibus, sæpè mutilatis, aliquando idem, non sine tædio, & odio inculcat. In summis mundi imperiis & eorum successione, ac mutationibus exponendis ieiunus planè est. Res Romanas ita attingit vt videatur earum fuisse admodum ignarus: & in ipsis Imperatoribus ordine recensendis, eorúmque in summa, exponendis rebus gestis, ferè ad Constantinum vsque magnum, nihil præclari, aut etiam operæ pretij est consecutus, vt quis ista legens exclamet.

Quid tanto dignum dedit hic promissor hiatu.

11. Digressiones quoque, in disputationes de vita monastica, contra Iudæos & alia id genus talia sunt, quæ Annalibus parum omnino conueniant, & non possint à quouis ventriculo concoqui, quæ ego à me dicta ita velim accipi, vt ab eo qui non vituperet, sed excuset Cedrenum scriptorem, qualem ea tempora, & fortassis etiam vitæ institutum tulit, vt vno verbo dicam interdum ἰυχϑ. Certè si quid ab eo peccatum est, non magno rerum dispendio peccatum est: cùm abundè librorum sit, ex quibus historiarum ab ipso præteritarum, aut minus commodè tractatarum cognitio repeti possit. Hoc autē verè possum affirmare plurima esse in Cedreni hoc opere, quæ cùm alibi non inueniantur, maximam ei apud omnes veritatis & historiæ autores, conciliare possint debeántque gratiam. In Iustiniano præsertim magno, in Heraclio, & aliis deinceps Constantinopolitanis Imperatoribus, multò est, quàm ipse Zonaras fuerit, diligentiùs ac copiosiùs versatur, describendis annis etiam singulis, res gestas diuidens. Nam quæ ante nouæ Romæ ortum habet, ea videtur vtcumque ex variis libris, non magna cura ac iudicio perexiguo consarcinasse. In Constantinopolitanis autem rebus & exercitatior fuit, vt apparet, & maiore est vsus industria, & si quid ego iudico hoc illi ἔργον huic cætera πάρεργα. Hactenus Xilander.

12. Sed perperam etiam rerum à Constantino gestarum seriem texuisse, præsertim dum bellum Licinianum ponit anno Imperij Constantini 19. cum anno 13. eiusdem Imperij fuisse absolutum, irrefragabilis eiusdem Imperatoris Rescripti autoritas certam faciat fidem; ac ex his, quæ scribunt Ruffinus & Socrates mendacij arguitur cùm belli Persici à Constantino suscepti causam affert ob spoliatum Metrodorum Philosophum, quem constat longè ante hæc tempora peregrinationem suscepisse. Sed & alteram translationem capitis S. Ioannis Baptistæ, factam esse anno 13. Imperij Theodosij liquet ex his, quæ Baronius tradit fusè, in Annalibus anno Christi 391. & in Notationibus ad Martyrologium 4. Calendas Septembris eóque nomine Cedrenum confutat, qui pro re certa, falsò hanc celebritatem ad superiora tempora retulit. Quidnî eadem temeritate la-

ipsum facilè crediderim, in eo quod asserit de Magdalenæ translatione Constantinopolitana; aut cur historiæ minus fideliter & commodè ab eo tractatæ cognitionem, sicut de aliis monuimus, ab aliis fidelioribus & certioribus Latinis scriptoribus non repetam?

13. Ioannes Zonaras, Monachus Constantinopolitanus, Ordinis S. Basilij qui olim Bizantij magnus Drungarius, Biglæ seu excubiarum; ac Prothosecretarius Imperatoris Alexij, & Ioannis Comnenorum. In historiam vniuersam à mundi primordio, vsque ad annum Domini centesimum decimum septimum supra millesimum, multa præsertim ante Constantini gesta, ineptè atque oscitanter scripsit, & vt de illo modestè loquitur Ioannes Quintinus, Heduus & Praisiorum in Vniuersitate professor, in plerisque non satis Ecclesiis Latinis æquus: sed & aduersus processionem Spiritus sancti à Patre & Filio simul, ac contra alia dogmata Catholica, falsas criminationes edidit sub Alexio Comneno Imperatore Constantinopolitano, quo tempore Galli Syriam ac Palæstinam subegere post annum Domini millesimum ac nonagesimum. Cùm autem rerũ sæculi esset pertæsus, Magistratúsque in Palatio gessisset Imperatoris, atque in solitudinem secessisset, agnominatus est Monachus. Tum verò rogatu amicorum, vti & maiorum suorum iussu, historiam quam diximus persequutus est, & quidem ineptè ac parum diligenter elaboratam, vt prudenter Carolus Sigonius (de rebus Latinis loquebatur) indicauit: præsertim, quæ ante Constantini tempora scripsit, nam à Constantino deinceps Imperatore, vtilis dici potest, quòd ea diligenter enarret, quæ meliores scriptores non habeant. Tractat idem argumentum quod Cedrenus, sed multa habet de industria prætermissa, breuitatis fortè studio, sed certè non prætermittanda. Fuisse Schismaticum, nemini qui eum attentè legerit, erit dubitandum, vt etiam Genebrardus scripsit, se dum poëmata Zonaræ aculeatissima, de Spiritus sancti processione & alia aduersus Latinos composita, in Latinum verteret, criminationes illas consultò omisisse. Qui verò eius historiam Græcè Latinéque emisit Hieronymus Vuolfius, inter hæreticos primæ Classis prohibitus est, in Romano Indice quemadmodum item eius versio.

14. De Modesto illo, Episcopo Hierosolymitano, nihil est quod dicam quàm quod de aliis Græcis & eiusdem furfuris hominibus diximus. Sed & fortè commentitius ac nullus omnino fuit, aut potius ita exiguæ notæ, vt præter Photium, qui nomen eius illustrauit, planè lateat in obscuritate & dubitatione cæterorum omnium historicorum. Mitto quod Magdalenam hanc nostram Virginem fuisse, atque in tormentis, Ephesi martyrio necatam esse, tam dedecere videtur Historicum si affirmauerit, vt idem ipse affirmat, quàm delirare, quàm mente captum esse.

§. III.

§. III.

Sacri adagij, In ore duorum aut trium stet omne verbum, intellectus.

15. PRæter conditionem testium ad faciendum fidem, attendendus est etiam numerus. De quo luculentam disputationem instituit Prosper Farinacius, in integro suo, *De testibus* volumine; ac docet quod etsi, spectato iure naturali, requiratur solùm, tale testimonium in iudicio, quod iudicetur alterius partis testimonio certius, pro negotiorum, personarúmque diuersitate, ac proinde non sit hoc iure, certus testium numerus; nec etiam certus determinatè sufficiat in omni negotio; sed relinquatur determinatio iuri positiuo vel diuino vel humano. Tamen liquidò constat, in vtroque iure, præferri multitudinem paucitati, ita vt, nec statuto, nec constitutione, nec consuetudine, nec etiam à Principe, vel à Papa possit determinari, vt multis posthabitis, plena fides vnico testi duntaxat, vel paucioribus adhibeatur. Nisi fortè in casu particulari, necessitatis, aut euidentiæ vtilitatis, aut de consensu partium, secundùm quem, stari quoque potest dicto ipsiusmet aduersarij, vel eius declarationi. Aut si cum vnico teste, vel paucioribus (qui sint omni exceptione maiores) præcedant præsumptiones, quantùm ad id, de quo quæritur. Farin disp. 63 q. 3. c. 1.

16. Probat hanc nostram sententiam Farinacius ex variis textibus, aliisque autoribus id asserentibus, iuxta ius Ciuile, Canonicum, Diuinum, ac tritum illud sermone ac vetustate prouerbium, quod *Dictum vnius est dictum nullius.* Præterea, ex Quinti Scæuolæ, viri sapientissimi documento simul & exemplo, qui cùm testis in reum productus, testimonium dixisset, discedens adiecit, ita sibi credi oportere si & alij idem asseuerassent, quoniam vnius testimonio credere præsertim cæteris omnibus contradicentibus, pessimi esset exempli. Quod ad idem propositum recitat quoque Gregorius in Syntagmate. S. Augustinus contra Faustum affirmat testium numerum iam in lege Mosaica, Prophetico spiritu consecratum & commendatum fuisse. *In ore* inquit *duorum vel trium stet omne verbum.* Vt etiam sic pronuntiaretur futura reuelatio Patris & Filij, quorum Spiritus est, in illa inseparabili Trinitate, Spiritus sanctus, alioquin & vnus testis, inquit, plerumque verum dicit, & plures plerumque mentiuntur; potiúsque creditum est, in exordio fidei gentium, vni Apostolo Euangelisanti, quàm populis errantibus, à quibus ipse persequutionem patiebatur. Et Lactantius. Quis enim nesciat, inquit, plus esse momenti in paucioribus doctis, quàm in pluribus imperitis. At multitudo, præsertim copiosa vix est peritorum. Hoc itaque fixum esto, non ex autorum numero, vt in tribunalibus circa suffragia assolet, de sententiarum veritate pronuntiandum esse; præsertim cùm aspectus plerumque, multos temerè consocies in vnam sententiam. Quo ex capite, de religiosis eiusdem instituti

Valer. Maxi. lib. 4. c. 2. xi.

Greg. in Syntag. lib. 48. c. 18. n. 5.

Aug. l. 16. contra. Faustum. cap. & 13.

Lactant. lib. 3. Instit. c. 10.

instituti, quantumlibet multis, cùm vni omnes sententiæ adhærent, an numerum facere possint, doctoribus nostris id ponitur in percunctando. Similiter quoad mores & vitæ normam, ipsa consuetudo, assentiendi iudicio multitudinis præcurrentis, periculosa esse videtur & lubrica. Nihilominus iactatio multitudinis autorum, iure anteponenda dicitur, cùm est peritorum, cùm docti quique ac pij ex aduerso stant, cùm reclamant, qui sunt maturiore iudicio. Quia enim, *Plus vident oculi, quàm oculus*, securiùs insistitur viæ, quæ plurium vestigiis fit protrita, cùm manifestus error non deprehenditur, nec ratio ineluctabilis mentem aliò abducit.

Maior. in 2. disp. n. 1. q. 4.

17. In hac causa quid eiusmodi proferunt Antidicomagdalenitæ? Pigeret certè non solùm stultitiæ meæ, sed etiam puderet me Græculos leuissimos, vnum & alterum duntaxat, cum innumeris testibus locupletissimis, quos excitauimus ex monumentis veterum Annalium, componere. Multa commemorarem absurda, in eos, qui perinde ac si offusa rebus gestis Magdalenæ sempiterna nox esset, ac laterent ista omnia crassis occultata & circumfusa tenebris, ita ruunt in tenuissimæ suspicionis caligine, cæcisque nubibus & procellis illis duorum Græcorum; vt tot virorum clarissimorum testimoniis, quasi tot radiis accensam veritatis lucem non aspiciant. Multa, inquam, putida & odiosa commemorarem, si hoc vno, Sol quicquam videre possit indignius. Quid de Pontificum ac Regum quos produximus autoritate loquar? Cum vna mehercule ipsorum testificatione atque vno sermone, quos conferre aut adæquare possint, iura ipsa non habent. Nam Doctores in Lege, *Omnium*, Codice *De testamentis* & apud Syluestrum verbo *Testis*; Solius Imperatoris aut etiam Papæ testimonium, sufficere ad faciendam fidem & ad firmitatem testimonij asserunt.

Braduuar. lib. 2. de causa Dei c. 31. in coroll.

18. Quod olim Thomas Braduuardinus eruditissimus Theologus & Episcopus Cantuariensis (extat eius liber in Bibliotheca Vaticana inscriptus. *Summa Doctoris profundi Thomæ Braduuardini anno. 1411.*) sibi cautũ voluit, vt temperaret à molliendis & in mitiorem partem interpretandis Græcorum Patrum sententiis, quæ haberent suspicionem Pelagianismi absconditam, ne ludificationibus, Hæreticorum viam aperiret, aut potioribus commodis impertiretur. *Scio*, inquit, *quòd possem fingere ei glossas (scilicet Chrysostomo) sed reuera non habeo scientiam nec conscientiam ipsum glossandi in istis. Ideo, sicut dixi superiùs, Theologica studia Lectorem pium & prudentem requirunt, qui autem magis pius ac prudens ipsum in huiusmodi glossare veraciter sciuerit, non reconciliando Pelagium, placet mihi, congaudeo, acquiesco. Absit quin lubentius semper addiscam à quolibet cuiuslibet Doctoris irreprehensibilis veram mentem, quàm ipsam non intelligendo ex ignorantia reprehendam. Sed caueant quæso dictorum ipsius huiusmodi glossatores ne Pelagianis à Christi Ecclesia relegatis viam aperiant, redeundi & dictis ipsorum hæreticis Catholicam glossam parent. Si nempe inueniatur talis glossator magis pius & prudens Augustino, Gregorio, Beda, Prospero, quàm pluribus Sanctis Papis, & inferioribus Episcopis, Synodis, atque Conciliis & tota Ecclesia Sancta Dei, similia*

dicta Pelagij & Pelagianorum non glossantibus, sed absolutè damnantibus, sicut docent multa capitula primi & secundi, & quamplures libri authentici & historia contestantur mirabiliter admirandum! qui se similem ac tantum audeat propteri. Si namque hi S. Patres sciuerunt talia dicta glossauisse & noluerunt, impietas pessima si voluerũt & nescierũt, ignorantia maxima, cùm tu solus & faciliter istud scias.

Tu videris in causa nostra, Critice Gallogræcule, ne glossator contumeliosus in Acta Magdalenæ, Græcos historiæ Latinæ fallarios & Ecclesiæ Romanæ Schismaticos æmulos potiore conditione efficias, quàm tot Romanos Pontifices, Cardinales, Episcopos, Synodos, atque Concilia, & totam Ecclesiam sanctam Dei, similia dicta Cedreni, Zonaræ aut aliorum Græcorũ non glossantes sicut tu, sed absolutè damnantes. Dominicanorum quoque Ordiné sanctissimum æternum Ecclesiæ decus, & firmamentũ cæterorum Ordinum, satisne honorificè præ historicorum plebeia, & infima fæce habueris, ipse considera; si nãque hi religiosissimi & eruditissimi Patres scierunt traditionem de Magdalena Sanmaximinensi glossauisse, & noluerunt impietas pessima si voluerunt & nescierunt, ignorantia maxima cùm tu solus & faciliter istud scias.

CAPVT XXXIV.

Cur hæc sententia caput hactenus non extulerit, reiectis inanibus causis, à quodam recentiori Critico excogitatis.

1. NE in proposita controuersia aduersarios, causa incognita, damnare videamur, nunc vestiganda & excutienda restat germana ratio, cur nostra & Latinorum omnium sententia, adeo hactenus apud Historicos, inualuerit; contraria verò, quam primi ipsi duo Græculi inuexerunt, adeo iacuerit, vt ante neq; illam ab ipsis euulgatam, vix vnus aliquis non modò Latinorum, sed neque etiam Græcorum, in eam vltro venerit; neque post eamdem euulgationem, quisquam repertus sit eorum, quorum scriptæ historiæ ad nos peruenerunt, Nicephori, Nicetæ, Gregoræ, Cantacuzeni, Pachymerij, Constantini Manasses, Curopalatæ vtriusque, Ioannis & Gregorij, Zozimi, Iornandi, Procopij, Agathiæ, Suidæ, aliorúmque veterum, qui ei sententiæ subscripserint, sed ne strictim quidem, aut perquam breuiter eam attigerint. Quo nomine malè apud plerosque omnes audiunt prædicti duo singulares Historici, quod tacita quadam eruditionis dissensione ab aliis, aut genio ad fingendum gignendúmque composito, historiæ quasi *Melchisedecum sine patre, sine matre, sine genealogia* nobis supponunt, ac de reliquiis & sepultura Magdalenæ, fastidientes quæcumque cæteris placuisse animaduerterint, non nisi noua, & aliis nunquam audita, vel visa comminiscuntur. Neque enim veritatis argumentum infirmum, aliquid omnibus videri, & capitis profectò est malè sani abiecto omnium aliorum sensu, conculcatis cunctis retro Doctorum

inuentis, seu traditionibus, spiritu quodam singularitatis ac proprio lumine duci velle; præsertim nullis adigentibus tam validis argumentis, quorum impetus repelli non possint.

2. Et ad hæc quidem, sine auctore commenta, non modò multorum prorsus absurdorum, sed etiam falsitatis reuincenda, sufficeret illud vnum Augustini contra Petilianum, quo confictas eius de innoxiis calumnias exsibilat, & explodit. *Vos qui nihil aliud vultis quàm dicere quod probare omnino non potestis, quid aliud quàm os vestrum maledictione & amaritudine plenum est?* Tum suprà paucis interiectis lineis. *Hæc si dicam de talibus esse dicta quales vos estis: respondetis. Proba, quid enim tu probasti? aut si eo putas probari quo dicuntur, non opus est eadem repetere. Recita illa ipsa tibi, & à vobis in vos: Ecce & ego probaui, si hoc est probare.*

Danie. c. 13. 51. 3. Attexo alteram eiusdem repudij causam, testium dissensionem, non enim sunt *conuenientia testimonia illorum.* Habes apud Danielem vnde huic negotio lucem affundam. Tria enim seruanda esse in examinandis testibus, facto suo docuit, & probauit. Primò conuenit alterum ab altero separare, ne communicato inuicem consilio, ad vnum idémque testificandum conspirent: *Separate eos inuicem procul, & iudicabo illos.* Præterea expedit nonnunquam eos vehementer increpari, ac terreri; quò scilicet incussus terror omnem ex eorum animis simulationem excutiat. *Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua quæ operabaris prius.* Et iterum. *Semen Chanaam & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* Tertiò interrogandi sunt artificiosè, & aptè, ad eliciendum verum, videlicet vt ex concordia vel discordia responsionum, veritas, aut falsitas eorum quæ ab ipsis dicta testatáque sunt, liquidiùs exploretur. *Nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi: qui ait sub Schino.* Dixit autem Daniel: *Rectè mentitus es in caput tuum.* Et amoto eo iussit venire alium, & dixit ei, *Nunc ergo dic mihi sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi, qui ait sub Prino. Dixit ei Daniel: rectè mentitus es & tu in caput tuum.*

4. Nolo de Græcorum nostrorum animo ferre iudicium, vel in eorum genio rimando, & ex testimoniorum dissensione damnando, Propheticum morem æmulari. Cedrenus in Leone Imperatore. Condidit templum S. Lazaro sacrum, in eóque Lazari & Magdalenæ reliquias Epheso allatas deposuit. Zonaras verò, Lazari corpus, necnon & S. Mariæ Magdalenæ ex Insula Cypro, Constantinopolim translata, & simul condita esse testatur. Vtrùm igitur manifestè falsi testimonij conuincamus ex discrepantibus eorum sententiis, quod ille Epheso, iste ex Insula Cypro Magdalenæ reliquias translatas esse affirmet, & an vterque rectè mentitus sit in caput suum, tu ipsemet Lector beneuole, quæsitor esto ac iudex.

5. Has difficultates vt leniret nouellus Criticus cum quo agimus, visus est sibi Philosophaturus non incommodè, & contradictionum salebras declinaturus, si causas nobis alias refundere, in quibus tamen errorem

torem suum videtur, in seipsum disertus, damnare ignauiæ, & exagitare elegantissimè. Prior eáque radicalis & capitalis est antiquitas, quæ in exemplis maximè autoritatem habet, & *proximè*, vt ait Tullius, *accedit ad Deos*. Neque maiore honore in cæteris omnibus artibus, quàm in historica disciplina versatur. Nemo autem veterum hactenus repertus est, qui ante Cedrenum, & Zonaram de reliquiis, ac sepultura Magdalenæ scripserit: & eò firmius standum vestigiis, quò propius eorum autores, temporibus rerum gestarum finitimi ac vicini accesserint. Sic autem tenuiter, & nugatoriè respondendo, dare iugulum inimico & ea laude, quam æmulatur, vltro se spoliare videri poterit; si enim præiuere omnibus Cedrenus & Zonaras: quid, quod nullus recentiorum repertus sit, qui eam sententiam amplexari in animum induxerit, cùm tamen in turba scriptorum, ita ferè plerique omnes comparati, vt præeuntem reliqui tanquam grex arietem sequantur, & vt muli solent ac serua pecora, protritis duntaxat, & complanatis itineribus insistant: quæ difficultatum vacua, & citra laborem decurrenda proponuntur. Hinc illa, in simili penè argumento, nescio cuius exprobratio, anticipata opinio nullis argumentorum ponderibus cedit, nullis rationum machinis excutitur, ne ipsi quidem veritati reuelata facie se ostentanti acquiescit. Si citius illuxisses, ô veritas, forte nostros habuisses amplexus, quia seriùs aduenisti, repulsam patiere, & ne veritatis quidem appellationem merebere. Opinio æmula, locum quem appetis; & appetiuit prior, & occupauit.

6. Dedi aliàs Latinos Patres S. Hegesippum, S. Cæsarium Arelatensem, Lucium Dextrum, Iulianum Petri, Hamularium Fortunatum, Sigebertum, Martinum Polonum, & perantiquos Anonymorum codices, MM. SS. non paucos, longè omnium Græcorum quicumque fuerunt, principes, & inuentores harum disputationum. Vix enim Cedrenus & Zonaras, vnius ab hinc sæculi supra quadringentesimum an. viuebant ætatē, cùm tamen Hegesippum ad annum Christi 167. Lucium Dextrum ad circiter quadringentesimum, Cæsarium Arelatensem ad octauum supra quingentesimum, Hamularium ad octingentesimum quadragesimum, Iulianum ad annum millesimum centesimum, & alios, in suis quemque tabulis, pro antiquitatis effigie, in varios id genus annorum numeros, peritissimi Chronologi recenseant; Glycas, Constantinus Manasses, aliíque iisdem ætate suppares vt ex superiori nostro Historicorum Syllabo colligere licet, de Magdalenæ Massiliensis Aduenæ memoria pro testimonio dixere. Quæ igitur vicinitatis temporum, vel antiquitatis tanta iactatio? in qua centum circiter supra mille annorum spatia, inter Cedreni & Zonaræ Historiam & Magdalenæ res gestas reperiuntur.

7. Quod ipsum præterea iubet Criticus, vt præiudicata scriptorum antiquitate, & vicinitate temporum cum rebus gestis, eorum placitis adhæreamus; reclamant periti omnes, ac disertè contestatur Hilarius lib. 6. de Trin. circa fidei scita nihil esse periculosius, quàm cùm multi eodem Hilar. l. 5. de Trin.

 inuoluuntur

inuoluuntur errore, nec alia ex causa, quàm quod veteres id senserint in eumdem gurgitem præcipites ruunt. Est profectò disciplinis exitiale huiusmodi consilium, neque ita nos exoculari ratio suadet, vt cùm aperta nobis fuerint ea de quibus agitur, siue naturale lumen id probet, siue eam in partem nouum aliquod argumentum illuceat: nihilominus, placendi amore, ac tuendi antiquitatem, scriptorum testimoniis assentiamur, quæ non intelligimus, facti rebelles lumini, & diligentes magis tenebras quàm lucem. Nec solùm nos petit Magdalenæ defensores ista oratio; perspicuum planè est omnes æquè peti antiquos, & nouos Historicos. Non assequitur quisquam vt scribat, nisi summo delectu adhibito, rerum atque verborum, omnia quæ legerit, quæque reiecerit ex Annalibus, & antiquitatum monumentis, vnam referantur ad summam. An verò ignari & rei violatæ antiquitatis Gelasius Papa, Baronius, Bellarminus, & alij passim, in artium studiis, liberalissimísque disciplinis versatissimi, qui veteres atque ipsis penè Apostolis coæuos scritpores rerum Ecclesiasticarũ Abdiam, Prochorum, Seleucum, cæterósque non paucos, vbi plus mali quàm boni repetirent, id totum abiudicarunt atque reiecerunt: nunquid in Cedrenum peccarit Baronius, cùm eius de inuentione capitis S. Ioannis Baptistæ, & de Magdalenæ Massiliensi nauigatione in Italiam ad Tiberium Imperatorem, apud quem de nece Christi, & parricidio, Pilati nomen deferret, refellit, & coarguit mendacium? Quin potius iudicio criticorum nostrorum propter antiquitatem & viciniratem temporum cum rebus gestis, exoculari, & contra apertam ex sensu proprio veritatem, laudare oportuisset. Nolo in re perspicua, videri copiosus.

8. Aliam causam recentæ mordicus sententiæ nostræ, Græcorum verò reiectæ assignat aduersarius, *Placendi amorem, & gratiæ captationem*, hanc enim magnam esse plerumque illecebram nouitatum, & mendaciorum, dubitare non licet, præsertim si Principum res agatur, & spes ingentis commodi ostentetur: tunc enim omnia audere, & nullis nouitatibus parcere, nouum non est, impendérque alioqui dispendium non captatæ assentiendo gratiæ. Quamobrem se frustratum, equi dono & mercede, quod adblandiri Friderico Imperatori renuisset, non illepidè conquestus Bulgarus Bononiensis nominatissimus Iurisconsultus, exclamasse dicitur. *Amisi equum quia dixi æquum, quod non fuit æquum.* Tamen genuino sic infigendo, quantam existimationi suæ turpitudinis notam inurat, quantum inscitiæ dedecus, & flagitium admittat nemo nescit, si attentiùs expendat, quinam sint ij, quos assentationum, & blanditiarum, communis omnium hostis insimulat: nam cadit in eos sanè, quos vt supra vidimus, sanctitatis fama, & religionis singulare studium amplissimo Episcoporum, Archiepiscoporum, Cardinalium, Summorum Pontificum honore ac nomine affecit. Est autem ignaui, & plebeij duntaxat animi, à recto deflectere, displicendi metu, & Regum ac Principum fauores, & marcescentem illicò gratiam, veritatis dispendio emercari. Hunc esse fontem grauissimorum malorum, & rem omnium in Dei Ecclesia imprimis perniciosissimam.

fissimam demonstrat Cyrillus. Vt non abs re Psaltes regius dicat *A Deo conteri ossa eorum qui hominibus placent*, ac confusionem denunciet, *Quoniam Deus spreuit illos.* Tantos itaque Præsules, ne placendi amor eneruauerit, aut Regis Caroli captandæ gratiæ studium, in explorandis Magdalenæ reliquiis, eorum constantiam labefactarit metus iustus esse non potest. Quem enim plausum ambire: quem maiorem quàm quo fruebantur, fauorem quærere, viri omnibus ingenio, iustitia, integritate præstantes potuissent? quare hic locus profundiorem, attentiorémque Critici meditationem postulat, vt ea suæ sententiæ aduersariis impingat, quæ possit credibiliora videri. Cyrill. l. 7. de adorat.

9. Ignauia & socordia posteriori loco obiicitur, in distinctione veri & falsi, assertoribus nostræ sententiæ, de certitudine reliquiarum Magdalenæ. Quàm ægrè persuadeor verè opponi, cùm videam in hoc ordine ac numero censeri tam multos ex Dominicana familia, viros doctrina atque optimarum artium studiis eruditissimos, & quidem ad vnum pene omnes, siue Quæsitores fidei, siue Magistros Generales Ordinis, siue Episcopos, siue Doctores Theologos, dignitate ac præfectura perillustres. Mitto Eisingrenij peritiam singularem, quem irrequieto studio literariis commentationibus incubantem, & in Historiarum scrutatione perpetuum fuisse tradunt, vsque eo, vt plures etiam supra mille autores immenso labore peruolutarit: quod eius scripta produnt in quibus plurimorum sententias, & placita videtur habuisse in numerato: hos, inquam, atque alios benè multos, quos laudauimus supra, nunc primùm ignauiæ atque ignorantiæ notari, quod nusquam, in disquisitionem de aduentu Magdalenæ in Gallias, quem affirmaruut, nisi oscitanter incubuerint, nec de testimoniis Cedreni & Zonaræ cognouerint, priusquam à Criticis nouitiis defossa educerentur in apertum, ac renouarentur hoc temporis, admodum verisimile est, non satis fidei, apud æquos iudices habiturum.

CAPVT XXXV.

Historia de aduentu Magdalenæ in Gallias mendaciis & fabellis referta.

1. ADuentum Magdalenæ quem tuemur, iis coloribus pingunt Anticomagdalenitæ, quibus si periodos Theclæ & Pauli, aut Gigantis nomine Diogenis, pugnas post diluuium cum Dracone commissas, vel si Ioannæ Papissæ inaugurationem, aut huiusmodi aliquod, ex priscorum hæreticorum colluuie, scriptoris porrentum repræsentandum suscepissent, deridiculum satis ac facetum exhibuisse videri posset.

2. Sugillant imprimis, ac velut commentitiam, futilémque Magda-

lenæ apparitionem conuiijo explodunt, quæ dum Massiliæ Christiana religione infideles excoleret, ter in somnis, Principi Prouinciæ, & vxori eius præsens astitisse perhibetur. Verba sunt Antonini quæ apud Vincentium Bellouacensem, Petrum Equilinum, Bernardum Guidonis, & alios inculcata reperies. *Apparuit*, inquit, *Magdalena durè increpans crudelitatem eorum, quòd deliciis & diuitiis abundantes sinerent Sanctos Dei fame cruciari. Qui timentes, eos humanè susceperunt. Audientes autem Princeps & vxor eius cum populo prædicationem Mariæ Christum annuntiantis, & virtutes eius cùm essent steriles, dixerunt ei. Si nobis vales obtinere à Christo tuo, vt filium masculum habeamus, parati sumus obtemperare dictis tuis, & credere in Christum: quod Maria Magdalena precibus impetrauit, exindéque mulier concepit. Quia verò Maria commendauerat Petrum Apostolum Romæ existentem principalem Magistrum huius doctrinæ, miraculis plurimis eam comprobantem, disposuit Princeps illuc accedere pro pleniori informatione, quem vxor etsi prægnans sequi voluit, eisque Maria signum crucis in humeris fecit, ne hostis antiquus eorum iter impediret. Nauigantibus ergo illis tempestas magna coorta est, propter quam Matronam illam dolores partus arripuerunt, & enixa masculum in partu expirauit. Princeps autem vehementer expauit, tum ex morte vxoris, tum ex morte paruuli vagientis secuta, cùm lacte non posset nutriri. Cùm autem nautæ corpus defunctæ in mare vellent proiicere, occurrit eis quidam collis ad modum paruulæ insulæ in mari ad quem descendentes matrem cum paruulo vagienti posuerunt, commendantes illos Mariæ Magdalenæ. Iterque suum persecuti Romam applicuerunt. Et Petrum Apostolum visitans ipse Princeps reuerenter de singulis edoctus est, & charitatiuè susceptus. Qui ei renunciauit infortunium in mari, & mortem vxoris. Confortauit autem eum Petrus dicens, quia Dominus eum consolaturus esset. Porrò reuertens Princeps ad propria per mare, appropinquans locū collis illius, vbi cadauer vxoris cum paruulo diu fuerat, descendit de naui, inuenitque vxorem viuam cum paruulo, qui nimium lætificati de tanto miraculo immensas gratias Deo reddentes, & meritis Beatæ Mariæ Magdalenæ totum attribuentes, ad ciuitatem suam postea deuenerunt narrantes mirabilia Dei. Et destruentes omnia idola ciuitatis, Ecclesias construxerunt plurimas, fidem & baptisma plurimis recipientibus.*

a.nt.1 par. Histor. tit. 6. c. 19. §. 1.

3. Hæc inquam omnia vel quia certo autore scripta careant, vel quia in multis fide vacillant, critici abiudicant; & in fictarum fabularum partem, & Apocryphorum numerum reiiciunt, æquè quod Robertus Cœnalis Episcopus Arboricensis in Gallica Historia prodit. *Sub annum ab Anastasi Christiana 14. Cùm Massiliam appulisset D. Magdalena, Christianam fidem amplexati sunt qui tum regio stemnate illustres erant Rex, Reginaque, & sacri fontis lauacro abluti, fidei primùm rudimentis bene instituti in ciuitate Aquensi. Prodiit inde soboles, cui Trophimi nomen inditum ex ductu & auspiciis Arelatensis præsulis D. Pauli discipuli, maximæ apud eum opinionis vt eius scripta testantur. Quo decedente, sceptro & regno successit Stephanus, qui multis tandem precibus impetrauit genitrici suæ Reginæ diu & multùm desideratam à morte in vitam restitutionem, sceptróque inauguratus Arelatensi vixit ad annos duos & quinquaginta*

quinquaginta, qui religionis ardore accensus, Crucis sacra vexillum, quod hodie apud Sanuictorinum Cœnobium Massiliense visitur, venerandum accuratissimè reposuit. Tu verò hic mihi videto, quod qua de D. Trophimo referuntur, partim vera sunt, partim falsa. Qua enim parte asseritur Diuum in Burgundia regnasse Trophimum, cùm nec tunc, nec post multa tempora extaret Burgundionum aut nomen, aut germen? illud tam abest à veritate quàm quod maximè. Hac tamen parte audiendi sunt, qui aiunt statim à Christiana Anastasi aduentasse D. Trophimum in partes Gallia Narbonensis, qua nondum Burgundia erat, tandémque appulisse Arelatem, qua etiam Arelata dicebatur, vel ob id maximè, quod cæco inhumanitatis errore laborantes, loci illius incola, in ea quam sibi extruxerant ara, ampla prater modum latitudinis, quinque è toto vulgo redemptos, ac pecunia comparatos publica, toto anno saginarent, quo tandem exacto, super aram à se extructam eos immolarent, atque eorum sanguine vniuersum populum aspergerent, contaminantes potius populum, quàm expiantes. Ab hoc inhumanissimo & crudelissimo ritu, superueniens D. Trophimus salutaribus suis monitis plebem illam absterruit: non tanquam Rex, vt falsò aiunt, sed tanquam Apostolus Arelatensis patria, qua Narbonensis Gallia potius, quàm Burgundia dicebatur, cessatúmque est ab huiusmodi execrabili crudelitate, & barbarie. Tum suprà. *Fuere*, inquit, *Burgundiones per multa ante regnum Arelatense tempora cogniti, vti ex Plinio docuimus, à quo non abludit Paulus Orosius. Hoc tantùm testatum volumus Burgundiones, & Burgundionum apud Gallias regnum, locum non habuisse, nisi post VVandalicam rabiem, quo tempore experta est Gallia sub Burgundico nomine Reges. Quin potiùs constans opinio est, non ante tempora Dagoberti Regis, Arelatem obtinuisse Regia sedis honores: quò fit vt longè absit Arelatensis regni solium à D. Lazari & Maximini temporibus, cùm necdum post multos abinde annos vlla per Galliam Burgundionum extaret memoria.* Hactenus ille, quod ex MS. codice qui ad ipsum peruenerat se decerpsisse ait.

4. Et verò si diligentiori studio hasce relationes discutio, minus consentire videntur præclaris irrefragatæ fidei autoribus, qui Romanorum imperio incognitum fuisse Burgundionum nomen affirmant; donec illi anno 408. in Gallias erumpentes, Sequanorum Regionem, nunc Burgundiam, Stilicone Honorij Imperatoris exercitui præfecto inuitante, inuaserunt. Itaque secundo marte à Lugdunensi tractu ad Nicæam Prouinciæ vrbem Imperij sui fines dilatarunt, Duce Gondeuo qui primus Burgundionum Rex fuit. Hic contra Attilam pugnans ab Aëtio Valentiniani Imperatoris Stabuli Comite, occisus, hæredem regni secundum Burgundiæ Regem reliquit Gondebaldum, qui neptem suam Clotildem, Clodouæo Francorum Regi vxorem dedit, successorémque habuit Stephanum Burgundionum Regem, ordine tertium. Vix itaque potest intelligi quomodo iam inde ab ipsis B. Magdalenæ temporibus fuerint Burgundionum Reges, in Prouincia, iique tunc fidem Christianam agnouerint, quos teste Baronio, sacro baptismate initiatos constat, non nisi anno 413.

5. Alia item non pauca subiungunt aduersarij, valde in hoc argumen-

to displicere. Ex multis illis, primò fictionem quamdam Hegesippi seu Iosephi nomine, cuius est initium, *In diebus Claudij* præterea illud Constantini Manasses in Annalibus, quos de Græcis Latinos fecit Leuclaius, hæreticus parum fidelis, qui ait Magdalenam Massilia Romam abiisse, ibíque corá Tiberio Pilatum accusasse, ac de nece Christi postulasse iudicio. Similiter Nicephorus & ipse, inquit, Seruatoris Iudex Pilatus, cùm sub Tiberio quod Maria Magdalena Romam adierat, & Seruatoris res ibi retulerat, maximis affectus esse dicitur contumeliis. Cui adstipulatur Cedrenus in compendio. Verùm hæc conficta esse demonstrat Baronius ex Iosepho & Philone de legatione ad Caium, quorum testimoniis liquet, Pilatum multò ante Magdalenæ aduentum in Gallias, miserabiliter periisse, & quidem non à Magdalena, sed à Magistratibus Samaritanorum, apud Vitellium Syriæ præsidem, patratæ cædis accusatum, in ordinem redactum esse, ac Romam missum, vt ibi coram Tiberio Imperatore sua n causam ageret, dato interim ei successore Marcello. Sed antequam is Romam peruenisset, Tiberius ex hac vita sublatus est: à Caio verò Tiberij successore Pilatum in exilium pulsum, & post biennium scilicet anno Christi 40. Caij 2. summa desperatione actum, propria manu sibi necem intulisse, omnes æquè consentiunt.

Niceph.l.2. hist.c.10. Baro.c.an.38. Ioseph.lib.18. antiquit. c.4.

6. Postremò refellit Antoninus, & coarguit eorum mendacium qui aiunt Mariam Magdalenam sponsam fuisse Ioannis Euangelistæ, quam duxisse fertur hoc tempore, quo de nuptiis Christus eum vocauit. *Ex hoc* inquit, *ipsa indignata, quod secundum sponsum suum sibi abstulerat, abiit, & omni voluptati se dedit. Sed quia congruum non erat, vt Ioannis vocatio damnationis sibi occasio fieret, Dominus ad pœnitentiam ipsam misericorditer conuertit. Et qui à summa delectatione carnali eam remouit, ideo ipsam summa delectatione spirituali quæ est in Dei amore, præ cæteris eam impleuit. Quod & de Ioanne quidem fatentur, quod ideo dulcedine sua familiaritatis eum præ cæteris decorauit, qui se à prædicta delectatione remouit.* Hæc autem falsa, & friuola reputantur. Quia Albertus in prooemio super Euangelium Ioannis ponit, quod hæc sponsa, de cuius nuptiis vocatus fuit idem Ioannes in Virginitate permansit: & in societate B. M. V. Matris Christi postmodum visa fuit, & tandem fine bono quieuit. Nec habet verisimilitudinem, vt Magdalena opulenta, nobilis, & pulcherrima, pauperrimo, ignobili & inculto nuberet.

Ant.1. par.tit. 6.c.19.

7. Lege sis Spondanum de horrenda in Christum & Magdalenam Albigensium blasphemia, eiúsque diuina vindicta, vbi expeditionem Francorum aduersus Albigenses describit anno 1209. Primùm, inquit, diuino auxiliante, nec sine miraculis, numine, Biterram vrbem celebrem & copiosam, sed præ cæteris hæresi infectam, & turpitudine ac sacrilegiis, aliísque sceleribus contaminatam vi cæperunt ac concusserunt, cunctis ad internecionem deditis, quorum numerum ad sexaginta vel etiam septuaginta millia peruenisse tradunt: Estque ea in re notandum captam vrbem esse die festo S. M. Magdalenæ die 22. Iulij, atque intra ipsius

Spond. an. 1209.n.8.

Ecclesiæ

Ecclesiam occisa esse septem millia hæreticorum, iustissima diuinæ dispensationis vindicta, quod blasphemarent impurissimè & impudentissimè Albigenses, Magdalenam Christi fuisse concubinam.

8. De his veri & falsi vicinitatibus, & confiniis, ac monstro similibus scripturis, Leo X. Papa ad Toribium Asturicensem Episcopum ita scribit. *Apocryphæ autem scripturæ, quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum non solùm interdicendæ, sed etiam penitus auferendæ sunt, atque ignibus concremandæ: quamuis enim sint in illis quædam, quæ videantur speciem habere pietatis, nunquam tamen vacua sunt vanitatis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, vt mirabilium narratione seductos laqueis cuiuscumque erroris inuoluant.* Hæc Leo quibus conueniunt quæ scribit Augustinus De Apocryphis scripturis, quæ sub Apostolorum nominibus proferuntur, & de historia Thomæ libro vno aduersus Adimanthum. Et in specie De actibus Andreæ Apostoli à quibusdam hæreticis confictis tradidere hoc ipsum, Innocentius ad Exuperium: & Philastrius de Hæreticis.

Leo ep. 91. ad Toribiū c. 15.

Aug. lib. aduersus Adiman. c. 17.

9. Respondeo in iure à Gelasio annumerari etiam Apocryphis, libros qui ab hæreticis aduersus fidem Catholicam scripti fuerint, eósque omnino Leo Papa, Gelasius, Augustinus damnant & improbant, decernentes legendos non esse à Catholicis, quos quidem magis propriè, & vsu vocis, dicere quis possit, libros hæreticos. Iis enim præsertim, qui ex circumcisione prouenerunt hæretici, peculiare id fuit, vt monet Origenes, nouos velut à Sanctis scriptos, effingere commentarios, eisdémque tāquam recens in lucem editis, ad suos errores confirmandos vti. Et quamuis huius conditionis plures in cap. Apocryphorū Gelasius referat, ac nominet: aliorū tamen meminit, qui propriè dici possunt & dicuntur Apocryphi, qui nec hæretici sunt, nec aliquid Catholicæ fidei contrarium docent, sed vt paulò ante obseruauimus, eorum autoritas leuis, miniméque ab Ecclesia & sanctis Patribus probata est, propterea quod falsa quædam & peregrina veris quandoque misceantur aut portentosa narrentur, quæ nec piè nec commodè credi possunt. In quem ordinem, Magdalenæ Massiliensis historiam reiiciunt obtrectatores maleuoli, quamquam vetus alia sit opinio, quæ constet ex antiquis doctissimorum æquè ac religiosissimorum virorum literis & monumentis quos supra laudauimus.

Orig. Tract. 23. in Matth.

Couar. lib. 4. varia. resol. c. 17.

10. Vt vt sit quæro abs re quid repugnantiæ sit, in hac veri & falsi vicinitate & quasi fœdere, quod reprehendis? an quia ærugine maculatur aurum, interpolabitur & excidet? aut quia nubibus obducitur, extingui solem omnino necesse est? Similiter quia rebus præclarè gestis à Magdalena, intertiicuntur dicta fortasse aliqua, confictáque per fallaciam & imposturam, ideo æqualiter omnibus abrogabitur fides? An quia corporis macula, næuus est, licebit hinc, quantum cuique videbitur, vt tollatur næuus, corpus circumcidere, atque amputare? Num animaduertis quod vbi hanc censuræ labem, historiæ Magdalenæ asperseris, eadem eluuione in cæteros quoque plurimos Ecclesiæ Annales dedecus redundabit?

Cùm de ipsis etiam Apostolorum Actibus à D. Luca conscriptis teste Epiphanio, constet ab hæreticis Ebionitis deprauatos, & falsa doctrina infectos fuisse. Ac de Christi Euangeliis, Ecclesiæ autoritate receptis, moneat Gelasius ea ab Hitcio quodam, vel vt alij vocant Esicio ac Luciano fuisse falsata, quem Lucianum ex sorore nepotem extitisse Eumenij hæretici, & Episcopi Constantinopolitani, qui sub Arcadio & Honorio in Episcopatu, Eudoxio successerit, quique hæreticus fuit, Nicephotus affirmat.

Epiphan.lib.1. aduersus hæreses.

Niceph. lib. 3. Cel.

11. Sanè in Ecclesia inualuisse vsu, vt Apocryphi libri, de quibus modò agimus, ac præsertim Sanctorum vitæ, quod in his non de Ecclesiasticis dogmatis fiat disputatio, sed de iustorum moribus, conuersatione, exemplis tantùm agatur, priuatim legantur, & qua in parte boni sunt admittantur, in qua mali, reiiciantur. Testis est Hieron. in Epistola ad Lætam, vbi ait, *Grandis esse prudentiæ aurum in eo luto quærere.* Atque in hunc sensum interpretatur Sanchez illud Hierem. *Si separaueris pretiosum à vili,* id est, si me meáque oracula separaueris à Iudæorum præstigiis atque fallaciis, vt has auerseris, sicuti facis, illa sequaris & exequaris, *quasi os meum eris*, id est, stabis ante faciem meam, accipies à me oracula, verba mea loqueris, erisque quasi os meum, quia non aliter loqueris, quàm vt ego loquerer, aut quàm à me tibi præscriptum est. Hoc ipsum passim apud Augustinum lector obseruare poterit; nam & se Apocrypha legisse idem Augustinus testatur. Quin & Iudas Apostolus, in epistola citat librum Enoch, & eius vtitur testimonio, qui tamen liber Apocryphus censetur, autore Augustino & Hieronymo de scriptoribus Ecclesiasticis, *In Iuda.* Sed & à Gelasio plures Apocryphi censentur, quos tamen scimus legisse veteres Theologos, viros equidem eruditione ac sanctitate insignes, eorúmque testimonio vsos fuisse. Quin & Ecclesia Catholica, aut communis Episcoporum aut Prælatorum consensus permittit etiam nostra ætate legi, quemadmodum Doctores Decretorum exponunt.

Hierem. c. 15. 19.

Aug. ser. 22. de verb. Domini.

12. Simile, non absimili in re, iudicium iam olim fuit Theophili Alexandrini Episcopi, de quo apud Socratem. Rogatus à quodam, cur libros Origenis quos condemnauerat, de integro amplexaretur? Respondit, *Libros Origenis similes esse prato omnibus florum generibus referto:* Idcirco, inquit, *si quid reperio in illis boni, illud decerpo in spinosi quidquam, hoc vtpote aculeis pungens, missum facio.* At verò, vt prudenter annotat Baronius in omnibus eiusmodi scriptis, admirabile planè fuit Dei consilium, qui tum falsa dogmata, tum etiam commentitia scripta, sic in lucem prodi permisit, vt iisdem cognitis ab Ecclesia, atque reiectis, quæ vera & legitima essent patentius innotescerent, probatáque veritas solidiori firmitate subsisteret.

Socrat. lib. 6. c. 15.

Baron. an. 44. n. 26.

CAP

CAPVT XXXVI.

De eodem aduentu plerique veteres siluerunt, autores valde boni.

1. PRimos huius generis ordines ducunt Ado Viennensis, Vsuardus, Beda, Gregorius Turonensis, qui iam olim ante irruptionem illam Sarracenorum in Gallias, præstantibus florentibúsque Magdalenæ reliquiis, centum quadraginta circiter annos, de rebus Galliæ accurratissimè scripsit. Cùm relegit cuiúsque Prouinciæ ac Ciuitatis celebriores in illis positos Sanctos, nesciens Magdalenam adnauigasse Massiliam, & in Aquensi proximo territorio sepultam fuisse, ne nomen quidem eius attingit: cùm verò Massiliam & Aquas-Sextias percurrit, qui in iis celebriores habentur Sancti, Victorem Massiliensem Martyrem nominat, & Mitrium Aquensem, nec clariores in iis ciuitatibus, alios agnoscit.

§. I.

Quàm facile simili argumento nouas Strophas concinnare.

2. DIcam cùm Augustino, *Videte acumen? Sed vitreum. Quantum lucet vanitate? sed frangitur veritate.* Vt autem appareat quàm non fuerit idoneum, imo quàm sit intutum ex argumentis id genus purè negatiuis concludere, expensum velim quàm multa ex iis, presertim in historiarum ordine serieque causarum, necessariò sequerentur absurda. Ac primum eo nomine Baronius in Onuphrium, & quosdam alios recentiores animaduertit, qui nullam prorsus habentes rationem veterum Patrum, & Ecclesiæ antiquæ traditionis, quæ sunt omnium stabilita consensu, intentes, & inaudita hactenus, ac noua statuentes, affirmare conati sunt Antiochenam Ecclesiam, post Romanam fuisse à Petro institutam, ea tantùm ratione persuasi, quod tam ex Actis Apostolicis, quàm ex epistola Pauli ad Galatas constare aiunt Petrum nunquam ex Iudæa excessisse. Sed vbi hæc Lucas? & quo in loco Paulus affirmat? Certè nullibi prorsus, nisi fortè dicere velint, quoniam neuter prædictorum, de accessu Petri Antiochiam meminisset, idcirco è Iudæa non recessisse, probari. Leuis admodum, atque nullius planè ponderis argumentatio, sed peculiaris nostrorum temporum nouatoribus, qui in promptu habent, vt negent quicquid in scripturis non reperitur expressum. Sed quis est, qui dubitet de rebus gestis Apostolorum; permulta esse à Luca prætermissa? Quod cùm ex multis aliis, tum etiam ex Pauli epistolis, vt suis locis videbimus, sæpè demonstrabitur

Aug. ser. 11. de verbis Apost.

Baro. an. 39. n. 8. Onufrius in addit. in Platinam.

Ad Galatás c. 2.

Hieron. in epist. ad Gal. c. 2.

demonstrabitur. Idque Hieron. manifestè satis testatur his verbis, cùm asserit. *Permulta quoque alia grauissima fuisse à Luca prætermissa, nec mirum esse, si Lucas hanc rem tacuerit, cùm & cætera multa quæ Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentia prætermiserit, neque esse contrarium si quod alius ob causam, dignum putauit relatu, alius inter cætera dereliquit. Denique primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde translatum, quod Lucas penitus omisit.* Hæc Hieron. Certè quidem si quis Historiæ Actorum à Luca scriptorum, assueuit, atque ea omnia, recta temporis ratione digessit, inuenisse certum est ipsum in scribendis actis Apostolorum, illud iniisse consilium, vt res quibus præsens non adfuit vel omnino silentio obuolutas relinqueret, vel plurium annorum spatia vnius ferè periodi sententia perstringeret, quibus verò interfuit cuncta sigillatim atque accuratè conscriberet.

3. De S. Alexio suspicionem mihi maiorem, veterum historicorum omnium illius temporis, quo vixisse dicitur, Innocentio primo summo Pontifice, & Honorio Imperatore, taciturnitas afferret, cùm tamen eius res gestæ, maiorum verbis mandata traditione dumtaxat, recentioribus Latinis & Græcis notissimæ, ac certissimæ habeantur. Recitat eas Mombritius, Petrus Equilinus, Beda, aliíque complures. De Græcis autem eadem edidit Metaphrastes, quæ referunt Lipomanus & Surius, in nonnullis tamen corrigenda.

Mombritius tom. 1. Petrus l. 6. catalo. c. 107. Lipom. tom. 7 Surius tom. 4.

4. Apparitionem S. Michaëlis in monte Gargano, factam esse sub Gelasio Romano Pontifice anno Christi 492. res est tota Ecclesia celeberrima, atque notissima; de qua tamen, vix ante quingentos ab hinc annos meminisse, & commemorare cœperunt historici, Sigebertus & Petrus Damianus scriptorum integerrimus, qui narrat Othonem Imperatorem, Roma ad montem Garganum, nudis pedibus perrexisse, idque monitu Sancti Romualdi, vt crimen paulò ante commissum ea corporis afflictatione expiaret.

Petrus Damian. in vita S. Romu.

Tursell. l. 1. hist. Lauret. c. 16.

5. Aedis Lauretanæ famam, ex suspicione huius taciturnitatis, & ex omni hominum sermone vendicat Tursellinus noster: quippe ad ætatem vsque Pij secundi, per annos centum omnino sexaginta, ex quo demigrarat in Italiam, Piceni finibus se fermè tenuerat: in finitimas ac longinguas regiones vix tenuis quidam & obscurus manauerat rumor, vt mirum cuipiam esse non debeat, sacrosanctæ domus inde vsque à Galilæa in Italiam translatæ famam, neque ad S. Vincentium Ferrerium in Hispaniam Auenionensi Schismate implicatam, occupatámque insuper religione montis Serrati, neque ad S. Antoninum, aliósque Etruscos superiorum temporum scriptores, in Etruriam ciuilibus ardentem bellis; inter strepitum fragorémque armorum penetrasse. Quæ profectò causa fuit, cur S. Vincentius veterem famam secutus, in quodam sermone B. Virginis, Domum in Galilæa tum esse dixerit: D. verò Antoninus & cæteri illo antiquiores historici Etrusci nullam omnino de Lauretana domo fecerint mentionem, memorandæ videlicet eius in Italiam translationis ignari. At Blondus illorum ferè æqualis,

æqualis historicus, vt assecla Pontificis, qui rei esset satis gnarus, illustre, Lauretano templo testimonium dedit. De transportata autem diuinitus Lauretana domo, idcircò fortasse nullum verbum paulò antiquiores historici fecere, ne vana, & incredibilia afferre viderentur. Quippe cùm tam inusitatum, & à condito æuo inauditum miraculum nondum Pontificia autoritate firmatum esse constaret.

6. Sic in Euangelica historia obseruandum, quod apud vnum aliquem Euangelistam factum aliquod narratur, quod videtur ab alio Euangelista recitatum, ex parte tamen aliqua dissonare, ita vt dissolui nodus non possit. Dicendum tamen est in diuersis locis, & temporibus, vel dictum vel factum esse, & vtcumque Euangelistam verum dixisse. Hinc genealogia Matthæi diuersa est, non contraria illi Lucæ. Nihil enim obest Euangelicæ veritati, si vnus cómemorat quod alter tacet. Hinc Augustinus in illud Ioannis. *Hæc cum dixisset Iesus egressus est cum discipulis transtorrentem Cedron. Sed alia*, inquit, *quædam sunt interposita, quæ à Ioanne prætermissa apud alios Euangelistas leguntur. Sicut apud hunc inueniuntur multa, quæ illi similiter in sua narratione tacuerunt. Quomodo autem inter se omnes conueniant, ne veritati, quæ per alium promitur, ab alio repugnetur, quisquis nosse desiderat, non in his sermonibus, sed in alijs laboriosis litteris quærat.* Itē illud Lucæ *Duo ex discipulis eius erant. Quod sæpè admonendi estis, & memoriter tenere debetis: non vos debet mouere quod alius prætermittit, quia & ille qui prætermittit quod alius dicit, dicit aliquid quod ille prætermiserit. Aliqua verò singuli dicunt, alij tres non dicunt: aliqua duo dicunt, alij non dicunt: aliqua tres dicunt, & vnus non dicit, autoritas autem tanta est Euangelij sancti, vt quia in eis loquebatur Spiritus vnus, verum sit etiam quod dixerit vnus. Hæc ergo quod modò audistis, quia Dominus Iesus posteaquam resurrexit à mortuis, inuenit duos in via ex discipulis suis colloquentes inuicem de his quæ contigerant, & dixit illis,* Qui sunt sermones isti quos loquimini vobiscum, *& cætera: solus dicit Lucas Euangelista, breuiter hoc attigit Marcus, quia apparuit duobus in via: sed quid illi dixerint Domino, vel quid eis dixerit Dominus, prætermisit.*

Ioan. cap. 18. August. tract. 112. in Ioan. initio.

Lucæ. cap. 24. August. serm. 140.

7. Plenè item atque optimè ad eamdem mentē disputat Chrysost. *Verùm è contrario*, inquit, *ista res accidit: in multis enim diuersi inter se inueniuntur, ac dissoni. Imò hoc ipsum maximum testimonium est veritatis. Si enim ex toto & in omnibus consonarent, & cum nimia diligentia atque cura, atque ad tempora, ac loca omnia, vsque ad singula æqualiter verba concurrerent, nemo inimicus credidisset vnquam, quin illi communi ad decipiendum consilio congregati, quasi ex humana quadam conspiratione Euangelium condidissent. Non enim simplicitatis fuisse tam sollicitam consonantiam indicarent. Nunc verò quæ videtur in rebus exiguis dissonantia, ab omni illos suspicione defendit, & satis clarè scribentium existimationem tuetur. Si verò aliquid de temporibus ac locis variè dixerunt, nihil quidem dictorum præiudicat veritati. Sed tamen prout donauerit Deus progredientes, etiam ista declarare tentabimus: illud post hæc quod diximus postulantes, vt diligenter notetis, quod in illis principalibus causis, in quibus & vita nostra & prædicationis summa consistit, nusquam aliquis illorum vel in minimo discre-*

 pare.

pare conuincitur. Quæ verò ista sunt? nempe quod Deus homo factus sit, quod mirabilia operatus, quod crucifixus, quod sepultus, quod resurrexit, quod ascendit in cœlum, quod iudicaturus est, quod salutaria præcepta constituit, quod non contrariam legem intulit priori, quod filius Dei est, quod vnigenitus, quod Germanus & verus, quod eiusdem cum Patre substantia, & quæcumque sunt talia. In his quippe omnibus maximam illorum inueniemus esse concordiam. Si verò in miraculis non omnes omnia dixerunt: sed hic quidem illa, alter verò alia narrauit; nihil te omnino conturbet. Nam si vnus vniuersa dixisset, superfluus iam fuisset numerus cæterorum: sin varia omnes inter se scripsissent, ac noua omnia, nullum potuisset conuenientiæ apparere documentum. Propterea & communiter multa dixerunt, & nihilominus quisque proprium aliquid & speciale conscripsit, vt neque superfluus esse videretur, & temerè adiectus ac simul veritatis dictorum exactum præberet nobis indicem.

§. II.

Quàm malè quosdam de autoribus, pro se protulerit aduersarius.

8. COmmuni igitur & Patrum & Historicorum omnium suffragio, fixum esto, non admodum referre ad historiæ fidem atque autoritatem, cùm vnus aliquid prætererit, aut missum fecerit, quod alij plures literati & eruditi affirmant. Id autem minimè omnium tribuendum esse Gregorio Turonensi, in eius Historia Francorum perspicuum est, quod non solùm de pluribus Galliæ singularibus rebus parum accuratus omittat, sed etiam quod in nonnullis lapsus sit per errorem, vt aduertit Baronius: nam de tempore obitus Hilarij longè à vero, tum ipse, tum Seuerus Sulpitius aberrant; ille dum ait anno secundo Valentiniani, & Valentis Imperatorum mortuum esse; iste verò dum tradit, anno sexto postquam idem S. Hilarius rediit ab exilio Orientis in Gallias diem obiisse; secundum quam quidem rationem eum anno secundo dictorum Augustorum esse defunctum dicere oporteret. At cùm ex nuper recitato Auxentij libello constet, post decimum annum à Concilio Ariminensi, hoc nempè Domini anno, Hilarium Mediolani aduersus Auxentium stetisse, satis perspicuè demonstratur, ipsum ad hunc vsque saltem annum fuisse superstitem.

Baron. an. 369. §. 22.

9. Aliàs vbi de tempore obitus S. Ambrosij anno 397. Habes, inquit, vnde redarguas Gregorium Turonensem, dum tradit ante S. Ambrosium defunctum esse S. Martinum, quem decessisse ait hoc eodem anno, iisdem Cæsario & Attico Coss. Sed in vtroque ipsum errore lapsum, satis in Notis ostendimus: & de anno obitus S. Martini, exactè habito eius vitæ annorum calculo, superius tertio Annalium tomo demonstratum est, dum de eius natali & à militia discessione pluribus disseruimus. In Notis verò quas commemorat in diem vndecimum Nouembris contra Gregorium Turonensem,

nensem sic scribit. Quibus omnibus redarguuntur ea etiam quæ idem Gregorius scribit de Ambrosio, quod per visum interfuit neci S. Martini: nam ex prædictis constat ante S. Martinum obiisse S. Ambrosium qui Cæsario & Attico Coss. an. Domini 397. est defunctus. In his enim plus esse deferendum Sulpitio Seuero eius discipulo, quàm cæteris omnis ratio persuadet. Et ibidem pridie Nonas Aprilis. Hæc de tempore, inquit S. Ambrosij obitus, quibus si aduersari videas Gregor. Turonensem, nihil vltra habemus dicere, nisi quod non plus illi tribuo, quàm illi concedat Hilduinus vir eruditus in Areopagiticis ad Ludouicum Pium Imperatorem.

10. Cornelius à Lapide: Rursum, inquit, Gregorius Turonensis teste Haymneo narrat, Stellam quæ tribus Regibus apparuit in Oriente cecidisse in puteum ibique etiamnum videri, sed non nisi à Virginibus: vnde cùm tres viri, inquit, ad eam inspiciendam venissent vnus solus qui erat Virgo illam vidit, sed cæteri duo, quia non erant virgines, illam non viderunt. Verùm hæ næniæ sunt & fabulæ ait S. Anselmus. Cornel. in c. Matth. v. 2.

Ex Adonis, Bedæ, & Vsuardi silentio, quod perperā arguitur Magdalenā in Gallias adnauigasse. Verè insania falsa, nam quia Martyrologium Rom. eodem die cui adscribit Massiliæ natalem B. Magdalenæ, censet etiam S. Theophilum prætorem in Cypro, & S. Iosephum Scytopolitanum, quos tamen, & alios quamplurimos Ado, Beda & Vsuardus, in suis Martyrologiis prætermittunt, sequeretur, istos, tanquam fictos & commentitios Gentilium Heroes tabulis Ecclesiasticis esse proscribendos. Quin etiam ipsi iidem inter se autores haberent suspicionem periculi. Beda enim Adoni, & Vsuardus Hieronymo simul ac Bedæ attexit nonnulla, addítque de suo, vt his verbis testatur Vsuardus in epistola ad Carolum Magnum Francorum Regem. Venerabilium Hieronymi & Bedæ Presbyterorum piis, quamuis succinctis super hoc prouocabar scriptis, quorum prior breuitati studens, alter verò quamplures Kalend. dies intactos relinquens, multa inueniuntur huius operis preteriisse necessaria, quos tamen sequutus censui & Flori memorabilis viri latiora iam in eo ipso negotio prosequi vestigia, præsertim in secundo eius libro. Ibi enim multa quæ in priore omiserat & correxit & addidit, ac si quid præter quod ab illis accepi in hoc opere actum, vel mutatum est, sagaci à me indagine id acquisitum agnosci poterit. Hæc autem non quassa modò, sed & funditus euersa omnia, rationis tuæ macchinis, iacere oporteret in sordibus ac ruinis, si veterum Martyrologiorum commentationes huiusmodi sunt, vt ad earum partem aliquam cogitationes nostræ adiungi non possint.

CAP

CAPT XXXVII.

Opinio eorum qui iactant Magdalenæ reliquias Sanmaximino Viceliacum asportatas fuisse.

1. NOn est à nobis prætereunda sine disputatione opinio, cuius præstigiæ & argumenta captiosa Latinos Historicos non paucos multis erroribus implicuere, vt priuati Burgundionum Annales & monumenta antiquitatis loquuntur. Sigebertus qui aliquam partem, narrationem hanc nostram & ipse interpellauit & aliis interpellandi dux atque autor fuit, vnde ei magna cum cæteris Chronologis diffidia, studiosissimè contendit Magdalenæ reliquias anno Christi 745. à Gerardo quodam Burgundiæ Comite ad Cœnobium Viceliacum ab ipso Gerardo constructum fuisse translatas, cuius verba dedimus supra, exactiùs verò copiosiùsque res tota descripta habetur in Breuiarij Lectionibus ad vsum Ecclesiæ Narbonensis in hunc modum.

2. *Quoniam diuinæ placuit miserationi, vt præsentia corporis B. Mariæ Magdaledæ, Occidentalis plaga illustraretur, largiente Domino Saluatore aggrediemur exponere qualiter eiusdem Dei dilectricis sanctissima gleba ex Aquensi territorio Prouinciæ, ad locum in quo hodie pia fidelium deuotio eam veneratur à viris religiosis translata sit. Anno igitur passionis vel resurrectionis Dominicæ plus minus 849. regnante Ludouico piissimo Regum, necnon & filio eius Carolo viguit pax atque progressus Christi Ecclesia in orbe terrarum præter infestationes gentis Sarracenorum, quæ fiebant præcipuè à partibus Hispaniarum. Eo quoque tempore partem maximam totius Burgundiæ Gerardus Comitum nobilitate & armis, copiâque diuitiarum præstantissimus, ac prædictorum Regum affinitate proximus iure hæreditario possidebat, cui erat vxor nomine Berta non dispar natalibus, admodum moribus egregia, qui scilicet prole sexus vtriusque destituti, res proprias larga manu Deum timentibus eiúsque pauperibus impendebant. Dehinc omne patrimonium suarum possessionum ad Ecclesiarum domos omnipotentis Dei construendas summa cum deuotione transmiserunt. Cautiori denique vtentes consilio, & pro carnali prole Christum sibi eligerent hæredem, ædificantes autem quamplurimas Ecclesias ac Monasteria in suis latis fundis in quibus nondum fuerant, stabiliunt in eisdem Deo famulantes quamplurimos Religiosos viros, ditantes eos ex rebus propriis, vt absque vlla penuria regulariter degerent. Sub eodem quoque tempore tam à Rege Francorum, quàm ab eodem Gerardo Comite Ioannes Papa Roman accersitus deuenit in Gallias. Hic inter cætera celebria opera quæ exercuit, Monasteria quæ ideo Gerardus Comes ædificauerat eiusdem precatu in honorem Dei, & eiusdem genitricis Mariæ, sanctorúmque Apostolorum Petri & Pauli consecrauit, qui Romam regressus multorum pignora Sanctorum ob amorem prædicti Comitis ad loca quæ consecrauerat transmisit, post aliqua*

aliqua verò temporũ curricula deficiẽte Regum Francorum valetudine cepit gens à transmarinis partibus per vniuersam Galliã clades exercere tam in cædibus hominum, quàm in prædationibus rerum ac concremationibus domorũ, Ecclesias quoque ac Monasteria dissipans ignis consumpsit. Tunc denique inter cætera, Monasterium Viceliacense, quod à prædicto Comite Gerardo tunc cæteris, vt præmisimus, iamdudum iuxta Chore fluuium constructum fuerat, permissum est solo tenus destrui. Post hæc verò ob defensionis tutelam in altissimo colle, qui iuxta eminebat, ab eodem Gerardo conuenientissimè reædificatum est, quod etiam vocabulo ex eiusdem loci honorificè congruit, dicitur enim Viceliacus, quòd ex inde videatur amplissimum cœli latus. Potest intelligi vbi verò reædificatum est, vt primitus in honore genitricis Dei Mariæ, & SS. Petri & Pauli fuerat innumerabilibus signis & virtutibus Deo operante claruit &c.

3. Idipsum tradit Antoninus. Desolata inquit, à Sarracenis vrbe Aquẽsi, corpus beatæ Mariæ Magdalenæ à Gerardo Comite Burgũdiæ ad Cœnobium Vinceliacum à se constructum transfertur, quamuis aliqui scribant, quòd apud Ephesum requiescat, nullum super se tegumen habens. Anton. 1. p. tit. 14. c. 2. §. 4.

4. Vincentius Bellouacensis. Porrò quando de vrbe Aquensi translatum est corpus sanctum, inuentum est in sepulchro suo omni ex parte integerrimum, cute etiam integerrima superductum, manibus pectoris impositis ex more, iacens extensum, quam scilicet sacram glebam frater Badilo Viceliacensis Cœnobij, qui ad hoc ipsum ab Abbate Vdone & Gerardo Comite illuc directus erat, vt si quod inuenire pignus posset reuertens ad illos deferret. Integerrimum, vt dictum est, reperit, & odor ineffabilis inde efferbuit, cui scilicet Badiloni nocte sequenti visum est, se aspicere quamdam religiosissimam candidissimis vestibus indutam, satis accuratè à capite circumamictam dicentem sibi. Ne formides quoniam eumdum est nobis vnà tecum ad locum à Deo prædestinatum. Manè ergo facto secretò suos conuocauit, & corpus sacrum pannis inuoluens mundissimis, vehiculo imposuit. Pergentes autem, cùm ad milliarium præfati Cœnobij peruenirent, cœpit sacrum corpus tanto pondere deprimi, vt quamtumlibet plurimi accederent, nullatenus inde efferre valerent, donec fratres audito eorum aduentu & impedimento itineris cum thuribulis & crucibus, accensisque cereis in albis occurrerunt, cunctique sese humi prostrauerunt omnipotentiam Dei & ipsam amicissimam Iesu Christi Mariam attentiùs obsecrantes, vt glebam sui corporis à loco illo ad Monasterium deferri permitteret. Itaque ab oratione surgentes tanta agilitate peruexerunt, vt magis ipsi portari, quàm portare aliquid viderentur, sicque cum exultatione summa, melodiis Monachorũ resonantibus, tinnulisque signorum perstrepentibus intromiserunt corpus in Ecclesiam, Sanctæ Dei Genitricis, & BB. Apostolorum Petri & Pauli honore à principio consecratam, atque ibi honorificè, vt decebat, reposuerunt 14. Kal. April. Bellou. lib. 24. c. 152.

5. Expressit Claudius à Rota in suis Legendis hunc Vincentij locum, vt alia ex eo pleraque, nisi quod in ratione temporum Carolo Magno regnante, factam translationem hanc esse affirmat, quam ad supe-

fungeretur se accepisse ait, quando venerandum eius corpus apud Vezeliacum Monasterium requiescens; præsente Ludouico Rege, Prælatorum, aliorúmque fidelium multitudine numerosa de plumbeo sepulchro, in quo adhuc humiliter existebat, in thecam argenteam celebri solemnitate transtulit, eamdémque Costam ornatu insigni à se decoratam mittere se ad illos ait, ob singularem venerationem, qua Clerus & populus Senon. eamdem Sanctam coleret. Indulgentias etiam centum dierum impertiens eis qui in die festiuitatis eiusd. Sanctæ, ad eam Ecclesiam accederent, quadraginta verò eis qui infrà cæteros festiuitatis dies. Est autem Vezeliacum oppidum Diœcesis Æduensis, siue Augustodun. in quo nobile erat Cœnobium Monachorum Ordinis sancti Benedicti, posteà ad sæculares clericos transcriptum. Translatum verò fuisse illuc corpus Sanctæ Magdalenæ à Gerardo Comite Burgundiæ & Prouinciæ, Sigebertus scribit ad annum Domini 745. quod iam confirmari à Martino Pontifice videmus, & creditum antea fuisse ab Innocentio III. ex aliquot eius Epistolis de eo Monasterio scriptis, quæ continentur libro primo, intelligitur: vbi inter alia priuilegia ei collata concessit, vt in translatione B. Magdal. intra quadragesimam liceret cantare in Missa, Gloria in excelsis Deo. Verùm is Papa perperam testis adducitur, quantùm enim ex accurata eius operum lectione colligere potui, de reliquiis Magdalenæ Vizeliacensibus, mutæ omnino sunt eius literæ recèns editæ in lucem, opera Francisci Bosqueti Narbonensis, Tolosæ anno 1635.

10. Fastis Ecclesiæ Senonensis, Costæ huius susceptionis solemnem diem inscribi 18. Kal. Decemb, commeminit Saussæus in Martyrol. Gallic. *Ipso*, inquit, *die; Senonis susceptio Costæ S. Mariæ Magdalenæ, cuius cùm ex Aquensi sacrario veneranda pignora diuino nutu, ductum ad Vezeliacense in Burgundia Monasterium fuissent transuecta, ex his deinde Costa autoritate Martini secundi, aliàs quarti Papæ, decerpta religioso munere ab ipso Senonensi Ecclesiæ Metropolitanæ concessa est, in qua abhinc deinceps condigno cultu seruatur.*

CAPVT XXXVIII.

Refellitur & coarguitur mendacij.

1. VT propositæ quæstionis difficultatem enodemus, vtriusque sententiæ fundamenta paulò explicatiùs proponenda sunt.

2. Anno 717. vt habet vetus Chronicon à Pithœo editum, Pipini patris regnum in Gallia, Carolus, cognomento Martellus, siue Tudes excepit, Chilpericum Regem, & Raginfredum (quem ipse Rex Chilpericus Maiorem Domus, vel Magistrum Equitum creauerat) lacessere ausus, ab iis primùm victus, postea superior fuit, eosdémque, Ducis

Sextlis Magdalenæ reliquias asportasse; Alij sponte, aut arcano Dei instinctu: Alij suasoribus Comite quodam Burgundiæ, simul & Abbate Vizeliacensi, Badilonem suscepisse hanc peregrinationem. Alij Magdalenæ corpus integerrimum alij ossa duntaxat & cineres reperisse aiunt. Balduini testimonium in hanc rem supra legimus ex Chronico Cameracensi. At reliqui omnes persuasum habent quod Aquensis vrbs tunc à Sarracenis desolata, corpus Mariæ Magd. à Gerardo Comite Burgundiæ, ad Cœnobium Vizeliacum à se constructum, suasu Eudonis Abbatis, & opera Badilonis cuiusdam Monachi translatum fuerit, atque opinionis suæ præsidium in miraculis adductis, & Summorum Pontificum consensu & approbatione maximè collocant: id quod breuiter in hunc modum refelli potest.

5. Veritatis indicium non tam ex rei, absolutiùs præcisiúsque spectatæ æstimatione, quàm ex quibusdam ipsi accedentibus affectionibus, ac rationibus oriri, pro certo, & ex communi quadam hominum opinione dicunt periti omnes Historici; nempè si tempora, si loci natura, si ratio administrationis, si numerus certus, aut conditio hominum diligenter & rectè scribantur: præter res gestas, quæ in primis narrandæ suscipiuntur. Nusquam verò minus aptè inter se cohærent ac nituntur Vizeliacæ machinationis huius contra nos, autores & fautores, quàm in ratione temporis digerenda. Codex Narbon. Gerardum Burgundiæ Comité vixisse, & reliquiarum hos quæstus prædámque fecisse affirmat Ludouico Pio Imperat. anno partæ salutis 849. quo tempore nullum sedisse Pontificem Roman. nomine Ioannem ex Annalibus Ecclesiast. liquidissimè constat, de quo tamen idem meminit Codex citatus Narbon. Vincentius & Antoninus centum ab hinc retrò annis exactis Constantini Copronymi sæculo inseruere Imperij eius anno 4. & Christi 744. 13. Kalend. Aprilis. Claudius à Rota reiicit ad ætatem Caroli Martelli, Pipini patris regno suffecti quod auspicatus est, anno 768. Paradinus rursum aduerso Chronologiæ gradu ad superiorem reducit annum 749. Zachariæ Papæ VIII. Constantini Copronymi IX. Alij teste Bernardo Guidonis, iisdem quidem regnantibus Zacharia & Copronymo rem gestam volunt, sed anno Zachariæ sexto, Copronymi VII. Christi 742. In quibus ita variis, & discrepantibus sententiis omnia quæ solent esse indicia & vestigia mendacij, nemo Græculus, nemo planè tam ineptus est, qui ambigat.

6. In definiendo item loco æquè implicati hærent, quòd perspicuè falsum esse constet Magdal. corpus in Aquensi vrbe sepultum fuisse, supra enim demonstrauimus, licèt ibi demortuam, perpetuo tamen tumulo conditam Sanmaximini, vbi ædes dedicata est eius nomini, & solemnibus exequiis Christiano ritu cohonestatam fuisse. Esto igitur Gerardus ille Burgundiæ Comes Aquas Sextias aliquando peruenerit, quî fieri poterat, vt Magdal. reliquias, illinc vbi præsentes non aderant, abduceret. Præterea idem suadetur, vt prudenter monet Bern. Guidonis; quoniam translatio de prædicto loco, tumulo, alabastri apud Vizeliacum scribitur facta fuisse anno Domini 745. aut circiter, & in sepultura superius Guidonis 4. part. Sanctor. de S.M.Magd.

 posita,

posita, quæ iuxta corpus S. M. Magdal. fuit inuenta in priori Cartello vetustissimo legatur, translatum fuisse corpus B. M. Magdal. de sepulchro suo alabastri in aliud marmoreum, amoto corpore Celidonij vt secretius esset, relinquitur quod per plures annos antea transpositum fuerat de tumulo Alabastri, & ita tempore translationis Vizeliac. non erat, ibi sed alibi.

Greg. Turon. lib. 11. c. 109. 7. Tertiò fictè omnino ac fallaciter obtrudi videtur hoc temporis Comes ille Burgundiæ: nam per id tempus vt Autor est Gregorius Turonensis, vel Autor appendicis ad eius libros de gestis Francorum, Burgundiæ Ducis Satrapia, non alios quàm Carolū Martellū, qui eam subiugarat, vel instituit, aut passus est institui Comites Imperij socios, qui Eudone Aquitaniæ Duce extincto, totam illam Regionem sub suum dumtaxat regnum, ditionémque Francorum subiunxit. Egregius, inquit, bellator Carolus Princeps, regionem Burgundiæ sagaciter penetrauit. Post, fines laudibus suis, probatissimis viris, industriis ad resistendum gentibus rebellibus & infidelibus statuit. Pace parta Lugdunum in Gallia suis fidelibus tradidit. Firmata fœdera iudiciaria, regressus est victor fiducialiter agens, in illis quippe diebus Eudo Dux mortuus est, hæc audiens præfatus Princeps Carolus, inito concilio Procerum suorum, denuò Ligerim fluuium transiit vsque Garumnam, vel vrbem Burdegalam, vel Castrum Blauium veniens occupauit, illámque Regionem cœpit ac subiugauit, cum vrbibus, ac suburbano Castrorum. Victor cum pace remeauit opitulante Christo Rege Regum ac Domino Dominorum. Itaque sagacissimus vir Carolus Dux commoto exercitu ad partes Burgundiæ dirigit, Lugdunum Galliæ vrbem; maiores natu atque præfectos eiusdem Prouinciæ suæ ditioni reipub. subiugauit vsque Massiliensem vrbem, vel Arelatum, suis iudicibus constituit cum magnis thesauris & muneribus in Francorum Regnum remeauit in sedem Principatus sui.

Denuo curriculo anni illius mense secundo, prædictum Germanum suum cum pluribus Ducibus atque Comitibus commoto exercitu, ad partes Prouinciæ dirigit Auenionem vrbem venientes. Carolus properans accessit, cunctámque regionem, vsque littus maris magnæ suæ dominationi restituit, fugato Duce Maurонte impenetrabilibus tutissimis rupibus, maritimis munitionibus, præfatus Princeps Carolus cuncta sibimet acquisita regna victor regressus est, nullo contra eum rebellante.

8. Deinde parum inter se aut admodum nihil cohærent in Sigeberto extrema cùm primis, tunc enim Aquensi vrbe á Sarracenis, vt ait, desolata, quæ causa fuit Gerardo Comiti, cur vel ipse per se vel alius quisquis fuerit eius nomine, inter tot armorum tumultus, & prædonum frequentissimas atque infestissimas grassationes tam longinquum, & periculosum iter susciperet? Sed quo apparatu, ornatúque, an splendido & magnifico, vel obscuro simul atque ignoto; ditissimus Comes spectandum in aliena regione se præbuit? Quo indicio peregrinus & hospes detexit arcanum, quod ipsos etiam lateret incolas atque habitatores? Qua arte defossum in frequenti

frequenti Monasterio Sanmaximinensi, thesaurum Cœnobitarum qui aderant, omniúmque Prouinciæ ordinum virtute ac vigilantia singulari seruarum, dolóne malo incautis surripuit? an furoris & violentiæ impetu spoliarit rebelles? Sed quæ tanta audacia Prouinciam vniuersam fidei ac clientelæ Caroli Martelli nuper vindicatam, vi irritare ferróque lacessere?

8. Nam quod nuperi susurrones fabulati sunt, Magdalenæ reliquias quasi Martelli ipsius dono ac munere Gerardo commendatas fuisse, legendis, ne dicam refellendis huiusmodi scriptorum gerris tempus pendere religio fuerit: inclusas siquidem illas & absconditas in occulto latuisse Carolum certissimè concluditur, ex citatis Annalibus Gregorij Turon. siue Appendicis, in quibus Caroli res gestas studiosissimè prosequutus autor, de Magdalenæ reliquiis narratione supersedisse, aut potius siluisse omnino visus est; de quo tamen non prætermisisset dicere, inter tot laudes Christianissimi, & religiosissimi Principis, si tunc surrexisset aliqua fama & de Cœnobio Vezeliaco feruenter loqui cœptum esset. At neque veterum, neque recentiorum vllus planè reperitur, qui huic non Historicorum iudicio, sed delirantium somnio subscripserit. Vides ergo vt sacrilegi furti ac latrocinij fautores, dum expedire sese volunt, legum ac iudiciorum laqueos induant, eorúmque loquacitas paucissimis interrogationibus irretita retardetur.

§. II.

Obiter de reliquis male ab Aduersario adductis.

9. AD eas rationes, quibus probari videbatur veras Magdal. reliquias Vezeliacum asportatas haberi, ita respondendum est. Quòd permulti eiusdem nominis fuere Sancti, vt de Antoniis liquet in fastis Eccles. Antonius Ægyptius, cognomento Magnus, cuius 17. Ianu. agitur natalis: Antonius Episcopus Constantin. 12. Febr. Antonius Martyr Alexand. eiusdem 14. Antonius Lusitanus, cognomento Patauinus 13. Iun. Antonius Martyr African. 23. Sept. Antonius Ancyræ Martyr 7. Nou. & sic in aliis potest accidere: fuere enim tres Augustini, Bernardi quatuor, Athanasij quinque. 13. Antonini, Cyrilli 12. 18. Dionysij, tres & 30. Petri, vnus verò supra 40. qui Ioannes nuncupantur, vt quilibet in Græcorum Menologio & Latinorum Martyrol. potest aduertere: atque ita quod ad Sanctum aliquem pertinet, sæpè alteri eiusdem nominis tribuitur.

10. Sigillatim sex veteres scriptores rerum Germanicarum in magno Chronico Belgico nostram de Magdalena multiplici controuersiam sedadandam esse opinati sunt in hunc modum. Liquet igitur ex præmissis sine contentione ac æmulatione ac inuidia iudicando, quòd id quod scribitur in multis locis & Chronicis, corpus nimirum sacrum B. M. Magd. à Gerardo Comite Burgundiæ apud Vizeliacum à se constructum fuisse translatum

translatum temporibus Constantini V. Imperatoris filij Leonis III. & Zachariæ Papæ sub anno Domini 745. si fides debita debeat præscriptis adhiberi, non possit veraciter accipi de corpore Magdalenæ, sed de alio aliquo corpore, vel de aliqua forsitan eius parte.

11. Idipsum Syluester Prieras, oracula cœlitus à Magdal. Carolo II. Regi edita recensens ita confirmat. Cùm instante bello quoddam corpus meum de meo sepulchro sublatum, & loco eius aliud suppositum fuisset, vt fallerentur inimici, si meum corpus asportare voluissent, ita factum est, vnde adhuc eo in loco iacent reliquiæ meæ, aliis loco earum sublatis, illuc perge, & eas talibus signis inuenies.

Baron. in notis Martyro. 29 Aug. Aug.

12. Quo sensu traductionem capitis S. Ioan. Baptistæ, benignè interpretatur Baronius, cùm Alexandria translatum esse dicitur in Gallias, non enim Baptistæ fuit, sed alterius Ioannis M. qui olim cum Cyro illic passus, illustrissimus habebatur, quorum acta ex antiquis monumentis Metaphrastes descripsit die 31. Ian. quæ recitant Lipomanus & Surius. Erat ille Ioannes patria Edessenus, sepultúsque vnà cum Cyro, cuius domus mutata est in Ecclesiam nomine Trium Puerorum erectam, vt eadem Acta testantur, quæ quidem concinnitatem quamdam cum iis quæ illic scribuntur de translatione capitis, ac Trium Puerorum, simul cum capite conditorum habere videntur.

Lip. m. tom. 5. Surius tom. 1.

Martinus in Chron. c. 116. Basil. in 40. Martyres.

13. Aliter tollit astutias, & complicatam nominis notionem euoluit Martinus Polonus in Chronico, scilicet potuisse aliquot partibus dumtaxat reliquiarum è Lypsanotheca Sanmaximinensi tanquam munere donari Vizeliacenses, quemadmodum Æduensibus de facto mirificè conuenit cum Massiliensibus, quos inter, Sancti Lazari reliquiæ communicatæ sunt. Ratio ducitur imprimis ex singulari populorum in sanctos, sed præsertim in Apostolos & Christi discipulos ac Martyres pietate, vt Diu. Basil. annotauit: Hi sunt, ait, qui nostram obtinentes regionem quasi quædam turres contra aduersariorum incursus refugium exhibent; nec vno in loco sese clauserunt, sed in multis locis hospitio recepti multorum patrias ornauerunt: nec tamen separati, sed inter se commixti. Si in singulos diuiseris, proprium numerum non excedunt, si verò in vnum congregaueris 40. nihilominùs erunt, ac ita vt ignis natura, permanent, nam ille ad progredientem transit, & totus est apud habentes. Sic hi quadraginta sunt vnum, & omnes apud singulos, non enim regna dumtaxat, prouinciæ, ac diœceses: sed vrbes, parœciæ, priuatæque Domus sacras illas experiere reliquias, quæ curæ ac studio multò chariori quàm ipsorum thesauri illis erant, autquàm dij tutelares ac penates eorum Gentilitati.

14. Tum ex eo quod olim altaria Sanctorum essent monumenta, quæ & Memoriæ nuncupabantur; neque fas esset aram, & ædiculam nisi priùs reliquiarum ornamentis, donisque decoratam dedicare, vt ferunt expressa Conciliorum decreta, Carthaginensis illius nomine quinti, ordine verò temporis, tertij circa tempora Anastasij Papæ. Item placuit vt altaria, quæ passim per agros aut vicos tanquam Memoriæ Martyrum conditæ, probentur

tur ab Episcopis qui eisdem locis præsunt, si fieri potest euertantur, sin autem hoc propter tumultus populares non finitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequententur, vt qui rectè sapiunt, nulla ibi superstitione deuincti teneantur, & omnino memoria Martyrum nulla probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ sint, aut vbi origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur, nam quæ per somnia & per inanes quasi reuelationes quorumlibet hominum vbique constituuntur altaria omnimodè reprobentur. Idem præcipitur à Concil. Africano sub Bonifacio & Cœlestino Pontificibus, vnde facilè intelligitur nulla esse altaria, imò & domestica oratoria, quin sacris istis reliquiis essent condecorata, atque itavt omnium pietati tot tantísque in locis satisfieret, in particulas facta hæc pignora diuidere ac dispertire necesse fuit, quæ quidem particulæ, Sancti, à qua extractæ fuerant retinentes nomen, multiplicandorum occasionem fecere corporum, partem pro integro accipiendo. Concil. Afric.c.50.

15. Reponitur etiam testimonio Martini Papæ, & miraculorum, nisi aliis maioribus præsidiis muniantur atque firmentur, incertos casus pro certis aliquando concludi: cùm enim ipsi Deo Optimo Maximo, miracula, Sanctorum precibus patrare libuit, tunc pro certo habebatur, vbi huiusmodi cernebantur prodigia, ibi sacrum aliquod pignus, siue illud quod intendebant supplices, siue aliud, quiescere, ad cuius præsentiam mira hæc patrarentur, quamuis miraculorum causa interdum sola sit fides, eorúmque charitas qui diuinam opem SS. intercessionibus efflagitarint. Certè ipsos quoque Vizeliacenses hærere in hoc scrupulo necesse est, nisi respondendi & explicandi solertia ista nos expediat, cùm longius progressi communes aduersarij præter Magdalenam Vizeliacensem, aliam etiam Melodunensem opponunt, cuius ferias ad 10. Kalend. Octobr. indicit Martyrologium Gallicanum his verbis. *Dominica post festum S. Matthei, facta est Meloduni ad Sequanam, miraculosa inuentio reliquiarum S. Gregorij Papæ, Beatorúmque Aspasij & Blasij Episcoporum, Beatæ Mariæ Magdalenæ, necnon S. Agnetis Virginis & Martyris quæ in S. Petri Cœnobio reposita fuerant congruenti honore.*

S. Heleca Episcopus Cæsaraugustanus in additionibus suis ad Maximum aliam similiter eius nominis Ciuitatensem Magdalenam in Hispania defunctam producit apud Biuarium in Dextri Chronicon. *Fama est*, inquit, *cùm S. Iacobus venit in Hispaniam; Mariam Cleophe, & Salome matrem ipsius, & Mariam quamdam Magdalenam, eam fuisse comiter comitatas, & rediisse cum illo, venisséque cum corpore, & vtrasque Cleophem & Magdalenam obiisse in Ciuitatensi oppido, vulgo Ciudad Rodrigo in Lusitania, die Aprilis 10. Magdalenam verò Lazari sororem venisse in Galliam.* Vide Biuarium in commentariis ad Lucium Dextrum anno. Christi 42. qui Biuarius addit hoc loco nouam aliam

Mariam Magdalenam præter sororem Lazari & Matthæ inducit Helæca, quod licèt mihi non constet, non est tamen incredibile in eodem Magdali viculo seu Castello fuisse aliam discipulam nomine Mariam, nomine inquam satis eo tempore vsitato, vt ex Euangelio apparet, quæ à patrio loco etiam Magdalena vocaretur. Legi etiam apud Eisingrenium de Martyribus Galliæ, Tit. *Massilienses*; Lazarum Magdalenæ fratrem germanum in Monasterio Dominarum Andloiæ in Alsatia requiescere.

Eising. centen. 1. p. 5. dist. 5.

16. Sed huiusmodi quæ nullo fulciantur testimonio veritatis. Nos autem, liceat dicere, prædicamus quod scimus, & certa traditione ac virorum doctissimorum æquè atque sanctissimorum testificatione de Sanmaximinensi Magdalena didicimus. Placet itaque Spondani consilium in hac causa plenum prudentiæ & fidelitatis, vt ne disputemus vlterius, vtamur Iurisconsultorum decisione de æquitate, quod *Vti possidetis singuli, ita possideatis, & sit Deus benedictus in secula.*

17. Ad te verò quod attinet, Lipsanomastix Gallogræcule, & par vtriusque Gallicæ aduenæ conuiciator Magdalenæ, cùm in pugnam reuenies contra reliquias Sanctorum & traditiones communi vsu prudentum ac peritorum, & Ecclesiæ autoritate receptas, aliis armis instruere quàm leuioribus illis Apocryphis & vetustate neglecta rubiginosis, quæ tibi hactenus ab ignorantia, vt supra monuimus, & spiritu singularitatis vstrinæ tuæ malleatoribus conflata, & tot inanibus studiis comparata habuisti: vel potius, si me audis & te amas, mutata in tam desperatis rebus sententia, veritatis lucem semper victricem ac triumphantem quæ tibi recens oboritur lubens aspice, atque amplectere, memor quod in Augustino ac cæteribus Patribus æquales tui & iusto fidentiores Critici monentur. *Homines sumus*, inquit: *vnde aliquid aliter sapere quàm se res habet, humana tentatio est: nimis autem amando sententiam suam, vel inuidendo melioribus, vsque ad proscindenda communionis, & condendi Schismatis vel hæresis sacrilegium peruenire, Diabolica præsumptio est. In nullo autem aliter sapere quàm se res habet Angelica perfectio est.* Et Ambrosius. *Nulla*, inquit, *ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus quæ emendare se non potest. Non annorum canicies est laudanda, sed morum: nullus pudor est ad meliora transire.* Quibus item aptissimè congruit illud Bernardi, sermone 3. De resurrectione. *Lepra proprij consilij eo perniciosior est, quò magis occulta; & quò magis abundat, tanto quisque sibi sanior esse videtur. Hæc illorum est, qui zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam, sequentes errorem suum & obstinati in eo, itavt nullis velim consiliis acquiescere. Hi sunt vnitatis diuisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi & magni in oculis suis, ignorantes Dei iustitiam & suam volentes constituere. Et quæ maior superbia, quàm vt vnus homo, toti congregationi iudicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat Spiritum Dei? Idololatria scelus est non acquiescere, & quasi peccatum ariolandi repugnare. Eant nunc qui se faciunt religiosiores aliis, qui non sunt sicut cæteri hominum, ecce arioli & idololatræ facti sunt: si tamen vel.*

Aug. lib. 2. contra Donatis. c. 5.

Ambr. lib. 5. ep. 31.

ei qui dixit hoc., plusquàm sibi iudicant esse credendum. Neque huic dissonat veritatis sermo quem dixit. Si Ecclesiam non audierit sit tibi Ethnicus & Publicanus.

18. Cæterùm libellum hunc quasi exploratorem, sub auspiciis etiam tuis emisi, Lector beneuole, dum CASSIANVM nostrum ILLVSTRATVM veluti maiores copias in ordinem redigo, vt qualis sit ingeniorum ad quæ producitur, genius, felix indagator exploret. Vtinam eamdem atque ita felicem experiatur fortunam, quam Iosue cum Calebo fuit expertus, dum explorator missus esset in Hiericho, vbi ope purpurei funiculi, feroces hostium tam subtiliter euasit quàm feliciter elusit, insidias. Verùm declinabit, vt spero, & si maleuolentia Zoilorum aduersus eum allatrare voluerit, præsto erit beneuolentia tua, vt tu, ad quem maximè æqui bonique defensio, atque adeò Magdalenæ nostræ tam nobilis causa pertinet, tueare causidicum. Laudandus certè hic noster conatus, etsi felicem minus sortiretur effectum, quod viam aperit, & facem præfert, per quam alij non solùm de his controuersiis bene sperare, sed iudicare etiam, si allubet, perspectè exploratéque possint. Interim mihi; adscribo verba illa Augustini. NEC PIGEBIT ME, SICVBI HÆSITO QVÆRERE; NEC PVDEBIT SICVBI ERRO, DISCERE. PROINDE QVISQVIS HÆC LEGIT, VBI PARITER CERTVS EST, PERGAT MECVM; VBI PARITER HÆSITAT, QVÆRAT MECVM; VBI ERROREM SVVM COGNOSCIT, REDEAT AD ME; VBI MECVM, REVOCET ME. Aug. lib. 1. de Trin. c. 2. & 5.

FINIS.

AD MAIORAM DEI GLORIAM.

INDEX RERVM

AC VERBORVM MEMORABILIVM quæ in hoc Opere continentur.

A.

mentis

B.

C.

De

D.

E.

F.

G.

Gallogræci

N.

Parisiense

FINIS INDICIS.



